LIBER QVINTVS CHRONICI CARIONIS,

A FRIDERICO SECVNDO, vsque ad Carolum Quintum.

EXPOSITVS, ET AVCTVS à Caſparo Peucero.

PERTINET HIC LIBER
ad partem tertiam Chronici.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO AVGVSTO, Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Electori, & Archimarſchallo: Lãdgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, & Burggrauio Magdeburgenſi, Domino ſuo clementiſſimo, S.D.

Agna ſemper fuit diſſimilitudo illorum, qui vel hiſtorias ſcripſerunt, vel, ex diuerſis hiſtoriarum monumentis, excerpſerunt epitomas chronicorum. Sæpe enim, vt de eloquẽtia, & aliis naturæ, ſtudiiq; adiumentis non dicam, defuit vtriſque iudicij, & rectitudo, & firmitas, quo factum, vt, vel errore iudicij, in cauſſarum, & aliarum circumſtantiarum explicatione, à ſcopo diſceſſerint, cuius rei exempla, ex iis hiſtoriographis, recitat Polybius, qui ipſum anteceſſerunt, vel imbecillitate quadam ingeniorum, alienas magis, quàm ſuas ſequuti ſententias, vera falſis inuoluerint & hiſtoriæ lumen, veritatem obſcurarint.

Eſt verò magna vis, etiam in vtrãque partem, omni tempore cum affectuum, à quibuſcunque exiſtant cauſſis, ſeu à præcõcepto aliquo iudicio, ſeu ab inſita, aut conſuetudine contracta propenſione naturæ, ſeu à corruptionibus: tum verò & peruulgatę, inueteratæq; in animis hominũ, & rumoribus publicis tritę, atque confirmatæ opinionis, de quo & dicitur, ὅτι δόξα βιάζεται

πῶ ἀλήθεια, & extant ſapientum querelæ, atque commonefactiones, quibus præcipitur, ne qui ſapientiæ laudem quærunt, veritatem, ex imperitæ, ac cęcæ multitudinis affectibus, & opinionibus æſtiment, ac iudicent, néve ſtrepitu, applauſúque vulgi capiſe ſimant, quale eſt comicum illud, concinnum admodum, & breue.

Αἰσχρὸν κρίνειν τὰ καλὰ τῷ τῶν πολλῶν ψόφῳ.

Turpe eſt ſuſurro vulgi, honeſta metiri. Et Cleanthis Philoſophi elegantes verſus, in eandem ſententiam, celebrat Clemens Alexandrinus:

Μὴ πρὸς δόξαν ὄρεχ', ἑκτέλλω σοφὸς αἴ κα γλυκὺ ᾖς,
Μηδὲ φόβῳ πολλῶν κρίνειν, μὴ μηδὲ δόξαν·
ἀ γὰ πλῆθος ἔχῃ σωετὸν κρίσιν, ἄτε διηνεκέως
ἄτε καλὸν, ὀλίγοις ἢ παρ' ἀνδράσι τοῦτο κέν εἴης.

Si, quæ ſit vera, eſt ſtudium, ſapientia noſſe,
Fluctuet incertis mens non erroribus intus:
Nec clamor ratione carens, experſq; pudoris,
Te moueat vulgi, quod non reſpectus honeſti,
Nec iuſti, rective regit mens conſcia namq;
Iudicij paucis contingunt munera firma.
Nec rarum fuit omnibus ſeculis, vt ex hiſtoriographis aliquid fidei, ac veritatis hiſtoricę obliti, adularentur cupiditatibus, vel potentum, metu periculi, aut ſpe præmiorum, vel multitudinis, & ſuas commentationes inſtituerent, & contexerent, aut ad vnius nutum, aut ex iis, quæ promiſcuę plebis ſermonibus, ac cenſuris iactarentur, ac probarentur.

Ex his cauſſis natam diſſimilitudinem ſcriptorum, fateor, vicciſſim afferre difficultatem non paruam lectoribus, quærentibus in hiſtoriis, veras rerum geſtarum occaſiones, cauſſas, & euentus, & remorari, atque detinere iudicia eorundem.

Verùm ex hac difficultate, facilè ſeſe explicabit is, qui gradus hominũ, in ſocietate generis humani & ſingulorũ officia, diſtinxerit: qui ingenia, & mores principum penitius aſpexerit, & conſiderarit, quos nullius eloquentia vnquam ita pinxit, aut occultauit, vt agniti non ſint. Qui conſilia etiam, actionesq; eorum, tã bellicas, quàm togatas, quo ſpectarint illæ, ac tetenderint, & ex quibus natæ ſint, atque profectæ cauſſis, ac fontibus, non oſcitanter inquiſierit, ac penſitarit. Qui ſophiſmatum præſtigias fucoſque, à iuſtis, ac rectis conſiliis, & à veris cauſſis prudenter diſcreuerit prætextus, ac πρόφασις ſeu προκατάληψις quæ, non animaduerſa, ſapientibus etiam imponunt, ſicut dicitur:

πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶσι ἰδέαι: qui quales fuerint ſcriptores, quibus fauerint, & adhęſerint: vel potius, quibus ex obligatione aliqua, ſunt aſſentati, attenderint: denique, qui ad iuſtarum legum,

legum, & ad immotam, nec vnquam fallentem normam iudicij diuini, in iis expressam monumentis, quę, sua voce, Ecclesia, Deus tradidit, & commendauit, cuncta retulerit, atque explorarit.

Henricum quartum, Fridericum secundum, Ludouicũ Bauarum, rabiosè exagitant scriptores Pontificij, collatis in eos, atque coaceruatis criminibus tot, & tantis, vt vendendis illis non sufficiat nauis vna ἑκατόζυγος. Veras caussas, & sceleratas molitiones Pontificũ, prorsus dissimulant. Alij, & inter hos nonnulli ex Italis ipsis, longè aliter, ac verius, easdem historias exponunt. In hac discrepantia, quid vero maximè sit cõsentaneum, ostendit, & declarat collatio reuocata ad fontes. Ex vna falsi hypothesi, detexuntur Pontificia omnia, scilicet, Pontificem iure diuino armatũ esse vtroq; gladio, & caput esse, ac Dominũ Ecclesiæ, & regnorum mundi. Hæc hypothesis, vt sunt ἀρχὰὶ τῶν ὅλων κακῶν, caussa extitit maximorum malorum in Europa. Sed impudenter cõfictam esse, ostendit vox filij Dei. Domini nostri Iesu Christi, qui Apostolis, quorum sese sectatores falso Pontifices iactant, vestigiis eorum nulla in re insistentes, Apostolis ergo dicit: Reges gentium dominentur vobis, vos autem non sic.

Nihil habet iuris in regna politica, nullum in Ecclesia principatũ, politico similẽ, Pontifex Romanus, nisi falsa concessionis diuinæ specie, monarchus per seditionem & fraudes, extortum: sed minimè tolerandũ. Expressè enim dicit Christus: Sicut misit me Pater, ita mitto ego vos, non ad constituenda, gubernanda, transferenda, aut distribuenda regna mundi: sed ad Ministerium Euangelij & sacramentorum. Nec obscurum est, quando & quibus occasionibus, atque initijs, hic principatus primùm cœperit, creuerit deinceps paulatim, ex dissidijs, & bellis ciuilibus, quæ inter Imperatores accenderunt Pontifices, confirmatus sit tandẽ, deiectis, atque oppressis Henricis, è Francorum Orientalium, & Fridericis è Sueuorum gente, cũ Episcopos Germaniæ, auulsos ab Imperatorum fide, & obedientia, sibi subiecerunt: & Rodolphum Habsburgensem, ad Flaminiæ, Æmiliæq;, & eorum, quæ in Hetruria, ac Piceno tenent, concessionem adegerunt.

Imperij sunt, non Ecclesiæ Romanæ, regna, quæ Episcopi tenẽt. Et ius gladij vsurpat hi, atq; exercent, non Pontificis Romani authoritate, multoq; minus diuina, sed beneficio, & concessione Imperatorum Principum nomen, & dignitatem cum opibus, quæ sunt Imperij, constitutione, & cõsuetudine antiqua, accipiunt ab Imperatore, tanquam iusto, & vero domino: Episcoporum nomen à Pontifice Romano, non vt à iusto domino, nec aliquo ipsius peculiari iure Prærogatiuam en m in Ecclesia Christi, nulla habet præ aliis, vllo iure, sed sola consuetudine introducta tyrannidis

Nam ne hunc quidem titulum Episcopi, ante Henricos, à Romana sede petiuerunt. Nec propterea facultates eripio Ecclesiæ, cui debetur sustentatio à Principibus, mandato diuino, iuxta dictũ: Reges erunt nutritores tui: & ex iis quidem debetur, quæ sunt Ecclesiæ, Regna eripio, quæ Christus non contulit, aut cõmendauit Ecclesiæ. Eadem in cæteris ratio est. Neque verò hic disputationem instituo: exempli causſa hæc commemoro, quæ intellectu, & iudicatu facilia sunt, rectè doctis ex repurgatæ doctrinæ luce, de impostoris, & fraudibus Pontificum.

Sed minus aliquantò obscuritatis est, in sequentibus historiis Imperij Romani: habuit enim posterior ætas, quandoque, mediocres scriptores, quos excitauit, & impulit Põtificũ audacia, & impudentia, cùm ad vindicandũ Imperij decus, & neruos, tum ad elidẽdam clypeis chartaceis, & calamorum telis, vim fulminum Pontificiorum, quæ à ferreis, & æneis armis inuicta, violentiam belli omnem reſpuebant. Et aliquatò plus, scripta, subnixa vi, & authoritate scripturæ sacræ, quàm arma, effeciſſe, res docet.

Externarum gentium historiæ obscuriores sunt. Commouerũt enim seſe, Orientem versus, denuo duæ efferę, & barbaricę gẽtes: in Asia Turci, Tartarorum soboles. in Europa Rossi, gens Heneta: & accessit tertia, eousque nomine, vtrique parti terræ, Asiæ, Europæ & incognita, Tartarica scilicet, Scytharum, veteri cognomine, recentibus Græcis nobilitata. Hęc dispersa per vastas, & immensas solitudines Orientis, ea parte, qua regnum Cathayna latè extenditur, vsque ad Sinarum regionem, & sinum Persicum, vagatur, & viuit ferarum ritu, sine legibus, sine vrbibus, magna ex parte sine religione certa, supellectile vniuersa carris cõpositа, quos subinde transfert, sedibus mutatis, vnde ἀμαξόβιους hos veteres Græci vocarunt.

Ante Tartarorum irruptionem, denominabãtur ferè in Asia anteriore Turci, domitis Saracenis, quorum leges, ex instituto Mahometis, in religione, sectari experiuntur: in Europa Rossi, à quibus Rasciorum propago defluxit. Sed vtrosq; Tartari, exundantis fluminis, aut tempestuosæ procellæ impetu, è septentrione effusi oppreſſerunt. Hic impetus cùm remiſiſſet, vtriq; seſe, repulsis Tartaris, paulatim rursus erexerũt, eo successu, vt amplissimum Imperium armis acquiſierint Turci, confligati cum imbecillibus Asiæ gentibus, & longiùs à feritate Tartarica diſſiti. Potentiam minimè contemnendam colẽgerunt Rossi, quanquam assiduè à tergo incumbentium Tartarorum armis sæpe reiecti, atque impeditè. Moschos se Rossi nominant: quæ vox originem gentis descendiſſe ostendit, à Mesech, filio Iaphet, & significat Hebræis extendentem, scilicet, arcum, hoc est sagittarium, seu iaculatorem.

Moschis

Moschis cognatam esse gentem Mossinœcorum, vicinia habitationis testatur, & nomen, & historia Argonautica, qua Mossinœcos collocans ad Colchidem, vbi Moschos Stephanus reponit, sauitiam, feritatem, turpitudinem eorum describit.

De his duabus gentibus, Turcica, & Rossica cogitans, sæpe recordor illius versus Psalmi, qui est graduum primus: Hei mihi quod exul sum, in Mesech, & habito in tabernaculis Kedar. Nã pingi imaginem Ecclesiæ horum temporum, existimo, quæ obiecta acerrimis, & acerbissimis hostibus Turcis, & Moscouicis, summè periclitantur. Kedar haud dubiè Arabes significat, ortos à filio Ismaëlis, quos in religione sequuntur Turci. Verè nunc Ecclesia exulat inter Mesech, & Kedar. Rabiem Moscouiticã Liuonij experiuntur, & Lituani. Turcicam Græci, & nostri vicini Vngari. Vtinam neutra procedat longiùs: vtinam Principes orbis Christiani, magnitudinem periculorum, quæ ab his gẽtibus impendẽt, considerantes, anteuertere, atque amoliri ea, maturè coniunctis armis, conarẽtur. Sed fit in his periculis, quod dicitur τὸ σιωπῶν πέζη, τὸ δὲ λαλοῦν ἀέρα τύπτει. *Vereor ergo, ne sequantur pœnæ, quæ exprimant nobis, etiam has ipsas psalmi querelas.*

Sed ad institutum reuertor. De his ergo gentibus, obscuriores extant narrationes, ex quibus elicere studui, quæ iudicaui vero maximè congrua esse, atque conformia. Perduxi autẽ epitomem ad Maximiliani Imperatoris exitum, ex hac vita, & initia certaminum in Ecclesia, quibus caussam præbuit impudentia plus quàm Tersitica sycophantarum, qui venales circumtulerunt indulgentias, venditatas populo, tanta mendaciorum improbitate, & scurrilitate, vt præcones Pontificij, è suggestibus, assiduè vociferando, affirmare non sint veriti, ad tinnitum proiecti in arcam aris, confestim damnatorum animas exolutas compedibus, rectà, è purgatorij flammis, euolare in cœlum. Talium mendaciorum impudentiam, & vanitatem cùm taxaret Lutherus, certamina exarserunt, quæ inclinationem primò, mox ruinam regno Pontificio attulerunt.

Cætera quæ, post hæc initia, secuta sunt, in Ecclesia & reliquam omnem Imperij historiam percurram deinceps, ea brevitate, quæ chronico conuenit, sed historica, & religiosa fide iis caussis commoratis, quas, & dictici esse verissimas, ex viris optimis & fide dignissimis, qui rebus ipsis interfuerunt, tanquam pars, caussas non minima, & nonnullas ipse cognoui coram, & prudentibus satisfacturas esse confido.

Adiecit nuper, ad Naucleri chronologiã, paralipomena, monachus quidam Coloniẽsis, qui Surrianum se nominat, scurram se vocauerit rectius. Nam vtrum rem seriã agat, an scurretur, non

satis apparet: tam impudenter res manifestè veras, calumniatur, ac deprauat. Sed à monacho quid expectemus aliud? Nam istius deplorati, profligatiq; generis hominum plus quàm caninã impudentiam, & audaciam, plus quam diabolicam, iam multis seculis orbis Christianus ita detestatur, vt & Pontifices ipsos, florente adhuc Romanæ Hierarchiæ statu, de ea coërcenda consilia quærere oportuerit: & Papa Pius, qui, ante Pontificatum fuit Æneas Syluius, rabiem diabolicam, monastica mitiorem esse, non dubitarit pronunciare, hoc disticho:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audent,
Effrenis monachus, plenaq; fraudis anus.

Quare lætetur, & pinguescat ille maledicentia sua, cuius, quẽ habuerit magistrum in suo latibulo, res ipsa indicat, & lætetur eo vsque, donec in eas redigatur angustias quas immutabilis iustitiæ diuinæ ordo, blasphemis hostibus Filij Dei decernit,

Vtque repertori, nocuit, pugnacis iambi,
Sic sit, in exitium, lingua proterua, tuum.

Qui versus poëtæ veteris, Archilochum maledicũ poëtã notãt, de quo Pindarus ait: ἐσθλὸν ἐχὰς ἐὼν πὶ πολλ' ἐν αἰμυχανία φυγεῖν ἀρ-χίλοχον βαρυλόγοις ἔχθισι παιόμενον. *Sed in longè maiorem* αἰμυχανίαν *coniicientur ij, qui blasphema conuicia iacere in Filium Dei, non desinunt, toties commonefacti, confutati, reuicti.*

Doctrina nostrarum Ecclesiarũ irrefragabili authoritate, perspicuitate, quanta nullius est doctrinæ, certitudine immota, verbi cœlestis, ipsa sese, & instauratores suos, ac propagatores tuetur atque defendit: & viri boni restinguunt calumnias, meritis, & innocentia sua, vt qui aquam in ignem spargunt, vt apud Pindarum dicitur. Sed si qui sunt, ex aduersariis, quos scurrilis leuitas, & impudens vanitas, istius monstri delectat, ij, si pertinaciter odisse, & hostiliter persequi doctrinam nostrarum Ecclesiarum perrexerint quam esse vocem Filij Dei, in tam clara luce, declaratæ veritatis, dubitare amplius non possent: ij ergo intuentes in excidium gentis Iudaicæ, Deum, in hac vita etiam, gloriam filij sui, publicis cladibus vindicaturum esse cogitent, & si pœnas distulerit, æterna tamen supplicia, pertinacibus hostibus Filij Dei constituta, ipsis atrociora fore, & grauiora sciant.

Ad Tuam verò Celsitudinem, Illustrissime Princeps, sacri Romani Imperij Elector, & Archimarscalle, Saxoniæ Dux, Domine clementissime, hanc partem chronicorum mitto, sub Augusto nomine tuo publicatam, vt si quid ex ijs aliquid contigerit à publicarum rerum cura, & administratione, quam & propter dignitatem, atque eminentiam muneris publici, in Imperio, & præterea existimationem, ac celebritatem nominis, virtutum fama excita-

excitatam, & propter singularem erga Ecclesiam, ac rempublicam affectionem, tot monumentis illustrem, atque conspicuam, Celsit. Tua experitur, & sustinet difficiliorem: vt per otium ergo, in hac epitome, velut in succincta, ac breui tabella, vno quasi intuitu, complectatur formam Imperij veteris, quæ inde vsque à Friderico secundo, fuit eadem. Et vt commonefacta Celsitudo tua, breuibus his indicationibus, reuocet in memoriam exempla gubernationis publicæ, consiliorum, rerum pace, bellóque gestarum, cùm ab aliis, tum verò à maioribus Celsitudinis Tuæ: qui ita cum Imperatoribus sese coniunxerunt, vt onerum, & periculorũ molẽ interdum multò maximam, translatam in sese, penè soli fortissimè, & sumptuosissimè, pro incolumi reipublicæ statu, & Imperij dignitate, sustinuerint. Denique, vt occasio sit Celsitud. Tuæ, de caussis consiliorũ, mutationũ & cuẽtuum qui acciderunt, & prolixiores historias consulendi, & cum viris sapientibus, in Senatu tuo, disserendi, hoc tẽpore periculosissimo, quo fatalem ruinã minitari videntur passim regna Europæa, præsertim, cum nulla re perinde delectari, Celsitud. Tuam, intelligam, quàm repetitione veterũ historiarũ, & patriæ præsertim, qua in re sapientissimè iudicat Celsit. Tua. Nã cùm homines omnia iudicent, aut regulis quas schola tradunt & doctrina philosophorũ, aut exemplis, quę suppeditãt historiæ, regulæ sine exẽplis, minus subeunt animos hominum, minusq; afficiunt, aut permouent, & prodest, quocunque tempore, exempla similium casuum, & cõsiliorum in gubernatione considerando, ex aliis discere, nobis quod ex vsu sit. Nã secundum poetam: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Vt ergo Celsit. Tua, clementissimo animo & hoc munus accipiat, & me complectatur ea, quæ par est, ac decet, animi subiectione, rogo. Cũq; ante oculos & in conspectu sit, quãtum interfit Ecclesiæ, apud exteras gentes, quæ fontes repurgatæ doctrinæ, in academiis Celsit. Tuæ discũt indeq; latè propagant ac disseminant: quantũ reip. interfit, Celsit. Tuã incolumi valetudine, & fata diutissimè florere: Deum æternum, Patrẽ Domini, & Saluatoris nostri, Iesu Christi, toto pectore oro, vt Celsit. Tuã protegat, seruet, ac tueatur, vt frui pietatis tuæ fructu, protectionis ope, beneficẽtiæ subsidio, diu feliciter possint hæ regiones, & Ecclesiæ exteræ, quæ vna voce nobiscũ, & profitẽtur doctrinã Filij Dei, & Deum in agnitione, & fiducia huius vnici Mediatoris Iesu Christi, rectè agnoscunt, & inuocant. Bene & feliciter valeat Celsit. Tua. Datæ VViteberge, pridie Calend. Nouemb. anno, M.D. LXV. Hoc die, ante annos octo, & quadraginta Lutherus VViteberge, propositis thematibus, ad ualuas templi quod arci contiguum est, cœpit oppugnare indulgentias Pontificũ Romanorum.

& restituere doctrinam puriorem, quam, vt conseruet Deus, & semper sibi, inter nos, colligat Ecclesiam, celebraturam ipsum, in tota æternitate, ardentibus votis precor.

Celsitudinis Tuæ

subiectissimus

CASPAR PEVCERVS D.

AD LECTOREM.

ITSI historiæ, quarum epitomem, in hac editione, complexus sum, minus videntur esse intricatæ, præsertim quo prosius ad tempora nostra accedunt. id si beneficio nonnullorum scriptorũ, quibus plurimum, ob fidem, & diligentiam, debet posteritas: tamen hæc mihi scribenti, sæpe vsu venit, vt cum gemitu & dolore, requirerem promptam expeditamq; memoriam, & exquisitissimum, atque exactissimum iudicium soceri mei Philippi Melanchthonis. Sæpe colloquia desiderarem, ac censuras aliorum etiam, quibus historia orbis terrarum exploratior est, atque perfectior. Sunt tamen ex his aliqui, quorum quanquam absentium, fidelis opera, & liberalis multarum rerum communicatio, plurimum me adiuuit. Inter hos à Philippo, proximè colloco Georgiũ Sigismundum Seldium Augustanum IV doctorem duorum Imperatorum Caroli V. & Ferdinandi fratrum, procancellarium, & Hubertum Languetum Burgundum. Nam Philippo Melanchthoni, cuius diuino ingenio, & insuperabili industria, ac dexteritate, excitatum, in his regionibus, & in amorem atque admirationem, præcipuè adductum est historiarum studium, qui vsum lectionis historicæ in communi vita, in Ecclesia, & republica, in maximarum controuersiarum diiudicatione, vnus ante alios, & monstrauit, & illustrauit, si primas tribuam nemo me reprehenderit.

Georgio Sigismundo Seldio, meo præconio opus non est. Eum iuuenem adhuc excellentia ingenij, prudentia pro ætate maior, doctrinæ variæ, & solidæ, admirabilis copia, ornamento virtutum, eloquentiæ eximia facultas, peritia linguarum plurimarũ, & omnis antiquitatis, & historiarum, primùm commendarunt Carolo quinto Imperatori, vt in honore apud eum, ac precio esset, & ad gubernationis amplissimæ, atque occupatissimæ, summa, ac difficillimæ negotia adhiberetur. Adhæc, cùm accessisset etas

grauio-

grandior, vsus rerum atque exercitatio, maturitas exculti perpolitiq; iudicij, documenta industriæ, solertiæ, sapientiæ, iustitiæ, moderationis, integritatis constantiæ, fidei, candoris, humanitatis, in eam venit, apud Imperatorem, Ferdinandum, opinionem, & admirationem, vt de Seldij consilio, atque sententia, ille in Imperio susceperit, atque administrarit pleraque ex iis, quibus Germania, post difficillima, & longa bella, ex perturbatissimo rerum statu, reddita est, atque restituta salutaris tranquillitas.

Hæc me reticere aut dissimulanter præterire, non sinit memoria virtutum illius viri, cui quantum debeo, tantum persoluere nullis gratitudinis officiis possum. Sed tamen qualicunque testificatione affectionis erga illum meæ, parentare virtuti, fidei, & meritis erga remp. mortui, gratitudo me coegit. Plura conantem addere, prohibet acerbitas doloris renouati, recordatione tristissimi casus, quo nuper ille miserrimè periit. Reip. si quid mea vota valent opto, precórque, ita vt floreat, huius viri ne operam, & consilia dēsideret.

A Philippo itaque & Seldio & Languetо me præcipuè, ac plurimum adiutum esse, in hac parte chronici, profiteor, & glorior. Vestigia mei magistri, & soceri Philippi ita, vbi licuit, consectari studui, vt non sententias tantùm sed & verba eius retinuerim. Nam, si idem coner aliter exponere, quàm ab ipso recitatum reperiam, nimis arroganter fecero. A Seldio accepi diligentissimè conquisitas, & concinnè admodum descriptas, ac liberalissimè mecū communicatas plurimarū familiarum origines, seriem, mutationes, adiunctaque iudicia de singularum mutationum causis, & occasionibus, grauissima, quib. translationes prouinciarū, & dignitatū factæ sunt. Has, cùm vnà mecū amici intuentur, admirantur, & diligentiam penè superstitiosam, hominis occupatissimi, & impensam insuper curam, atque operam in descriptionem, ac distributionem tanto studio elaboratam, ab ipso authore, vt ad elegantiam, etiam nihil addi posse videatur.

De rebus externis, me prolixè docuit Languetus, & quantum recentioribus scriptoribus singulis tribuendum sit, accuratè monuit. Iudicium huius viri maximi facio, propter dexteritatem, rectitudinem, & plurimum rerum vsum. Non enim cognoui hactenus quemquam, cui cum historiis veteribus omnibus, ac recentibus, ipsa regna Europæ, seculo nostro notiora sint. Horum iudicia & sententias cum iis authoribus coniunxi, quos habere potui. Candidum lectorem confido, has meas operas, in partem optimam accepturum esse, idque vt faciat, reuerenter oro. Bene, ac feliciter vale, lector candide.

VLTIMA PARS, CHRONICI CARIONIS.

IMPERIVM OCCIDENTIS.

IMPERIVM Occidentis, Pontificum Romanorum artibus, & ambitione, potissimùm cõuulsum esse, atque dilaceratum, nemini dubium esse potest: nisi aut historias ignoranti, aut affectioni, quam iudicio, plus tribuenti. His bella ciuilia accensa sunt, quibus fracta maiestas, & potentia Imperij, eò redacta est, vt & regibus exteris cœperit despectui esse, & contra contumaces, domi fuerit inualida. Regibus gratum fuit eripi alieno Imperio, atque in libertatem collocari. Idcirco libẽter assenserunt edictis Pontificum, falsa authoritatis diuinæ, & religionis specie, exasperatis. Sed accidit eis quod ait Plato, vt fumum seruitutis fugiẽtes, in ignem seruum inciderint. Duriorem enim multò, sub iugo Põtificio, seruitutem perpessi sunt, quàm pertulerant antea, cum Imperatoribus amicitia potiùs, atque fœderibus deuincti essent, quàm obligati, ad aliquas seruilis obedientiæ leges, ac cõditiones. Nam postquam, Imperatoribus euersis, sese Pontifices constituissent iudices ἀνυπευθύνους, omnium orbis Christiani controuersiarum, & potestatem sibi arrogassent de Monarchis quiduis statuendi pronuntiandíque, suo arbitrio & libitu: factum est, vt nulli regum, authoritatem Pontificiam detrectare, vlla in parte, licuerit, nisi anathematis Põtificij fulminibus sese obiicere vellet. Neque est vllum inter orbis Christiani regna, quod tyrannidem hanc non sit expertũ. Imò, non satis fuit Pontificibus, vt imperarent Monarchis, sed regna fecerunt Ecclesiæ feuda: quæ, quibus vellent, authoritate Apostolica, distribuerent, atque conferrent, sicut de Imperio Romano, de regnis, Siculo, & Anglico, notum est. Gallicum enim acriùs paulò dignitatem suam, atque libertatem tutatum est.

Domi quid effectum sit, ostendunt [illegible] & rudera Imperij

perij in Germania, & Italia, defectionibus, ac direptionibus mutilati, de quibus tantum adhuc relictum esse, mirum videri poterat, si cogitetur, quibus artibus, atque insidiis, Pontifices, & Episcopi, quæ fuerunt publici iuris, atque Imperij, quæ singulorum attentarint, & occuparint: quibus occasionibus & modis, ex ruinis Imperij & familiarum veterum, creuerint recentes aliquæ: denique quanto studio, nonnulli ex Imperatoribus, post Fridericum secundum, posthabitis rebus publicis, extulerint, atque amplificarint suos, opibus, dignitatibus, immunitatibus.

Sed hæc ipsa rudera, diuina bonitate, conseruata sunt, atque defensa mirabiliter, sapientia, virtute, & industria grauissimi Senatus Septemuirum in Imperio: qui quibus veli-nitiis vel authoribus, & quando cœperit, etsi certò non constat, nomen tamen inclaruisse, & inualuisse authoritatem, atque potentiam, à Friderico secundo, ex historiarum annotatis, non est obscurum, vt videatur hic Senatus, post longos intestinorum bellorum conflictus, constitutus, & hac potestate armatus esse, ac circumseptus, singulari Dei impulsu, ad nutantes tunc, & prope collapsas reliquias Occidentis instaurandas, ac fulciendas, cùm quidem, profligata, ac proiecta Imperatorum authoritate, & Germania tota in infinitum distracta, furiosis Pontificum molitionibus nunquam videretur, firma aliqua concordia, coalitura esse.

Non existimemus temerè, aut casu, extitisse hunc tam concinnè, geometrica proportione, distributum, & ad Imperij stabilitatem, accommodatum, summi Senatus in orbe Christiano, & totius Imperij ordinem: cuius nixu hucvsque Romana potentia constitit, sed authorem Deum, grati agnoscamus, ac celebremus, ordinem ipsum, tanquam Dei opus, veneremur, ac tueamur. Est enim verissimè, ordo in Imperiis, opus Dei, & à Deo sustentatur inter collisiones, & confusiones varias, quæ incidunt, & non oriuntur à Deo, sed à furoribus Diabolorum & hominum. Et adest Deus generi humano, ordinem tuenti, ceu beneficus, ac vigilans Pastor, nec sinit deleri totum genus humanum, sed reprimit grassantes Diabolos, & turbulentos homines, vt si videres pastorem, in florido prato, gregem ouium custodire, ne dilabatur, aut euagetur temerè, & canibus incitatis arcere, atque abigere lupos, ne, irrumpentes, rapiant, ac dilanient oues aliquas, vt maior pars gregis maneat incolumis, & tuto pastu pinguescat.

Cùm autem in picturis, apud Danielē, quæ distinguunt

etiam virtutem, & fortunam singulorum Imperiorum, significatum sit vtrumque, & in hac senecta mundi, plus fore confusionum, quàm fuit antea: & tamen, donec genus humanum est, regna aliqua Deum seruaturum esse, quæ, quo propior erit finis mundi, eo languidiora erunt: interea verò, maximam fore potentiam, barbaricæ cuiusdam gentis, quæ nominatur, in vaticiniis cœlestibus Gog, & Magog: non moueamur, aut potentia gentis Turcicæ, quæ, manifestis testimoniis, ante multa secula, à Deo reiecta, & damnata est, aut successibus Scythicarum gentium, quæ & olim, & nunc recens se commouerunt, ac Germaniæ minitantur, vt dubitemus de promissionibus, ac prædictionibus traditis, voce Filij Dei, sed certò statuamus, dignitatem Imperij non esse, in illa Barbarica tyrannide, quæ blasphemias euomit in Filium Dei, ac honestas politias delet, sed ibi esse, vbi veræ religionis doctrina sonat, & colitur, vbi leges diuinæ, & ex his extructæ aliæ leges honestæ, regnant, vbi exercentur, & vigent legitima iudicia, & rectè facientibus præmia, sceleratis pœnæ sunt propositæ: denique vbi honesti cœtus hominum, iustis armis proteguntur: etsi potentia minor esse videtur, quam Turcica est, si modò potentia censenda est, barbarica vastitas, ac solitudo sine luce doctrinæ, sine legibus, sine iudiciis, sine ordine vitæ, in iis orbis terræ partibus, in quibus floruerunt artes, Ecclesiæ, & alia ornamenta, qualem, in Asia, cernimus effectam esse armis Turcicis.

Etsi igitur, post Sueuos, Monarchia in Occidente, minus vitium habuit, & roboris: tamen dignitatem Imperij retinuit, cum laude virtutis, ac sapientiæ, quarum rerum memoria, ac celebritate, non vicinos tantùm, sed potentiores etiam Christiani nominis hostes, procul terruit, ac repressit, & quidem hoc posteriore seculo; & decus, atque ornamentum & præsidium, vinculum, ac neruus eius, fuit præcipuus, Senatus septem Electorum, cuius ea est potestas, & authoritas, vt eligat, ac creet Romanum Imperatorem; &, si is, fiat Tyrannus, aut hostis Ecclesiæ, vel legum, & libertatis in republica; eripiat ei Imperium. Res verò ad Imperij maiestatem, & incolumitatem pertinentes, ita cum Imperatore administrat, ac moderatur, vt non fiant decreta à solo Imperatore, sine approbatione plurium ex hoc Senatu; qui & προβούλματα condit, de quibus deinde cæteri principes deliberant, cum quibus, re ab vtrisque pensitata, fit communis suffragatio: sicut Athenis, Senatus faciebat προ-

βούλευμα

βάλευμα, de quo postea in concione, deliberabatur. Ita Monarchia Occidentis, temperata est, & fuit honestissima aristocratia, in qua vnus rerum potitur, qui statuit, & sancit pleraque, de consilio, & sententia Septemuirûm, quorum inter se est æqualitas arithmetica. Tantùm hoc munus habet proprium Moguntinus, vt cæteros conuocet, & sententias roget. Ipse verò interrogatur à Saxone. Huic Senatui, si, vel absit, vel periclitetur, vel interierit Imperator, summa rerum, & vniuersi consilij publici cura incumbit, cuius vigilantia, sagacitate, & industria, quoties à Germania pericula maxima sint depulsa, domi forisque, repetitæ docent historiæ, vt quando, ad vrbem Vratislauiam, tres reges, Vngaricus, Boëmicus, & Polonicus, cum validis exercitibus confederant, dimicaturi inter sese, de Silesiæ principatu, cum periculo vicinorum.

Eorundem, cum Imperatore electo, arctissima coniunctio, & consensus, inter semetipsos, ænei muri instar, muniuit pacem publicam. Tantum enim profuit Imperio, vt inde vsque à confirmata eorum potestate, & authoritate, tranquillior fuerit Germania, & minus habuerit bellorum externorum, & ciuilium. Etenim gentis potentissimæ, & bellicosissimæ robur, si coniuncta esset, & concors, quantum posset, meminerant exteri. Domesticos in officio continuit, metus coniunctionis supremi ordinis, & partis potioris, ac melioris cum Imperatore, quæ tantum valuit, vt, si qui, etiam ex hoc supremo Senatu, temerè, vel Imperatori, vel collegis aduersati, arma ceperunt, citò à cæteris oppressi sint. Nec Pontificibus ea fuit relicta occasio, ad turbandam, distractione principum, Germaniam, qua sola didicerant, gentẽ alioquin bello inuictã, frangi posse, sicut apes, fumo facto, dissipãtur: quæ alioquin exturbari alueolis nequeunt.

Ita Septem Electorum Senatus, non tantùm Germaniam, assiduis ciuilibus bellis, grauiter quassatam, ac fluctuantem, restituit in tranquillum: sed, quòd, vnà cum Imperatore, est, & fuit, religionis Christianæ, legum, iudiciorum, disciplinæ, custos vigilantissimus, & defensor acerrimus: inter sese ordines omnes, sic copulauit, atque coagmẽtauit, vt interrumpi, aut dissolui, hæc tam concinna Imperij harmonia, hactenus, nullis domi seditiosis motibus, nullo foris violentiæ impetu, potuerit. Nam & Imperatores, intra metas, legibus circumdatas, coërcuit, & cæteros Principes copulatos inter se, redegit in ordinem talem, vt legibus, & authoritati Imperatoris, ac superiorũ, parere singulos opor-

tuerit,nisi armis compescí, & ad officium cogi,aut vnà cum dignitate, possessionibus vniuersis exui,vellent. Propterea floruit viguítque Germania, per annos penè quadringentos,opibus,viribus,admiratione sapientiæ,& virtutis,iudiciis,legibus, & aliis veris,ac solidis ornamentis,& florebit his porrò, Deo adiuuante, quandiu valuerit authoritas Septemuirum, quorum quidem consilia, & voluptates ita rexit,& flexit Deus,vt multos orbi Christiano,salutares principes dederint,inter quos sunt, Rodolphus Habspurgensis, post interregni turbas, Henricus septimus, Ludouicus Bauarus,Sigismundus,Maximilianus,Carolus V.etiamsi viribus,& potentia fuerint dissimiles.

Etsi autem fatendum est,non semper similem fuisse felicitatem,aut electionis,aut ipsorum Imperatorum;quorum aliquos ignauos, aliquos etiam perniciosos fuisse patriæ, & Italiæ, vtrique euentu comperimus, qua in re,deploranda est communis humanarum rerum infirmitas; tamen subinde tribuit Deus aliquos salutares principes, & quanquam euentus interdum,in electione,non fuit felix,consilia tamen Electorum,spectarunt salutem publicam,de quibus non ex euentu,qui à pluribus aliis causis gubernatur; sed ex iis rationibus,quæ deliberationem antecesserunt,ac rexerunt,iudicandum est:quæ, si fuerunt graues,atque constantes,intérque sese consentientes,non labefactet honestatem consiliorum,dissimilitudo euentuum. Neque illa vetera Imperia aurea, & argentea, expertia fuerunt magnarum calamitatum. Vagantur pœnæ, per genus humanum, & ostendit Deus exempla iudicij sui, & iræ aduersus peccata, in summis,& infimis. Sed vt peccata,ac scelera,sic pœnæ regum, conspectiores sunt,& de vtrisque vetus est dictum: πολλὰ τῶν ἀδικημάτων ἢ παθήματα ἐπὶ πᾶσι τοῖς &c. Interea tamen Deus, sicut inquit: Non faciam furorem iræ meæ,non prorsus finit deleri mediocres politias; sed,propter Ecclesiam,seruat aliquas reliquias.

Interdum & furię Pontificum accenderunt dissidia,inter Septemuiros. Nec ita multi præterierunt anni,quãdo Pontifex Romanus conatus est hunc neruum Imperij,videlicet ius electionis,insigni astutia,abolere. Nam Episcopum Moguntinum,comitẽ Hebergiũ, cogere voluit Æneas Syluius, ad sese iuramento obstringendum sedi Romanæ, & successoribus,ne vnquam, nisi assentiẽte Romano Pontifice Moguntinus Electores conuocaret. Qua in re,cùm Moguntinus libertatem, & authoritatem Senatus publici Septemuirum

uirum defenderet; etsi sensit fulmen pontificium, tamen à Friderico Palatino, vt dicetur, defensus est.

Historias ergo Occidentis, quæ sequuntur Fridericũ secundum, à quo ordiemur, & interregnum, referamus ad hanc, ex Monarchia & Aristocratia, sapientissimè temperatam politiæ formam, in qua, summa rerum est penes Imperatorem, collocatum in supremo ad gubernacula, & armatum authoritate summa diuinitùs, sed per Electorum sententias, ac suffragia, cui, ceu ἀπόστεμμα, proximi adsunt Septemuiri, non vt otiosi spectatores eorum, quæ ab illo geruntur, & fiunt: sed vt consiliorum, laborum & periculorum socij, quibuscum primò, de rebus Imperij consultat. Hic proximus est ordo cæterorum principum, qui suum etiam habent Senatum, à supremo illo distinctum, in quo suo loco, singuli, atque ordine, de ante deliberatis, sententias dicunt, & ad Imperij dignitatem, ac stabilitatem, atque ad Imperatoris authoritatem ita respiciunt, ac consilia dirigunt, & accommodant voluntates suas vniuersi, vt quæ ex dignitate, & vtilitate publica, constituuntur, cum Imperatore præside, ipsi, velut ὡσεὶ δορυφορικὸν οἴκημα comparati, quauiter exequantur.

Constituunt autem supremum Senatum, delecti ex ordine sacro tres Episcopi, totidémque Principes politici, ad quos accessit septimus, Boëmiæ rex, ceu honorarius arbiter. Episcopi sunt, Moguntinus, Treuirensis, & Coloniensis. Horum successio consistit in electione, succedente in locum defuncti, illo, qui collegij suffragiis, vel ex ipsorum numero designatur, vel ex aliis familiis deposcitur. Principes sunt, comes Palatinus ad Rhenum, dux Saxoniæ, marchio Brandeburgensis. His familiis dignitas Septemuiralis, ea lege, est alligata, vt patre mortuo, aut agnato, illa, cum hereditate, transeat in filium natu maximum, aut agnatum proximum, ætate cæteros antecellentem; &, si hæredes desint, stirpe deficiente, authoritate Imperatoris, & summi Collegij, transferatur in aliam familiam, sicut accidit, cùm sublatis è viuis, sine prole, Albero Saxonum duce, & Woldemaro marchione Brandeburgense, vtroque ex Alberti Vrsi posteris, Sigismundus Imperator, Saxoniam Friderico Misniæ marchioni, marchiam Friderico Burggrauio Noribergensi, tradidit, adiuncta dignitate Septemuirali.

Est verò totus Principum ordo coaliente graduum; atque officiorum distinctione, distributus, ceu in classes duas, quarum vna Ecclesiasticos, Politicos altera comple-

ctitur. Consilium huius distinctionis fuisse existimo, vt Ecclesiastici præcipuè res sacras tractando, administrandóque, & Christianæ religionis puritatem tuendo, simúlque consulendo: Politici, & consiliis, & armis rempublicam adiuuarẽt, & amplificarent. Etsi autem Episcopi in Germania, seu instituto, seu consuetudine veteri, gerunt dignitatem vtramque, imo exercent simul potestatem politicam, vsurpando ius gladij, secus quàm fit in Italia, aut Gallia, tamen, si metas sui officij, nonnulli, ex illis, considerassent: non, omissa, prorsus cura religionis, vnde doctrinæ sinceriores interitus extitit totos sese, Pontificum Romanorum exemplo, tum insatiabili auaritia, ad turpem rapacitatem, luxui, & splendori ipsorum suffectura, tum insana ambitione ad omnia imperij negotia, imo ad armorum etiam vsum, & bellandi consuetudinem, conuertissent. Quare, cùm horum negligentia, doctrina Christi collapsa esset, ac penè interiisset, amor gloriæ Dei, & æternę salutis desiderium, ad quam conditi sumus, coëgit pios Principes, postquam edocti essent, atque conuicti, euidentibus testimoniis, de veritate doctrinæ cœlestis, non refragari agnitæ veritati, sed suscipere, ex prescripto puriores doctrinæ, emendationem Ecclesiarum, etiam resistentibus Episcopis, cùm iubeantur id facere authoritate diuina.

Fuerunt tamen inter Episcopos olim multi præstantes viri, qui, cùm propter sapientię opinionem, authoritatem, eloquentiam, doctrinam, & vsum rerum, duces essent publici consilij, cæteris obtemperantibus, reuerentia ordinis, & donorum, quibus eminebant, Imperio sæpè in dubiis rebus, & grauissimis negotiis plurimùm profuerunt.

Sed ad Imperij ordinem redeo, in qua tota Comitum, vt vocantur, classis, Principibus, tota Abbatum Episcopis, ita seu annexa est, seu inserta, vt non singulorum singuli, sed duorum suffragiorum, Comites, vnius tantùm suffragij Abbates vniuersitius habeant, atque potestatem, in deliberationibus publicis.

Tertius est in Imperio, Senatus Ciuitatum Imperialiũ, quarum aliæ aristocraticæ sunt, aliæ democraticę, nonnullæ oligarchicæ, aliquæ mixtum quiddam habent, ex aristocratia, & democratia, sed ἀυτοτελῆ fiunturque omnes: quæ tamen, certis legibus circumscripta, pendet ex authoritate Imperatoris. Etsi autem et inter sese, dissimiles sunt immunitatibus, quòd vetere Romano more, aliæ municipiorum, aliæ sociarum ciuitatum gaudent iure: tamen nec suffragia

gia ferunt, nec dicunt sententias in comitiis, sed ferè, vbi quæ monenda, aut corrigenda esse cẽsent, exposuerũt. (Nã quòd ab his viri excellentes sapientia, & edocti rerum vsu adducũtur ad deliberationes, & in cõsilia adhibentur, magni fiunt earum sententiæ) deinceps à decretis, communi consensu, sese non seiungũt. Hunc ordinem, quo nihil potest cogitari concinnius, si quis à Deo profectum esse neget, quouis Cyclope fetior censendus est.

Siue igitur ab Ottone III. hæc forma Imperij instituta est tunc cum αὐτοκράτωρ authoritate, ac potestate Imperatoria, Germanis ἀξίωμα Imperij attribuit, atque addixit: siue posterius, ab aliquo ex successoribus, vel etiam ab ipsis principibus inter sese: cùm sit, & fuerit salutaris orbi Christiano, referatur ad regulas: Deus transfert, & stabilit regna. Itẽ: Vt oculus videat, & auris audiat, Deus facit vtrũque. Item: Qui dat salutem regibus. Item: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eã. Non enim sola sapientia humana, vel conduntur, vel reguntur politiæ: sed Dei auxilio opus est, qui adest inuocãtibus, suggerit consilia, flectit voluntates, vt salutaribus monitis cedant, & obediant, ac præstat euentus, qui prorsus non sunt positi, in sola potestate nostra.

Nec parũ profuit hæc constitutio, ad retinendam coniunctionem Italiæ, cum Germania. Etsi enim alij Imperatores aliis potentiùs Italiam tenuerunt, vt Ludouicus Bauarus, Carolus quartus, Carolus quintus: semper tamen pręcipua nobilitas, in maioribus, & insignioribus vrbibus, intestinorum dissidiorum conspectu, externæque, & nouę tyrannidis metu, & iusti, ac moderati Imperij memoria, atq; admiratione perantiquæ nobilitatis, ac præcellentis virtutis Principum Germaniæ, denique spe honorũ, opũ, ac præmiorum, & memoria iam perceptorum, partes, & authoritatem Imperatorum constanter sectata est, ac tutata vel cum iactura vitæ, ac fortunarum.

Ardebat tum Italia dissẽsionibus domesticis detestabili Pontificũ ambitione, distracta in duas factiones: Guelphi singulari officio, ac pietate colebant Pontifices, & horum efficta iura propugnabant: quibus populares familię, & plebs adhærebãt. Et defẽdebãtur vtrique à Gallis quos non tam religionis, quantumuis specioso nomine, quàm Imperij spe, in suas partes, contra Imperatores, Pontifices pertraxerant, eorúmque fiducia, non solùm veterum dissidiorum fouebant flammas, sed noua subinde bella in-

cendebant,in quibus toties deuastata est Italia,non lõgis interuallis,vt vix vnquã verè sese recollegerit:& eò maiore studio,has diss&siones, Põtifices domi aluerunt,vt his inuolueretur Germania,quam norant decus,& possessionem Imperij minimè esse neglecturam, cùm domi,nouis legibus,arctissimè,inter sese,deuinctæ,potentiam,aliter se languefacere,non posse,cernerent.

Germanis contra studebant,& adhærebant Gibellini in nobilioribus familiis,vel veteribus Longobardicis,vel recentibus Germanicis,pro emeritis stipendiis, benignitate Imperatorum,ad prçcipua dignitatum fastigia euecti,prçfectíq; prouinciis,nõ nudis,speciosísq; dignitatum nominibus,sed certæ potestatis legibus, & donati insuper prædiis,oppidis,portoriis,aquarúmque iuribus. Inde Vicecomitum,qui Mediolanum,tyrannis expulsis:Scaligerorum, qui Veronam: Carrariorum, qui Patauium:Bentiuolorũ, qui Bononiam rexerunt,origo est,& plurium aliorũ,quos prætereo. Scaligeris ortũ dedisse comites in Bauaria,nominis eiusdem,magno consensu traditum est. Habet enim Bauaria multas, antiquissimæ originis familias nobiles,inter quas primas facilè obtinet, stemma comitum Orteburgensium.

Ex his factionibus, feralia præcipuarũ,in florẽtissimis Italiæ,vrbibus,dissidia emerserũt, vt,odiis implacabilib.simultates exercerent Vrsini,& Sabellij,in vrbe Roma,cum Columnensibus,Frangepanibus,& Cæsarinis. Florentiç, Bondelmõtij,Amidei,Cerchij,Medicei,cum Vbertis,Donatis,Albiciis.Stroziis,Saluiatis,Paziis.Genuç Flisci,Grimaldi,Fregosij, cum Spinolis,Adurnis,Doriis. Bononiæ Caneduli,Pepuli,Maresc otti,cum Bẽtiuolis & Malueciis. Mediolani Vicecomites,cum Turregianis. Ferrariç Estẽses,cum Saliguerris. Mantuæ Gonzagæ,cum Bonacursiis. Lucæ Interminelli, cum Obiciis, & vniuersim Albi,cum Nigris,qui vtrosque colores distinxerunt.

Gibellini itaque,Cæsari Italiam intranti, præsto erant, nouósq; honores,& ampliores opes,perpetuis belli,togçque officiis promerebantur. Hos Pontifices,quibus potestant modis,& artibus,oppugnabant. Mox enim,post Fridericum secundũ extinctum, attraxerunt è Gallia,Carolum Andegauensem. Quæ res,Neapolitanum regnũ,perpetuis bellis implicuit : post crudeliter,& malitiosè interfectos optimos principes Germanicos,Gallis,Vngaris,Hispanis inter sese dimicantibus : donec,cæteris exclusis,regnum,

gnum, vario bellorum, & fortunæ euentu, soli Hispani obtinuerunt.

Etsi igitur Italia sæpe; externis armis, tentata est, præsertim Gallicis, nunquá diu tamen tulit alienos dominos: sed, aut defensa mansit in fide, aut superata tandem, illis vicissim excussis, rediit ad ordinariam potestatem, quæ Imperatorũ est, vincẽte fortuna causę, & partis melioris, scilicet nobilitatis, contra deteriorem, quæ Pontifices sectabatur, exceptis iis, quæ aut Venetorum, non tã armis, quàm astu intercepta, & alienata, aut Pontificum artibus auulsa, αὐτονομίαν amiserunt, ac desierunt esse sui, & publici iuris, sub iugum redacta, & in seruitutem.

Cætera regna iam olim à societate, & fœderibus Imperij discesserant, cui fuerant antea, certis legibus, aut subiecta, aut addicta. Frãcis præerat Ludouicus, cognomẽto Diuus, à religiosa pietate celebris, is, qui susceptis duabus cõtra Saracenos Ægyptios & Aphricanos, expeditionib. religioso quidem incepto sed exitu aduerso, in priore Damiatam vrbem, quæ est Pelusium, expugnauit: sed fratres, Carolum Andegauensem, atque Alphonsum, cũ progressi essent in Ægyptum longiùs, ab hostibus interceptos, restitutione Damiatæ vrbis redemit: in altera, Carthagine capta, Tunetum obsedit: sed ad eam vrbem peste grassante, ipse interiit circiter octauum Cal. Septemb. anno Christi, millesimo, ducentesimo, septuagesimo.

In Hispania, cæteros Christianorum regulos, claritate nominis, opum, ac potentiæ anteibat Ferdinandus, pater Alphonsi X. illius, qui, ex restitutis, magno sumtu, disciplinis mathematicis, atque arte medica, tantam est sapiẽtiæ opinionem, ac laudem consequutus, vt ad Imperium sit expetitus.

Vngariæ regnum administrabat Andreas, Belæ filius, cuius nomen, ex ductis in Syriam, & Ægyptum exercitibus, & ex tristi coniugis interitu, posteritati innotuit. Fuit coniunx Gertrudis nomine nata patre Bertholdo, ex veteri familia Andechsianorum comitũ in Bauaria, tũc Dalmatiæ, Histriæ, & Meraniæ duce (pro quo historici non rectè scripserunt Morauiæ duce) Matre Agnete, non Austriaca, sed Misnica, nata Dedone marchione Misniæ, comite Rochlicense: soror sanctæ Heduuigis, coniugis Henrici Barbati, Silesiæ ducis, & Agnetis, quæ Philippo, auo diui Ludouici, regi Franciæ nupta fuit. Huius Gertrudis visendæ gratia, cùm frater, post mariti discessum, venisset

in Vngariam,& ex consuetudine familiari,adamatam cõiugem Bancbani,præcipui gubernatoris,cui regni,& coniugis,ac liberorum curam rex demandarat, vel consensu, vel ope reginę stupraſſet: Bancbanus contumeliosam iniuriam vlturus,reginam obtruncauit.Ab hac cæde,eũ rex, è Syria reuersũs,publico iudico absoluit. Hoc exemplum memorabile est,congruens ad illa,in Areopago, celebratissima, veteribus, iudicia:quibus, propter similes cædes,iusto dolore patratas, authores,scilicet,Mars,propter Halyrrothoi cædem: Cephalus, propter interfectam Procrin vxorem:Dædalus,ob cædem Tantali: Orestes,quòd truncasset matrem Clytemnestram, non quidem à culpa omni,& pœna absoluti, sed pulcherrimo grauitatis,ac sapientiæ antiquæ exemplo,sententia suspensa ad quoddam tempus,fuêre reiecti,atque excłusi,ab hominum congressu,& consuetudine.

Nomen quod fuerit fratri Gertrudis, nõ reperio:sed Ottonem fuisse credo cuius filio Ottoni,postea, propter stuprum,in arce Nidena trucidato,hæreditatem,quę fuit amplissima,diripuerunt diuersi. Accessione enim Voitlandiæ, Episcopi nostræ Franciæ, & Burggrauius Noribergensis, aucti sunt.Quę Bauariam attigerunt,huius dux sibi vendicauit,Athesinum,& Tyrolensem comitatum, Menardus Carinthiæ dux:Histriam,Meraniam, & Croatiam, Veneti inuaserunt,de quibus,bellum eis mouit Andreæ filius, Bela,rex Vngariæ.Nata est his parentibus Andrea,& Gertrude,diua Elisabet,coniunx Ludouici Landgrauij Hassiæ, à pietate celeberrima fœmina, cui, ad pietatis tam acre studium:acerbum matris casum,& materterę Heduuigis exẽplum,plurimùm profuisse,non dubito.

Res Polonicas moderabatur Lescus,cognomento Albus: sed eæ iam tum partim principum agnatorum fatalib. discordiis,dilaceratæ, partim vicinorum Russorum assiduis incursionibus,& Borussorum defectionibus afflictę,ita lãguebant,vt Pomerania vltetior,Suantopolco duce,hoc ipso rege obtruncato, sese in libertatem asseruerit, & sui iuris esse cœperit:nec multò dost,Teutonici equites,à Cõrado Masouiæ duce,ad Borussos subiugandos, conducti, Henrico,nobili a Salza,magistro,Borussiam suam fecerint atque Imperio coniunxerint,Friderico secundo assentiẽte, Silesiam abripuerunt Boëmi:reliqua Polonia, cum vicina Russia, & Silesiæ parte, sit facta præda nouæ,& feræ genti Tartaricę.Deniq.,vt nobilissimum, & antiquissimum pristinorum

ſtinorum regum ſtemma,quod in eam gentem,& nomen regium,& Chriſtianæ religionis profeſſionem primum adduxerat, tandem & regno prorſus exciderit, & magnam reliquæ potentiæ partem amiſerit.

In Anglia,quæ dominos ſæpe ſuos,interciſa ſtemmatis linea,mutauit,rerum potiebatur Henricus tertius,ſecundi nepos.Ex huius abnepote Eduardo tertio, qui de Johanne Gallorum rege,& Caleto capto triumphauit, & ordinem equitum Garteriorum inſtituit, florentiſſimis bellica virtute,nataliúmque vetuſtate,viris,ſolenni ſacramento, ad mutuæ,perpetuæque amicitiæ fœdus,adactis, & ſymboli loco,periſcelide addita, vt ſiniſtri cruris ſuram, fibulata faſciola vinctam geſtarent:Ex hoc ergo nati filij,& nepotes,diuulſione regiæ ſtirpis,in familias Eboracēſem,& Lācaſtriam,funeſtis albæ,rubræque roſæ nominibus, & inſignibus diſtinctas, regem in contraria diſciderunt ſtudia. Nec ceſsatum eſt ab odiis mutuis,ac cædibus donec,Lancaſtria matre,Henricus ſeptimus natus ducta Eliſabetha, Eduardi quarti,Eboracenſis filia, vtramque familiā,commixtione ſanguinis,copulauit:cum originem paternā,non ad regiam ſtirpem Henrici tertij, ſed ad Colloualadrum, vltimum Britannorum regem,referret. Ne ſupereſſet autem,à quo metueret,id dedit operam, vt penitùs omnem regiam ſtirpem extirparet,ac poſteris ſuis regnum optima pace,nouiſque legibus,atque externorum regum amicitia, confirmatum,traderet.

Cenſentur autem,veterum Britannorum poſteri eſse,qui Walij,Germanico nomine,vocātur, & in continente Gallię Britonantes,quod hi ſe,inter ſeſe,intelligunt patrio ſermone loquētes,cùm neutros, vel Angli,vel Scoti,vel Galli percipiant.Neque enim dubium eſt,Anglos Saxones,ad quos inſulæ Imperium peruenit, vt ſupra diximus, linguam,habitum,moreſque Germanicos inuexiſse,& ex incolarum viciſſim ſermone,aliqua aſsumſiſse,atque ita,ex vtraque lingua corrupta,nouam, quæ etiam à veteri Saxonica diſcrepat,confeciſſe.

Scotia,crebra,ex cædibus inteſtinis, interregna habuit, donec,poſt atroces,& tragicos multorum tyrannorum interitus,regnū mutans,ad Stuardā domū, Danicę originis, deuenit.Cū enim,per annos mille,ſeptingētos,& amplius, reges numerent, ex veris annalibus, centum,& quinque, his quinquaginta,aut in bellis cecidiſse,aut inſidiis proceſſum,crudeliter interemptos eſse,reperimus.

Regna ārctoa, suos singula tunc habebant reges, quę interdum vni paruerunt, sicut nunc Danico, coniunctum est Noruegicum. Danicum administrabat Woldemarus secundus, cuius posteritas id tenuit vsque ad Ericum Pomeraniæ ducem, & Christophorum Bauarum, à quo peruenit ad duces Holsatiæ, ortos ex veteri stirpe comitum Oldenburgensium.

Suetiæ regnum, Suecos comprehendit, & Gottos gentes amplissimas, & antiquissimas prætérque hos, multos alios populos, longo, latóque tractu versus Boream, & solem orientem, vsque ad Russorum fines, aduersus quos, continenter bella gesserunt.

E Noruegia prodisse censentur Normanni, qui Franciæ partem obtinuerunt, & sæpe Britannos, hostilib. incursionibus, mari, infestarunt.

Boëmia nuper regia dignitate amplificata, parebat Wenceslao regi, à quo, frater Ottocarus, non multò post, regnū accepit. Talis fere fuit status rerum in Occidente, cùm Imperij Romani administratio tradita est adolescenti Friderico secundo, quem exceperunt magna certamina, sed cōsequuta sunt grauiora, adeò, vt ne Imperatorem quidem vllum admiserit discordia Principum, quę vnde extiterit, historiæ docent. Nunc & de Ecclesia paucula addam.

DE ECCLESIA.

POntifices Romani, vt dictum est iam olim, sua authoritate, non diuino mandato, & suis, non cœlestibus legibus, condiderant, non Ecclesiam catholicam, & orthodoxam Christo, sed Hierarchiam sibimetipsis, similem politiis descripto ex Diaconis vrbis Romæ, & vicinis Episcopis, collegio purpuratorum, in quod Nicolaus secundus, à populo Romano ius omne, atque potestatē eligendi Pontificem transtulerat, distributis ordine, in singula regna orbis Christiani, Episcopis, ceu ducibus, in prouincias, qui authoritate simili armati, & potentia politicis pari, aut maiore etiam iustr[illegible]ti essent, denique comparato satellitio innumerabilium Monachorum, velut exercitu. Hanc Hierarchiam finxerunt esse Ecclesiam, cuius authoritatem, cū falsò, & violenter huc detortis, sacrarum literarum, & probatorum scriptorum testimoniis, quę dignitatem Ecclesię Filij Dei amplificant, exaggerarent, tantum incusserunt terrorem orbi Christiano, vt ad mentionem nominis Ecclesiæ, velut ad caput Gorgonis, etiam summi Monarchę obstu-

obſtupuerint,attonitis ſimiles. Neque Eccleſiam tantùm, ſed & catholicam prædicarunt, hoc nomine indicantes, non cœtum diſperſum in totum orbem terrarum, & de doctrina,atque inuocatione Dei conſentientem,qualis eſt cœtus,catholica Eccleſia Chriſti, ſed hanc, ad ſedem Romanam alligatam Hierarchiam, quæ complexa eſſet omnia regna orbis Chriſtiani.

Vna tamen appellatione, quàquam obſcurè,monuerunt,quid intereſſet inter Romanam Eccleſiam,& cœtum ſeruientem Chriſto, quod Eccleſiam Romanam,non Eccleſiam Filij Dei appellarunt, quo ſolo, attentis,ſatis demonſtrarunt, ſui regni fundamenta, à fundamentis,quæ iecit Chriſtus, quibus ipſe, Spiritu ſancto,per vocem Euangelij, & miniſterium ſacramentorum, ſuperſtruit Eccleſiam, diuerſa eſſe.

Extant fundamẽta Eccleſię Chriſti,certis,explicatis,indubitatis,& immotis patefactionibus,declarata diuinitùs per ipſum Filium Dei λόγον,in ſcriptis Propheticis,& Apoſtolicis,quæ nituntur vera agnitione eſſentiæ,ac voluntatis diuinæ, vera Dei inuocatione, & vera erga Deum obedientia, in agnitione, & fiducia Mediatoris Jeſu Chriſti,qui eſt verus Deus, & verus homo. Et oſtendunt regnum Chriſti ſpirituale eſſe, atque æternum, non politicum:nec conſtitui, aut regi vi, aut ſapientia humana,ſed inchoari prædicatione Euangelij, in credentibus,& obedientibus voci doctrinæ.

Extant & Romanæ Hierarchiæ fundamẽta, ſancita decretis Pontificũ,& colorata intricatiſsimis,ac perplexiſsimis diſputationibus ſcholaſticorum, intérque ſeſe diſidentibus,vbique. Hæc,ſi conferantur ad fundamenta Eccleſiæ Chriſti, vel ad ipſam ſpeciem Eccleſię,quę ſępè deſcribitur,ſatis apparet,niti Romanam Eccleſiam, opinionibus nouis,& erroneis,abuſibus, idololatriis,ritibus,humana authoritate confictis,& cum opinione cultus,ac neceſsitate,receptis.

Fateri ſcholaſticos oportet, vbi multum ſeſe cruciarũt, alia eſſe analoga fidei,& ſcripturis, etiãſi metu ſupplicio-rum veriùs,quàm reuerentia ſedis Romanę, probãt contraria,eáque, cùm refragari veritati diuinę nequeant,ſolo titulo Eccleſiæ excusãt, quaſi aut poſsint eſse Eccleſia,qui ſunt ex profeſſo hoſtes veræ doctrinæ: aut etiam veræ Eccleſiæ permiſsum ſit, vel condere articulos fidei, vel ſtatuere aliquid,præceptis diuinis aduerſum. Expreſsè Paulus

teſtatur:Fundamentum aliud ponere neminem poſse,niſi quod eſt poſitum.Item: Si quis aliud Euangelium prædicauerit,anathema ſit.

Sed,quæ fuit Eccleſia,ſi Romana non fuit? Cùm quærimus Eccleſiam ſequentium temporum,vbi, & qualis fuerit, non intueamur, vt ſæpe iam monui, in hunc cœtum Pōtificum,Cardinalium, Epiſcoporum, collocatum in regno ordinariæ ſucceſſionis,faſcinatū erroribus, atque idololatriis,& cōtaminatum libidinibus,ac parricidiis,quibus & defenſa ſunt,& nunc ſtabiliuntur idola, etſi, ſacrosācto Eccleſiæ nomine, turpiter hi ſunt abuſi : ſed in hoc cœtu vera,& viua membra Eccleſiæ Chriſti fuiſſe, credamus illos,qui Deum rectè agnouerunt, & inuocarunt, cumque dolore ac gemitu,ad Deum, pro maiore,ac clariore luce, ſuſpirarunt, & toto pectore deteſtati ſunt idola, quorum multos fuiſſe,non eſt dubium,etiam inter Epiſcopos ipſos, & Monachos,etſi habuerunt errores aliquos,ſicut Eccleſia aliàs plus,aliàs minus lucis habet.

Tota Germania oppoſuit ſeſe impiæ prohibitioni coniugij,quæ decreta à Gregorio VII. promulgata à Moguntino,tantas,cùm proponeretur, in conſeſſu, turbas dedit, vt penè fuerit Moguntinus,rogator pontificiæ legis,interfectus. Grauiter contradixit Epiſcoporum accuſationibus, & poſtulatis,Otto Bauariæ dux, in Synodo Milfordiana, quæ fuit congregata contra Fridericum II. & vehementiùs multò, aliquantò poſt, inuectus eſt in ſcelera Pontificum Epiſcopus Tullenſis,qui fuit præpoſitus Tubingenſis, in Synodo Wirceburgenſi,imperante Rodolpho,cùm Honorius IV. miſiſſet in Germaniam Epiſcopum Tuſculanum,ad ferendas Imperatori leges iniquiſſimas. Sed hi ad tyrannidem tantùm & ſcelera Pontificum, ac flagitia reſpexerunt.Plures, ex priuatis, refutarunt idolomanias,& errores,de quibus ſupra dixi.

Sunt in manibus ſcripta ſcholaſticorum, qui in vno Magiſtro ſententiarum, velut canone, & norma fidei,explicando occupati,ne terram amittant,cœlo bellum inferunt, præferentes,ſententiis diuinis, Romana decreta. & teſtimonia ſacra,ſicubi poſſunt,ad decreta Pontificum, non è diuerſo, hæc ad illa inflectentes. Ex vna enim hac hypotheſi,detexunt vniuerſa:Nullum dogma recipiendum eſſe, inter articulos fidei,niſi ſit, aut expreſſe fundatum in ſcriptis Propheticis,& Apoſtolicis,aut approbatum ab Eccleſia, quo nomine Romam intelligunt. Altera pars diſiuncti-

iunctiuæ, manifestè falsa est, addita eo fine, vt confirmet errores, & idola Romanæ Ecclesiæ ipsorum etiam confessione. Etsi enim Ecclesiæ commendata sunt iudicia de dogmatibus, & delictis externis: tamẽ alligata est, ad normam certam scilicet, ad Euangelium patefactum, vt hoc sonet, & pronuntiet incidentibus controuersiis, quod vox Euangelij proponit. Nec propterea cõcessum est Ecclesiæ, aut fingere interpretationes falsas, quæ valeant, propter authoritatem ordinis, aut addere dogmata & numina, sicut omni tempore tyranni Pontifices, κακοζηλίᾳ iudiciorum politicorum, fecerunt.

Hoc, cùm animaduertissent recentiores aliqui, Occam, Gerson, & alij, offensi Thomæ, & Scoti paradoxis, vehementer sese torserunt, vt mediam quandam viam inter veritatem cœlestem, & Romana commenta, ingredientes, neutrobi impingerent. Sed non instituo hìc disputationem: tantùm moneo, vt à conspectu Monarchiæ Pontificiæ, & ordinariæ successionis, oculi animique abducantur ad inquisitionem, & considerationem verę Ecclesiæ, quæ non his, sed suis, ac propriis notis cognoscitur, vt professione veræ doctrinæ, vero vsu sacramentorum, & obedientia erga ministerium, vbicunque locorum sit. Deinde, vt consideretur, quantam exercuerint Pontifices tyrannidem, prętextu authoritatis Ecclesiasticę, quàm sceleratè hac, & turpiter sint abusi promiscuè, aduersus quoscunque, & maximè quidem aduersus summos ordines.

Pontificum enim, in Ecclesia Romana, studium omne occupatum fuit, hoc sequenti seculo, pertexendis iis bellis, quibus de sua tyrannide decertarunt cum Imperatoribus, inde vsque ab Imperio Henrici quarti, in annum ducentesimum. Deinde exigendis pecuniis ad potentiam, luxum, splendorem aulæ Romanæ, & condendis, atque extollendis legibus, quibus hæc vniuersa, velut vincta, fundarentur, ac solidarentur. Quare Gregorius nonus, quod nomen fatale orbi Christiano fuit, in Romana Hierarchia, inde vsque à Gregorio Magno, superstitionum architecto: Nonus ergo, vt Fridericum secundum, cuius reformidabat potentiam, ac præsentiam, astutè ex Italia pelleret, procul extrusum in Asiam, ad bellum difficile, ac periculosum, renouare, & exequi decretum consilij Lateranensis, de bello sacro, atque ad id gerendum, cum anathematis comminatione Imperatorem impellere cœpit, quo vix in Cyprum delato, ipse in appeti-

tam dudum mox Apuliam, inuolauit, à qua deinceps, cùm ex Asia reuersum, armis non posset, fulmine anathematis, noua Synodi, in Laterano, sententia, fabrefacto, atq: elisо, arcere conatus est, vt dicetur. Idem decretalium cõstitutionibus, quas, opera cuiusdam Raimundi Barchionensis congessit, Hierarchiam Romanam, ceu Adamantinis vinculis, ne, vt existimabat, vnquam conuelli, aut labefactari posset circũdedit, atque adstrinxit circiter annum millesimum, ducentesimum, tricesimum tertium.

Sequutus Innocentius quartus, contra eundem Fridericum, Lugduni Synodum coëgit, in qua reuocatum sub incudem, anathematis fulmen, quod in Laterano rudius formatum erat, tricipite cuspide exacuit, concitatis Hispanis, Gallis & Anglis. Germanos enim, multò ante, odio sui Imperatoris compleuerat. Formula extat in sexto decret. De sententia, & re iudicata. Idem, vt insignia certa, Senatum Cardinalium, à reliquo ordine Ecclesiastico, distinguerent, hos purpureis galeris ornatos, in albis equis eminere, ac conspici, & quia Mariæ virginis cultus quæstuosissimus esset, natalitia quoque illius, solenni festiuitate, celebrari voluit.

Non longo interuallo post, Gregorius X. instituta ibidem Synodo, vt accessione Græciæ, Romanam potentiam augeret, acciuit Micaëlem Palæologum Byzantinum, qui facilè paruit, non tam adductus religione, quàm spe auxiliorum, quibus fore sibi opus, ad retinendum Imperium, parricidio partum, intelligebat. In ea Synodo, vt dissidiis, inter Latinas & Græcas Ecclesias dirẽptis, Græcæ subiicerentur Pontifici, de processione Spiritus sancti disputatum est. Sed decretum repudiarunt Episcopi in Græcia cæteri, tanta vehementia, vt iis, qui cõsensisset, à societate Ecclesiarum suarum exclusis, denegarint officia, & honorem sepulturæ. Actum verò precipuè est, de bello sacro, cuius persequendi prætextu, Pontifex, ab ordine sacro, decimas vniuersorũ redituum, in annos quinque, exegit: imperatori Rodolpho Exarchatũ Rauennatensẽ, qui Romãdiola est, & penè quicquid Imperatoribus reliquũ fuit, extorsit.

Hæc Rodolphi concessio, etsi tunc aliquantulum placauit Pontifices, bella tamen nondum ita sopiuit, ne recrudescerent. Nam quàm primùm in Italiam ingressi essent Henricus Lucelburgensis, & Ludouicus Bauarus, furor Põtificum in hos, nihilo mitiùs sese, quàm in priores commouit, & effudit. Nec contenti fuerunt Italiæ Imperio sed occa-

sed occasiones etiam quæsiuerunt, quibus & Francico regno compedes, ac vincula iniicerent, & summi Senatus septemuirorum authoritatem, & potestatem in Germania, infringerent.

Franciæ regnum tentauit Bonifacius octauus, imperata pecunia ad bellum sacrum: quam, cùm pendere recusaret Philippus rex, Pontifex furore percitus, regnum illi abrogatum, sedi Romanæ asserere, tonare, fulminaréque, & subditis, ne excommunicato parerent, præcipere, atque Albertum Austriæ ducem, qui recèns Imperium obtinuerat, in eundem incitare cœpit, vt cum Francis Germani, nouo bello, committerentur. Et sperabat se, alienatis à Philippo subditorum animis, intérque sese distractis, effecturum in Gallia, quod maiores perfecerant in Germania. Sed fraudulentas machinationes rex, præoccupatis, atque obfirmatis suorum animis, anteuertit, ac pessundedit, ipsúmque authorem, opera Sarræ Columnij, exulis, & Longarecij equitis Franci, Anagniæ comprehensum, in carcere necauit: exemplo vindictæ in Pontificem maximum, nouo, sed iustissimo. Hoc enim cupiditas Pontificum sic fuit restincta, vt Galliam appetere desierint.

Parentatum Bonifacio ferunt hoc epitaphio: INTRAVIT, VT VVLPES: REGNAVIT, VT LVPVS: MORTVVS EST, VT CANIS. Deiecto enim per fraudem Cœlestino quinto, irrepsit in Pontificatum in quo exercuit, quicquid cogitari potest, sceleratæ crudelitatis. Idem sextum decretalium librum corrasit, & Synodi Lugdunensis sententia, ratum fecit.

Qui antecessit eum, Honorius quartus, non contentus decimis, quas Gregorius imperarat, quartas annorum redituum flagitauit.

Sequutus eundem, Clemens quintus, sese pinxit in suis Clementinis, etsi reuocasse eas, & combussisse, scribitur. Idem, cùm iam antea plena essent templa Missis theatricis, quæ impio, & profano ritu, contra institutionẽ Cœnę Dominicæ, mercede celebrabantur, & applicabantur pro viuis, & mortuis, & dominaretur vbique ἀστολατρεία, ita vt fierent concursus, & dirigeretur adoratio ad panem, post consecrationem, eleuatum, repositum, atque conclusum, quem, à commentitia oblatione, hostiam nominant, & aleretur, ad ædiculam, ignis perennis, vt olim in templo Delphico, tanquam ad peculiare numen. Ne quid ergo deesset ad perfectii idoli rationem, insuper indictas, anno

milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo quarto, ab Vrbano quarto, inſtinctu Thomæ Aquinatis, πανηγύρεις, & deſtinatas feſtiuitates, pompas, circumgeſtationes, Synodi Viennenſis authoritate, ſanciuit. De eodem enim, iampridem aliquid ſtatutum erat, ab Innocentio tertio, in Synodo Lugdunenſi, in qua & pro Magiſtro ſententiarum, contra rectiorem ſententiam abbatis Ioachimi, de eſſentia diuina generante Filium, falsò pronunciatum eſt. Decreti formula extat in principio decret. titulo, de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

Sæpe mihi cogitanti de Turcica tyrannide, déque tantis ſucceſſibus blaſphemiæ, & obſcœnæ gentis, venit in mentem horum temporum, atque huius idoli: cuius, vt totius regni Pontificij neruus eſt, commentum de pane abiiciente naturam, ad pronunciationem verborũ κατ' ἐξουσίαν. Sic enim nouo nomine rem nouã, & veteri Eccleſiæ inauditam, architectis illis appellare libuit.

Decretum hoc factum eſt, in magna Europæ perturbatione, anno milleſimo, trecenteſimo, decimo quinto. Eo ipſo tempore, vires rurſus acquirere, & confirmari in Aſia cœpit gens Turcica, Ottomannicæ familiæ ducibus, quæ armis Tartaricis repreſſa aliquandiu, ſeſe continuerat. Ac propemodum initia monent, hanc Turcicam rabiem & crudelitatem, pœnam eſſe multiplicium delictorum, quæ decretum illud peperit, quod neruus eſt impij quæſtus, quem attulerant Miſsæ theatricæ, & opulentiæ, ac luxus ſacerdotum.

Præcedebat reges Perſicos, equus gerens paruam aram, in qua, inter modicos cineres, refulgebat flammula ſacri ignis, quem Oriſmada nominabant. Hunc ceu numen colebant, & adorabant Perſæ. Vt igitur rex videretur auguſtior, & vnà cum præſenti numine adoraretur, quod illi genti vſitatum erat, cum hac pompa prodibat in publicum. Ita nunc Pontifices Romanos antecedit equus gerens panem conſecratum. Hoc Symbolo agnoſci, conſpici, ac coli volunt, in pompis publicorum ſpectaculorum, tanquam terrena numina. Neque, exemplo regum Perſicorum, admittunt vllos: niſi qui geniculatione ſupplici, ad genua deuoluti, pedes deoſculantur. Introductam à Pontificibus idolomaniam, ſuperſtitioſa amentia, amplexæ gentes cæteræ orbis Chriſtiani, cultum conſecrati panis eò vſque adauxerunt, vt in Eccleſia penè ſolus regnarit, & in templis, ſeſe idolum hoc, operosè, ac ſumtuosè, extru-

extructis pyramidibus, incluſum, ſupra reliqua idola, ſuperbiſſimè extulerit, atque oſtentarit.

Hic ipſe Clemens quintus, diſceſſu ſuo ex vrbe, & tranſlatione ſedis in Galliam, vbi per annos ſeptuaginta quinque hæſit, cauſſam præbuit diſſidiis de electione Pontificum; quæ, cùm vno tempore, quandoque duo, interdum tres, diuerſis in locis, & diſcrepantibus ſuffragiis, electi, de Pontificatu, vi, & fraude contenderint, prorſus furiali ambitione, & pluſquam Cyclopica fetitate, tantas dederunt in orbe Chriſtiano turbas, vt nõ modò Italia, his diſſidiorũ impulſibus, velut terræ motu aſſiduo agitata, intérque ſeſe colliſa, tremuerit, quaſi iam iam ruitura: ſed & Imperatoribus ac regibus cæteris, occupatis cura componendorum diſſidiorum, vires Occidentis conſumtæ ſint, Turcicæ inualuerint.

Piſana Synodus, duobus Pontificibus ſolio deiectis, deſignauit tertium Conſtantienſis, quæ Boëmos martyres exuſſit, & laicis calicis vſum in Cœna Dominica ademit tribus deturbatis, quartum dedit.

Sequuta Baſilienſis, cùm Pontificem ſententiæ Synodi ſubiecciſſet, fecit inclinationem aliquam tyrannidis Pontificiæ: quo animaduerſo, Eugenius Ferrariam, inde Florentiam Synodum reuocauit, neglectis iis, qui Baſileæ conuenerant.

Florentina itaque, magna contentione id egit, vt Græcis perſuaderet, inter cætera, aniles fabellas de purgatorio, & vt Romanum Pontificem agnoſcerent eſſe οἰκουμενικὸν. Aſſenſerunt, qui adfuerunt, Iohannes Palæologus Imperator, Conſtantinopol. Patriarcha, & aliquot Græci Epiſcopi, atque inter cæteros Beſſarion: dogma tamen de abiectione naturæ panis, cuius tunc etiam fuit flagitata approbatio, prorſus repudiarunt. Ab his, domum reuerſus Marcus Epheſi Epiſcopus, cum multis aliis aduerſatus, rem deduxit eò, vt conceſſa, & approbata cogerentur retractare, & irrita declarare. Fuit enim ante hæc tempora, in Græcis Eccleſiis, plus eruditæ, & ſolidæ doctrinæ quàm in Romanis. Et poſterius etiam, ipſa Græca Eccleſia, etſi ſuis, iiſque multiplicibus eſt erroribus contaminata, plus tamen puritatis retinuit, quàm Romana; quanquam in triſtem ſeruitutem, & tetram barbariem Turcicam coniecta, quod quidem factum eſt, mox poſt reditum Imperatoris, Byzantio à Mahomete expugnato. Nec paucos, ex illis ipſis erroribus, quibus obnoxia eſt, contraxit contagio

quodam vicinitatis, per Monachos à Romana.

Denique deuentum erat eò, vt Pontifex proclamaretur dominus regnorum mundi, & pronunciaretur, necessarium esse ad salutem, credere, quòd oporteat omnes homines Pontifici Romano subiici. Si quis verò id negaret, is declararetur hæreticus; quod accidit Petro de Vineis, Friderico imperante; & propemodũ eodem modo, Marsilio Ficino, Wilhelmo Occam, & aliis, Ludouico Bauaro imperante. Deinde, vt disputaretur etiam de authoritate Synodi, & Pontificis, vtrius maior sit, & an Pontificis inferior esse debeat authoritas, quàm Synodorum, quem cõueniat esse ἀναμάρτητον καὶ ἀνεξέταστον, quod propter locum, & munus, quod gereret, errare non posset.

Extant hæc in decretalibus, Epistolis Gregorij, in sexto Bonifacij, in Clementinis, & extrauagantibus. De harum quęstionum posteriore, tetulit sententiam Synodus Basiliẽsis, & Pontificem censuræ Synodi subiecit, quod decretum cùm ratum fecerit Nicolaus quintus, secuti alij, rursus id labefactarunt. De altera, miror Pontifices encomium τῆς εὐχαριστίας τῷ κόσμῳ affectasse, quod nouerunt tribui Diabolo, hosti filij Dei & Ecclesiæ, ab ipso Filio Dei. Si consultò id factum est, ingenuitatem laudo, quod vsurparet titulũ non erubuerint, illius, cuius gesserunt vices. Si incogitantia, stoliditatem accuso, quod cùm religioso prætextu, & simulatæ humilitatis affectione, pleraque velare studuerint, hac in parte, ambitionem suam quod non texerint, aut pinxerint callidiùs.

Eadem Basilienſis Synodus, designato contra Eugenium quartum, nouo Pontifice, Fœlice quinto, ex Allobrogum stirpe, nouum schisma commouit, quod tandem sopiuit Fridericus tertius. Sed de his suo loco.

Hæc, etsi natura ab hoc genere scriptorum abhorreo, commemorare me tamen, sicut gesta sunt, fides historica cogit, quæ fierent illustriora, si ex doctrina sacra, & pontificia adderetur integra antithesis regni Christi, & Hierarchiæ Romanæ, quæ quidẽ ostenderet, iustas nos habuisse causas discedendi à Pontificibus. Non enim, vt nonnulli putant, tantum corruptos mores sacerdotum, & Pontificum flagitia reprehendimus, quorum emendationem, scimus, intelligentes omnes, etiam inter ipsos, seriò desiderare, & flagitare: sed titulum eis Ecclesiæ Christi detrahimus, eò quòd discesserunt à fundamento Christi, & Apostolorum, & verè iudicamus religionem Romanam esse abo-

se abominationem desolationis, de qua vaticinatus est Filius Dei, id est, idolum, quod effecit vastationem vniuersalem in Ecclesia.

Consistit autem in quatuor maximis erroribus, quorũ primus est; quia debet dubitationẽ de lege, & iustitia fidei, & præcipit dubitationem; de quo fonte scaturiit totum chaos errorum pontificiorũ, & idololatriæ. Secundus est, quia merita, & cultus Filij Dei proprios, transfert in adorationem, oblationem, & applicationem panis consecrati, pro viuis, & mortuis ex opere operato, in Missa theatrica, & extra Missam, cùm beneficia Filij Dei applicet sibi vnusquisque, non nisi fide propria. Tertiò, quia inuocationem soli Deo præstandam, Ethnico more, dirigit ad homines mortuos. Quartò, quia ritus humana authoritate institutos, vt vota monastica, & similes innumeros, cum opinione meriti, cultus, ac necessitatis, anteponit pręceptis, ac requisitis lege diuina operibus, voce diuina expressè docẽte: Frustra Deum coli mandatis hominum.

Hos errores, ne nunc quidem pingere, ac defendere, imò, & parricidiis stabilire desinunt; quanquam clarissima luce veritatis reuicti, atque cõdemnati. Nõ enim propter ordinariam successionem, aut propter conseruatos libros Propheticos, & Apostolicos, Pontifices, & Episcopi nunc magis sunt Ecclesia, quàm fuerũt propter easdem caussas, sacerdotes impij, in populo Israëlitico, Prophetarũ, Christi, & Apostolorum seculo, cùm doctrinam his comprehensam aboleuissent. Non potest enim esse Ecclesia in illo cœtu, qui retinet, & pertinaciter defendit idola, & errores contrarios fundamento. Vtinam verò, ad huius partis tractationem, Deus seruasset sanctissimæ memoriæ, Philippum Melãchthonem, socerum, & patrem meum, quem posteritas in hac historiarum parte, sæpè est desideratura. Etsi enim eruditè de his, multa disputauit, & scripsit alibi, quæ grata posteritas celebrabit; tamen, in hoc argumento historico, temporum, & rerum occasione, singula fuisset demonstraturus euidentius, & illustraturus, quæ fortassis multis bonis viris, eam, quam adhuc de Romana Hierarchia, circunferunt, persuasionem, moti pulchritudine ordinis, ac disciplinæ, exemissent.

Fatemur nihil pulchrius, nihil dulcius esse harmonia ordinis, & εὐταξίᾳ, nihil contra deformius, ac pernicioſius confusionibus, & ἀταξίᾳ. Et, quod Plato de œconomia ait: τάξεως καὶ κόσμου τυχεῖν οἰκίαν χρήσιμον αἱρετέον· ἀταξίας δ' μηδέν-

ex. Id multò magis de Ecclesia, & republica, verum esse agnoscimus, & experimur. Et vt tyrannidem in Ecclesia, sic ἀναρχίαν, & disciplinæ laxationem execramur, cum vtraque aboleat iudicia, ne refutari errores possint. Sed quare caussa horum malorum, in doctrinam cõfertur, aut in eos, qui impias, & tyrannicas leges Põtificum excusserunt, cùm ab ipsis Pontificibus, & Episcopis extiterit, qui conseruare, & tueri hũc ordinem potuissent, si rectè monentibus obsequuti, pro erroribus, & idolomania, puritatem doctrinæ, & cultuum restituissent. Solent mutationes omnibus rebus humanis accidere, quæ caueri, humanis consiliis, non possunt. In talibus bene agi nobiscum putemus, si sapientia, & moderatione mitigari possunt, cúmque non contingit ὁ ἐξ ἀρείας πλέος, vt dicitur, decebat sapientes, non iracundia, odiis, pertinacia, augere reipublicę difficultates: sed tentare δεύτερον πλέυς & sua æquitate, lenire incommoda, & sanare rempubl. Vidimus quantam ruinam, etiam bonarum rerum, traxerit hæc mutatio: sed cùm fuerit Ecclesiæ opus emendatione, cúmque aliqua ex parte mutatio incidisset, cur non dederunt operam, vt saluti omnium gentium consuleretur, cùm id fuerit officij ipsorum. Hærent igitur hæc mala, quæ ex mutatione natę sunt, non nostra culpa, sed scelere illorum, qui lucem veritatis ferre nequeunt. In his prolixior esse, hoc in loco, desino, & accedo ad Friderici secundi historiam.

FRIDERICVS SECVNDVS.

POntificibus ad eam tyrannidem, quam multiplicibus sceleribus, multo sanguine, & quod tetrius est, horribili, & nullis vnquam cruciatibus expiando abusu, nominis diuini, prætextúque, in orbem Christianum obtinuerant, nihil deerat, præter integrum, & confirmatum Imperium Italiæ, de quo, cum Imperatoribus, fraude simul & armis, non suis, sed alienis contendebant, iam longo tempore. In hanc vnam itaque curam, tutis viribus, incumbebant, vt omnem Italiam veterem, quam ad Calabros, Apulos, & Brutios, mari circumfusam, ad Picenum vbi Romandiola est, amnis Rubico claudebat, ac disterminabat à Gallia Cisalpina, versus Alpes, quo iure, quave iniuria, adiicerent Imperio vrbis Romæ, de quo iam Imperatores excluserant, atque ita, veterum Romanorum exemplo, Italiam omnem complexi cæteris gentibus iam ante, præceptis, obseruatisque, commentitię religionis, redactis sub iugum, atque obstrictis: deinceps, quas vellent leges,

leges, ferrent, & has, qui vel recuſarent, vel violarent, iis infligerent pœnas. De Gallia Ciſalpina verò, id eſt, de Lõgobardia, committerent inter ſe Germanos, Gallos, & Venetos, donec continuitate bellorum fatigatis, & fractis vniuerſis, hac quoque, ſine armis, potirentur.

Hæc pontificum cupiditas vna fuit, & veriſſima, ac proxima cauſſa eorum omniũ malorum, quibus cum Italia, huc vſq; conflictata dedit pœnas, partim idololatriæ, partim Epicureæ ſecuritatis, καὶ ἀθεότητος, ac libidinũ: etſi alij alias θεοφάσεις καὶ δόγματα, ad grauandos Imperatores, & decipiendos imperitos, quorum animos Eccleſiæ nomen tenuit faſcinatos, prętenderunt. Hęc enim, & feralibus compleuit diſcordiis Italiam, diuulſam in exitiales factiones, & bella accendit funeſtiſſima, impulſis ad defectiones vrbibus Italiæ, & armatis, attractis, atque exaſperatis gentibus externis. Nam, quod moliebantur, nunquam ſeſe perfecturos, nec diu, quam adepti erant authoritatem, ſe cõſeruaturos eſſe, norant, niſi prohiberent, quantis poſſent conatibus, ne Imperatores in Italia creſcerent, ac confirmarentur. Porro, conceptam ex inani cupiditate, aduerſus hos, rabiem, nullus vnquam calamitatum, quæ bella adferunt, ſenſus, conſpectúſque, nulla effuſi ſanguinis copia, reſtinguere potuit, ac lenire. Non enim deduci res ad pacificationes, & componi bella permiſerunt prius, quam concupita, vel omnia, vel aliqua extorſiſſent. Neque vt nunc faciunt Pontifices, id operam dederunt, vt proferrent, & efferrent ſuos ditatos opibus publicis, ſed vt hoc regnum ſtabilirent, & amplificarent.

Horũ cõſiliorum, & conatuum teſtes ſunt hiſtorię, hactenus recitatæ, & quæ ſequentur. Otto Brunſuicenſis ingreſſus in Italiam cum exercitu, hanc aſſerebat Imperio, occupato, ex vna parte, agro Piceno, Vmbris, & Samnitibus, vbi Exarchat⁹, ſeu Romãdiola, marchia Anconitana, & aliquot aliæ ditiones ſunt, ad Apenninũ, ex altera parte Hetruria: quæ iam olim appetiuerant, atque inuaſerant Pontifices. Hinc progreſſus, Apuliam etiam & Calabriã, Imperij prouincias, quas ſæpè auellere ab Imperio, & Eccleſiæ, vt vocant, ſubiicere tentarant, repetebat, vt iura Imperij defenderet, non vt Fridericum excuteret, quem prætextum callidè Pontifices, ſed falsò, ad ſuas molitiones pingendas, excogitarunt. Cùm ergo penè tota Italia, deditione ſpontanea, in fidem accepta, videretur Pontificum potentiam in anguſtum eſſe coacturus:

Innocentius tertius id metuens, quod repellere victorem, tam subitò, armis non posset, telum anathematis, in quo vno, dũ tenuit animos superstitio, salus ipsis omnis reposita fuit, more maiorũ, arripuit. Huius impetu, cùm esset, ob insitam animis superstitionem, formidabile, citò eum, § non tantùm tota profligauit Italia, sed prorsus euertit, ac prostrauit. Principibus Germanicis incitatis per Moguntinum, qui præcipuus in Germania administer tyrannidis pontificiæ, & decretorum iniustorum exequutor fuit, vt reiecto Ottone, accerserent ad Imperium Fridericum Barbarossam, ex Henrico filio nepotem, cui puero, ante Philippum, & Ottonem, Imperium desponderant, & confirmarant.

Fridericus ergo euocatus ad Imperium ex Sicilia, quanquã repugnantib. vxore, & Siculi regni proceribus, assensit tamẽ, & legatos, qui missi erant, vt adducerẽt ipsum, secutus, per Tridentinã vallem, & Rhæticas alpes, peruenit in Germaniã, anno Christi, millesimo, ducentesimo, decimotertio. Ibi à suis excepꝰ, & iustis copiis instructꝰ, mox recepto Brisaco, Haganoa expugnata, & Ottone procul in Saxoniam pulso, omnem ad Rhenum Germaniam, magna celeritate occupauit, cúmque ad Aquisgranum coronatus esset, quo minus metueret, muniuit sese fœdere, & societate vicini regis Franciæ, Philippi.

Etsi autẽ Otto, paulò post, reparatis viribus, Belgicum aggressus est, & Aquisgranũ obsidione cinxit, tamẽ Francis armis depulsus, & ad extremas redactꝰ angustias, abiecta spe Imperij, reliquum vitæ transegit priuatus. Fridericus reliquias belli, non magno negocio confecit, & extinxit. Henrico Brabantiæ duce ad faciendam deditionem, adacto, quibus postularet victor conditionibus. Belgicóque, & Lotharingia ad Imperium reductis, & receptis Colonia, & Aquisgrano, vbi denuò eum coronari Pontifex voluit, & obligari iuramento, vt quàm primùm pacasset Germaniam, viribus, quãtas comparare posset, traiiceret in Asiam, ad recuperandam terram sanctam: in quibus omnibus, aliud nihil spectatum fuisse, cõsilia docent, & exitus: nisi vt Imperatori, procul extra Italiam relegato, & ex vno bello, ac diserimine in aliud coniecto, districto, & ex vno bello, ac diserimine in aliud coniecto, districtóque, ac detento externis armis, Pontifex domi, hæreditatẽ protinus eriperet, & facultatem adimeret, quandocunque rediret, in solo Italico consistendi. Quam ob causam, mox initio, ad capescendum Imperium in Germaniam

maniam profecturo, denegarat renunciationem, iam ante factæ electionis, atque approbatæ, blanda, atque insidiosa elusione, ne, ad confirmatas in Italia vires, accederet publicæ, & ordinariæ authoritatis suffragium. Sed tamen, vt videretur bellum sacrum seriò expetere, & vrgere, congregata Synodo Laterana, de hoc bello præcipuè, & tractauit, & decretum fecit: quod cùm promulgatum esset, concitata, & coacta est magna, sed imbellis multitudo, quæ symbolo crucis, religiosam militiam professa, ad iter in Asiam sese accinxit.

Interea Innocentius Pōtifex, etsi donatione comitatus Fūdani, in regno Neapolitano, delinitus, se declaraturum Fridericum Imperatorem, annuerat: tamen potestatem Imperatoris omnem, paulatim in se transferre, & exercere cœperat per omnem Italiam, vt non obscurè præ se ferret, quid haberet in animo: sed, dum proficiscitur, ad componenda bella, inter Pisanos, & Genuenses, quibus inuoluta erat tota Longobardia, Perusij, morbo victus expirauit. Promissum Innocentij, tandem successor Honorius, anno millesimo, ducentesimo, vicesimo, die vicesima secunda Nouembris, exequutus est. Ad hāc declarationem, rediit Fridericus in Italiam, rebus patriæ pacatis. Ibi, cum incitatione, & persuasu Pontificis, proceres aliquot Thusci, & Apuli, sociis Episcopis, deserta, ac prodita fide erga Imperatorem, inuaderent, quæ & imperij erant, & hæreditaria Fridericī, atque ex his quædam occuparent, alia deprædarentur, & exurerent, irritatus perfidiosa iniuria suorū, ad arma venit, prosperéque debellatis hostibus Episcopos sacro ordine motos, deiecit Episcopatibus, aliis in locum surrogatis, suo consilio. Repetebant enim Imperatores antiqua iura, de quibus certauerat Hēricus quartus. Cæteros, qui elapsi, confugerant ad Pōtificem, seditionis authorē, exutos dignitate, & bonis, cōdēnauit ad perpetua exilia. Hos, cū restitui in integrū Pōtifex postulasset, Imperator verò generosa, & graui oratione, recusasset, magno, & irato animo inuectus in ambitionē, superbiā, furta, rapinas, fraudes, & machinationes Pōtificū, cuius orationis capita extant, exarsit contentio in horribilia odia mutua, quæ tandem in exitialia sese bella effuderunt.

Ab his motibus extitit ἀφορμὴ, & πρόφασις prima, earum molitionum, quibus Fridericum, & posteritatem eius, vt auum, & Henricum quartum, Pontifices oppugnarunt, & exagitarunt immanem in modum, initiò concitata, ad se-

ditiosas defectiones, & commota tota Italia, deinde cùm vinceret fortuna Imperatoris, allectis, spe regni Neapolitani, Gallis Andegauensibus, à quibus posteritas Friderici deleta est. Sed verum αἴτιον, vt dixi, fuit, insana cupiditas Imperij, & odium, ac metus potentis vicini.

Quod ergo Imperator iustè puniuisset seditiosos, quos ad eas res mouendas incitarat Honorius, astutè imitatus eos, qui anguillas piscaturi, aquas cœno turbant, id ergo meruit Imperator, vt hostis Ecclesiæ declararetur, & anathemate feriretur, quo exciti in Sicilia Saraceni, concurrerunt ad arma, Imperium regis excommunicati abiecturi. Relicta ergo Italia, traiecit in Siciliam, ac seditione repressa, cùm coniugi Constantiæ, ex Arragonia stirpe, quæ tertio Calend. Junij, anno millesimo, ducentesimo, vicesimo secundo, in viuis esse desierat, iusta persoluisset, inde mox in Germaniam sese recepit, vbi conuocatis Wurceburgum Principibus, molitionum pontificiarum metu, de horum consensu, Henricum filium, natu maximum, consortem Imperij fecit: sed hunc postea, ob affectatum, se absente, Imperium, Pontificum impulsu, & solicitatas vrbes Lõgobardicas ad defectionem, de sententia procerũ Germanicorum, perpetuis carceribus addixit, cùm liberis geminis, apud Marturanum Calabriæ oppidum.

Dissidia hęc inter Imperatorem, & Põtificem, Johannes de Bregna, rex Hierosolymitanus, leniuit aliquantulum, non sustulit, exaggerata Pontifici periculorũ in Asia magnitudine, post expugnatã, magna difficultate, Damiatã, & res, ambitione legati Pontificij, adductas in summum discrimen, in quo, nisi Suldano restituta Damiata fuisset, periisset exercitus, obrutus aquis Nili, arte tumefactis. His periculis emolliuit, ac flexit nonnihil Pontificem, vt, de ambitiosa pertinacia, cederet aliquid, reipublicæ caussa. Despondit verò & Friderico Iolem filiam, addito dotis loco, regno Hierosolymitano, obligatóque hac sponsione genero, vt mox à nuptiis, dux belli sacri proficisceretur ad vrbem recuperandam, ac vindicandum, contra Saracenos, regnum. Quod se facturum Imperator cùm recepisset, filium Henricum in Germaniam ablegauit, vt indicto conuentu, de consilio patris, ad Principes, frequenti Senatu, referret, & horum opera, atque auxilio, necessaria ad expeditionem compararet, conscriptis atque armatis copiis, ducibúsque delectis, quorum præcipuus fuit Ludouicus Turingiæ Landgrauius, maritus S. Elisabethæ. Id factum

ctum est, anno Christi, millesimo, ducentesimo, vicesimo quinto.

Ipse etiam, ne quid negligeret eorum, quæ ad publici status firmitatem, & incolumitatem facerent, se absente, principes Germaniæ Cremonam euocauit, ad deliberationem de Imperio, cùm relinquere tutò Italiam non posset. Quod, cùm suspectum haberet Pontifex, eõmota Longobardia, congressum impediuit. Ea res institutę expeditioni moram: Pontifici nouam, sed hoc cosilio quæsitam ἀφόρμην attulit, ad Imperatorem exagitandũ, quam, Honorio extincto, non neglexit successor Gregorius IX. Hic nullo odij erga Imperatorem, nullo machinationis genere inferior maioribus, præter adiumenta vesanæ ambitionis, & nefandæ malitiæ, nomen etiam ad Pontificatũ attulit fatale Ecclesiæ, & Imperio Romano: à Gregoriis enim, quinto excepto, illata sunt præcipua & Ecclesiæ Christi, & Imperio detrimenta, inde vsque à Gregorio Magno. Grauiter ferebat Gregorius, Imperatorem perpetuò hærere in Italia, intentum in omnes ipsius technas, & artificia, cúmque sciret eum, per Henricum filium, magna cura promouere, in Germania, apparatus bellicos, tamen de industria moras nectere, quæreréque dilationes, & effugia criminabatur.

Postquam autem conuenissет, Brundusij, magna multitudo sacrorum militum, ex diuersis gentibus, sed ex Germania maxima, duce Ludouico Landgrauio Turingiæ, & Imperator primò detentus inualetudine affecti corporis, ex aeris inclementia, quæ & Landgrauium, cum multis aliis, absumpsit: deinde inter Peloponnesi, & Cretæ angustias, contraria vi ventorum, repulsus, aliquandiu Brũdusij subsitisset, ibi demum in Imperatorem detonare minis dirísque Pontifex, & crimina periurij, adulterij, sęuitię in vxorem consingere, próditæque, ac perditæ Damiatæ culpam conferre, próque his anathema denunciare, pœnas exigere, ad arma conclamare cœpit, accito in Romandiolam, Exarchi titulo, socero Imperatoris, Johanne Bregna, & comitibus Thusciæ, ac Longobardiæ vrbibus iussis arma expedire.

Imperator, crimina obiecta coram diluturus, Principes Rauennam euocauit, sed conuentu impedito tumultibus Longobardicis, cùm scripto mendacia refutasset, & classem refecisset, satisfacturus promisso, soluit Brundusio tertio Idus Augusti, anno millesimo, ducentesimo, vicesimo

octauo, præmisso cum maxima copiarũ parte, Reinoldo Bauaro equitum magistro, & Italiæ gubernatione commissa Reinoldo duci Spoletano. Quòd verò nec salutato Pontifice, nec expiata offensa, abiisset, demum Pontifex, dolore contemti anathematis, in eum exarsit furorem, vt in Syria exercitibus Christianis præceperit, ne Imperatorem sequerentur, & protinus, illo vix digresso, fœdarum harpyarum more, in appetitas dudum regni Neapolitani terras, inuolarit, & reliquam Italiam tumultibus compleuerit.

Imperator, secunda nauigatione, per insidias templariorum, delatus Ptolemaidem, & ab exercitu, nihil immutato, Pontificis calumniis, exceptus cupidissimè, inducias pepigit, cum Suldano, in annos decem, optimis, & honestissimis conditionibus, recepta, ex transactione, sine cæde, Hierosolyma captiuis omnibus, sine precio impetratis, & regni possessione occupata. Cúmque refectis oppidis Nazareth, & Joppe, militéque, & commeatu instructis, cætera regni constituisset, & probè contra hostes obfirmasset, redit in Italiam, dissimulatis iniuriis, quas pertulisset absens. Ab hoc tempore, qui Siciliæ regnum possederunt, Hierosolymitani regni nomen, & insignia simul vsurparunt.

Sed ne sic quidẽ placato vti Põtifice potuit, nec qui sese interposuerũt, Germaniæ Episcopi, & Principes, Leopoldus Austriæ, Otto Meraniæ, Bernhardus Carinthię duces, integri anni sollicita tractatione, ac penè supplici deprecatione, in iustissima causa, vincere pertinacem superbiã potuerunt. Cessit tamen ille tandem, centum viginti millibus vnciarum auri, quibus diras Imperator redemit, séque anathemate exoluit, rem conficientibus Hermanno ordinis Teutonici magistro, & Archiepiscopo Messanensi, anno millesimo, ducentesimo, tricesimo.

Hæc cùm recitent scriptores Italici, non verentur tamen, tantis sceleribus, impudenter patrocinari. Sed in fatis fuit, vt qui, ceu ἀλάστορες, regnum Filij Dei, commẽtitia, & impia religione perturbarant, in genere humano, cultúsque, ac honores illi debitos protriuerant, atque conspurcarant, blasphema mendacia parricidiis cumularent, & domesticis cœdibus, deuastarent orbem Christianum, atq; immanibus seditionibus, domi implicitos principes optimos, ac felicissimos, nec vllare veteribus heroibus inferiores, auerterent a bellis necessariis. Denique, vt in cala-

calamitatibus publicis, & triſtiſsima ruina regnorum, acerba, & diabolica ὀπιχαιρεκακία inſultarent iacentibus, vt ad has occaſiones, augeretur potentia hoſtium Filij Dei, Diabolorum, & blaſphemarum gentium, in perniciem orbis Chriſtiani, quem oportuit luere pœnas tam inueteratæ idololatriæ.

Sed non fuit diuturna hæc Imperatoris cum Pontifice reconciliatio, quæ vix annum octauũ attigit, quando Imperatore, poſt repreſsas, in Sicilia, ſeditiones, profecto in Germaniá, ad vindicandam contumaciam Friderici Auſtriaci, Leopoldi filij, qui, propter ſtupra, & alia flagitia, accitus ad cauſſam dicendam, authoritatem Imperatoris petulanter aliquoties detrectarat, Pontifex tediit ad ſuas artes, & odia. Petiuerat Imperator, per Manfredum, ex concubina natum, à principibus, vt poſt Henrici filij mortem, qui in carcere obierat, relictis, ex Margareta Auſtriaca, filiis Friderico, & Henrico, regem Romanum crearent alterum filium Conradum. Id, cum à principibus promiſſum, animaduertiſſet duci, & conuelli, fraude Pontificum, coràm idem, poſt res Auſtriacas confectas, efflagitauit, & obtinuit, rarioribus Principum ſuffragiis Ratisbonæ, frequentioribus Spiræ. Circiter annum Chriſti, milleſimum, ducenteſimum, triceſimum ſextum.

Pontifex ſe deluſum intelligens, ad alia decurrit conſilia. Repetebãt Fridericus, & Cõradus à Põtifice, quæ in vtroque regno Siculo, & Neapolitano, per vim iniuſtè rapta, eò vſque cõtra pacta & cõuẽta, poſsederat: Põtifex, vt ſeſe muniret factionib. contrariis, rurſus edicebat Imperatori, vt à cõfœderatis ciuitatib. Lõgobardiæ, quæ inter ſe, & cũ Pontifice, defectionis authore, improbo pernicioſæ libertatis ſtudio, in Imperatorem cõſpirarant, abſtineret. Id cùm Imperator, ſe non poſse facere, oſtenderet, niſi à conſpiratione facta, in ſuam, & Imperij perniciem, deſiſterent, ac redirent ad fidem, Põtifex quid euenturum eſset, proſpiciẽs, tertiò, totis viribus, in cõmune bellũ incubuit.

Cœpit id anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, triceſimo octauo, & in eum deſit finem, vt præcipuis, ac plurimis vrbibus Italiæ horribiliter afflictis, deuaſtatis, & eneruatis, penè παμπολεθρίαν attulerit. Diuiſæ ſunt vrbes ſtudiis, vt dixi, aliis Gibellinorum nomine, à ſtirpis Sueuicæ origine, Imperatorem dominum iactantibus, aliis contrariam Põtificum factionem, Guelphorum titulo, profitentibus, & vtriſque inter ſe armis, odiiſque, tanto feruore, decer-

tantibus, vt virtutis, gloriæque loco ducerent, si ad ostendendum insigne factionis studium, maximè sæuirent in alteros. Hæc funestarum factionum noua nomina, in hoc bello primùm audiit Italia, incendio ex Herruria, in reliquam Italiam omnem celeriter dispersо, studióque acerrimo partium aucto, atque confirmato, in tantùm, vt non prius deflagrarit, quàm Lutheri scriptis, Pontificia maiestas labefactata sit, & inclinata.

Tot atrocibus ergo iniuriis, lacessitus Imperator, cùm aut pereundum sibi, aut seditiosam conspirationem Italiæ, cuius erat caput Pontifex, reprimendam esse videret, ex dolore iusto, diúque dissimulato, ac presso, in iram ingentem tandem excanduit, vt sunt in heroicis naturis iracundiæ tardæ initiò, ac lentæ, sed acres, & vehementes, si nimium prouocatæ, vero sese impetu commouerint. Magna autem, & inopinata celeritate, cõtractis vniuersis copiis terrestribus, atque Imperio mari commendato Encio filio, quem Sardiniæ regem, & nauarchum declarauerat, Italiam ingressus, infesta, aduersaque omnia oppressit, euertit, discerpsit, obtriuit penè citius, quàm aduolare fur animaduersus. Vrbes Lõgobardiæ, Æmiliæ, Hetruriq, Vmbriæ plerasque partim deditione spontanea cepit, enixè iem adiuuantibus proceribus nobilitatis Italicæ, peculiari erga imperatorem affectione, & studio, odióque superbæ tyrannidis Pontificum, partim vi expugnauit, ac direptionibus, & incendiis deformauit.

Hęc, tragicis infectationibus optimi principis, impudẽter vituperant assentatores pontificum. At, cur iidem non suorum perfidiosas defectiones, seditiosas conspirationes, iniustè rapta, & illata arma: cur non impietatis, & sceleratorum consiliorum architectum, discordiarum facem, funesti, ac miseri interitus florentissimarum rerumpub. verissimum authorem Pontificem accusant? Cui volupè fuit spectare conflagrationes, & ruinas tot vrbium: tot hominum lanienas. Ignauia esset, & vecordia in principe detestanda, si ad tam atroces iniurias, & nefandas conspirationes connituendo, pateretur conuelli, euertíque Imperium, cùm defensio, & conseruatio sit ei demandata, & imposita diuinitus.

Successibus Imperatoris, territus Põtifex, desperatione, supplicationes passim indixit: & exercitũ de cruce signatis comparauit: cùmque, ne his quidem se defensoribus, tutum fore cerneret, instituta Synodo in Laterano, rediit ad vsi-

ad vſitatum ex anathemate præſidium, ídque in eum tertio excuſsit, accitis ad approbationem decreti, cardinalibus, pellectíſque in belli ſocietatẽ Venetis, quos memoria victoriarum de Fridetico Barbaroſſa, ingentibus ſpebus incendebat. Edidit & ſcripta referta, atque coaceruata, tanta impudenter effictorum criminum congerie, vt multos ex Cardinalibus ipſis, virulentam malignitatem Pontificis oportuerit execrari, præſertim cùm Petrus de Vineis, vir doctiſſimus, & ingenioſiſſimus, grauiſſimis argumentis, vanitatẽ obiectorum criminum, demõſtraſset, acredarguiſſet, & fulmen anathematis, tanquam fatuum, eliſiſſet, atque inſuper, poſt & acceptas tot iniurias, ſupplex reconciliationem petiuiſſet.

Imperator, terra marique, interciuſis itineribus, ne ex cardinalibus, qui procul aberant, accedere vllus poſſet, prohibuit, & per Encium nothum, in mari plurimos, qui ex vrbe Veneta, & Gallia aduenerant, claſſe circumuẽtos, intercepit, quorum aliquos, ſuo merito, ſuppliciis affecit, aliquos carceribus incluſit, pleroſque mulctauit priuatione beneficiorum. Quin & ad vrbem ipſam acceſsit, atque exercitum cruce ſignatorum, penè cõcidit, ſed vrbi tamen pepercit. Exhauſtus pecunia, militib. ſtipẽdia, numiſmate coriaceo, diſſoluit, quod paulò poſt argenteo redemit.

Interea Gregorio mortuo, & ſucceſſore Cœleſtino, itidem paucis diebus, poſt electionem, extincto, decretus eſt Pontifex Innocentius quartus. Hic, ante pontificatum nõ alienus à cauſſa Imperatoris, mox naturam, & ingenium, cum dignitate, mutauit.

Κίνησις γὰρ, ἢ μεταβολὴ τῆς φύσεως, ἢ τύχης.

Inſtitutam enim à Gregorio, aduerſus Imperatorem, telam ſeditioſarũ molitionum, tã præclarè pertexuit, & abſoluit, vt quæri opus non ſit, quo illũ impietatis, crudelitatis, fraudis, perfidiæ genere, ſed quo ſemetipsũ ſuperarit.

Imperator recens Fauentiam, quæ Pontifici fauerat, fame expugnatam, diripuerat, & Bononia grauiter afflicta, exercitum Parmæ admouerat. Tota ergo propemodum Italia excluſus Pontifex, traiecit in Galliam, & perbella vſus συνγραφία iuſtitiæ, Lugduni, concilio coacto, diem dixit Imperatori, anno milleſimo, ducenteſimo, triceſimo quinto, vt non niſi auditus, Synodi ſententia, ſed ſe iudice tamen condemnaretur. Quòd ergo ad diem dictum, non è veſtigio comparuiſſet Imperator, ſed miſſis legatis tempus definiri commodius petiuiſſet, Pontifex iterum

falsis criminibus summè aggrauato, non solùm sacris interdixit, sed vt Imperium etiam abrogaretur, perfecit, frustra illo suam innocentiam, contra fraudes, & mendacia Pontificum, demonstrante, opera Petri de Vineis, & aliorum plurium. Tradiderunt enim Principes Imperiũ Henrico Landgrauio Turingiæ, qui ad Vlmam, telo cõfossus, occubuit, & post eum, Wilhelmo Hollandiæ comiti. Inde secuta sunt disidia Principum, tam atrocia, vt contra leges, & iura vetera, acciti sint principes exteri, & cum hos etiam vel accipere Imperium, metus prohiberet, vel pars aduersa non admitteret, Occidens, bellorum, ac disidiorum fluctibus, sine gubernatore certo, aliquãdiu, ceu nauis procellis ventorum, sine nauclero, sit iactatus.

Constituerat Imperator venire Lugdunum, & iam ad Taurinates vsque accesserat, sed cùm de sutiosi Innocentij, atque implacabilibus molitionibus, déque clãdestina, ac perfidiosa Sanseuerinatum Principum, ac nonnullorũ aliorum, ex Pontificis instinctu, in necem suam cõspiratione, & de crudeli cæde ab exulibus Parmẽsibus Guelphis, in Gibellinos ipsi addictos, patrata, atque vrbe recepta cognouisset, mutato consilio, rediit in Italiam, atque accersitis ex Apulia, & Calabria recentib. copiis, sexaginta millium, Parmam obsidione cinxit, noua vrbe foris circumuallatam, quam Victoriam vocauit, nouóque nummate celebrauit, in honorẽ Victoris martyris, cui, si vrbe potiretur, templum vouerat. Habuit tunc secum Imperator, filios tres, Henricum iuniorem, quem ad Synodum accessurus, proregem Italiæ crearat, Fridericum nothum filium, Antiochiæ principem, cui Thusciam gubernãdam dederat, & Encium Sardiniæ regem, quem fecerat legatum generalem. Sed obsidio penè in alterius anni producta finem, eum habuit exitũ, vt incuria, & securitate nimia obsidentiũ, Victoria ciuitas, ab obsessis incensa, exercitus fœdè disipatus, thesauri Imperatoris direpti sint.

Hæc clades, etsi grauis fuit, tamen non ita langueseeit Imperatorem, vt se Pontifici subiiceret, sed reparatis copiis, ipse ex vna parte, obsessos ad deditionem compulit, ex altera parte, duce Encio filio, oppugnauit Bononiam. Vmbria enim, & tota fere Hetruria, Imperatoris sequebantur partes, Florentinis exceptis, apud quos tamen, tãtùm valuit authoritas Imperatoris, vt sponte Guelphos eiecerint, sed Imperatorem intra vrbem non admiserunt. Encius filius à Bononiensibus prælio superatus, venit

viuus

viuus in hoſtium manus, apud quos in vinculis mortuus eſt, poſt captiuitatem annorum viginti duorum, vt monumentum quod adhuc Bononiæ extat, teſtatur, poſitum anno, milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, ſecunda Iduum Martij.

Tandem, cùm ſe non ab amicis tantùm, quorum fere voluntates cum fortuna mutantur, ſed ab ipſa etiam fortuna deſtitui videret, quæ hactenus ei fauerat, & intelligeret, vitę inſidias ſtrui, per veneficia, multis modis, reuerti ſtatuit in Siciliam. In eo itinere ardẽtiſſima febre, ex ꝓpinato veneno correptus, vitam finiit in arce quadam Apuliæ Florentina. Sunt qui affirmant, Manfredum nothũ, ex Lombarda pellice filium, cùm medicorum diligentia, vis veneni retuſa aliquantulum, ac debilitata, ſpẽ de conualeſcẽtia præbuiſſet, iniecto in os puluino, eũ ſuffocaſſe.

Deceſſit autem die decimatertia Decembris, anno à nato Chriſto, ex Maria virgine, milleſimo, ducẽteſimo, quinquageſimo: à mundi initio, quinquies milleſimo, ducenteſimo, duodecimo: ętatis anno quinquageſimo quarto: Imperij triceſimo tertio, id eſt, poſt abrogatum ei, impulſu Innocentij Pontificis, Imperium, anno quinto. Cadauer Panormum tranſtulit Archiepiſcopus Panormitanus, & ſepulchro ibidem porphyretico condidit, etſi id aliqui Manfredum, ſuſpicionis à ſe amouendæ cauſſa, feciſſe referunt. Sepulchro verſus inſcripti ſunt hi:

Si probitas ſenſus, virtutum gratia, cenſus
Nobilitate orti, poſſent obſiſtere morti.
Non foret extinctus, Fridericus, qui iacet intus.

Hic fuit exitus Friderici ſecundi, principis, ſummis illis omnium temporum heroibus annumerãdi, qui cùm virtute, & gloria bellica, excellentem, in omni doctrinarum genere, eruditionem coniunxerunt. Verè

Ἀμφίτεσον Θεραπόντων υἱὸν Ἀυσονίοιο Θεοῖο.
Καὶ μετὰ τοὺς ἐρικυδέα δῶκεν ὀπιτεύειν: Inter Germanicos verò penè poſtremi, qui, quod de Maieſtate Imperij Romani reliquũ fuit, armis, cõtra Põtifices, fortiter defẽderũt, ita vt cũ eo maieſtatis antiquę reliquias, quãtæ illæ fuerunt, etſi fuerunt exiguæ, ſimul cõcidiſſe, ac ſepultas eſſe, exiſtimẽ. Manſit enim, poſt eum, diſtracta in factiones Italia, aliis Imperatori, aliis Pontifici adhęrentibus, donec Venetorũ, & Mediolanenſium potẽtia creuit. Et attracti Hiſpani, ac Galli, oppreſſis Italis, contenderunt inter ſeſe, de regno Neapolitano, & Longobardiæ principatu.

Ingenio tanto fuit, vt præter patrias linguas, Germanicam, & Italicam, didicerit exactiſſimè plurimas alias, Latinam, Græcam, Saracenicam, Francicam, & in ſingulis philoſophiæ, partibus, non tantùm rudimenta prima deguſtauerit, ſed fontes ipſos introſpexerit, atque exhauſerit. Condidit Academiam Neapoli, & antè conſtitutas alibi, exornauit, atque amplificauit. Auxit etiam ornamenta, iura, immunitates, & dignitates ordinis ſcholaſtici, latis de his, ac ſanctis legibus publicis, quæ beneficia docti grata mente agnoſcant.

Multa verò ex Græco, & Saracenico traduci in Latinam linguam curauit, quæ reſtitutionem veræ, ac putioris philoſophiæ adiuuarent, ex Ariſtotele, Ptolemæo, Galeno, Auicenna, & aliis, ita vt, vel vnius Friderici ſecundi beneficio, phyſica, medica, & mathematica ſtudia, in Occidente, reuixerint, quæ inde vſque ab irruptionibus Gotticis, & Vandalicis, neglecta iacuerant.

Multa ſapienter in Imperio conſtituit, cùm de vſibus feudorum, tum alia, quæ vndecim capitibus diſtincta, ac codici Juſtiniani ſunt inſerta.

Viros doctos in honore, ac precio habuit, déq; eorum cõſiliis, atque ſententiis inſtituit, adminiſtrauit, & in controuerſiis pronunciauit, in tempore pacis, pleraque.

Animo fuit magno, atque excelſo, ínque periculis intrepido, in vtraque fortuna conſtans, & moderatus, acer in prælijs, ac prouidus; manu pariter, & cõſilio promptus, munificus, à crudelitate alieniſſimus. Cùm enim non deſinerent pontificij, & vi manifeſta, & fraude, atq; inſidiis, vitam eius, ac iugulum petere, repreſſit tamen indignationem, & vindictæ cupiditatem, quantum potuit victor, & pœnas deuictis mitigauit.

Pertinacia tamen aduerſationum, atque inſidiarũ plena interioris, ac domeſticæ vitæ conſuetudo, tandẽ fractum eum vehementer exacerbauit, cùm Imperio exutus, ne inter ſuos quidem reperiret, quibus fideret, & in animo ſæpè irritato, grauitérque ſauciato, metus defectionis ſuorum, ac nouarũ cõſpirationum, redderet ſuſpecta omnia, ætate etiam propenſionem ad ſuſpiciones augeret, quæ quidem, vt eſt ὑπόνοια ἀρχὴν κακὸν, eò vſque inualuerunt, vt ne quidem coniunctiſſimis, atque fidiſsimis pepercerit. Nam Petrum de Vineis, patria Capuanum, iuris peritiſsimum, qui Imperatoris cauſſam vnus omnium fideliſsimè, ac diligẽtiſsimè, ſummo ſuo cum diſcrimine, egerat, quod

epiſtolæ

epiſtolæ oſtendunt, quæ extant, hunc ergo calumniosè adductum in ſuſpicionem, de ſtructis ipſi inſidiis, coniecit in carcerem, oculis captum: in quo ille tandem, ſeu deſperatione, ſeu impatientia iniuriæ, ſeu ſupplicij atrocioris metu, capite parieti illiſo, ſibimetipſi mortem conſciuit: Adeò ſtabile nihil eſt, & firmum in rebus humanis, in quibus verè πάντα δὲ δὴ χαίεις, ἀμάμονες ὄβροτοί.

Etſi autẽ, vt nulla virtus humana, quantumuis ſit magna, & heroica, perpetua eſt, nec labe caret, quæ & conſpectior, & reipſa ſæpè maior eſt, in illuſtribus viris, quàm in priuatis: ſic, non inficior, ſuis Fridericũ fuiſſe obnoxium vitiis, à quibus non remoueo cauſſam aliquam calamitatum, in quas incidit: tamen, qui morienti adfuerunt, talibus eum veræ, ſeriæque pœnitentiæ, & inuocationis argumẽtis, vitam finiiſſe tradiderunt, vt non dubitent affirmare, quod ſit electum vas miſericordiæ: his enim vtuntur verbis.

Vxores habuit plures, etſi de numero inter ſe ſcriptores diſſentiunt. Alij enim tres ei vxores: ſex alij tribuunt. Prima fuit Conſtantia Arragoniæ regina, ex qua natus eſt Henricus ſenior, dux Sueuię, rex Romanorum. Altera fuit Iole filia regis Hieroſolymitani, Iohannis de Bregna, quæ dotis loco titulũ regis Hieroſolymitani, Siculis, & Neapolitanis regibus attulit. Ex hac natus eſt Conradus Sueuiæ dux, rex Romanorum, poſt Henricũ, cui pater, teſtamento deſtinauit regna, Siculum, & Neapolitanum. Tertia ſecũdum aliquos fuit Agnes, filia Ottonis, ducis Meraniæ, & Iſtriæ marchionis, quam repudiatam ab Imperatore duxit Vlricus Carinthiæ dux. Quarta, Rutina, filia Ottonis, comitis Bauarici, in Wolffershauſen. Quinta, Iſabella filia Ludouici Bauarici, cęſi in Kelheim. Harum trium multi non meminerunt. Sed prioribus duabus, addunt vltimam, Mechtilden: quam nonnulli Iſabellam nominant, filiam Iohannis, Angliæ regis. Ex hac natũ ferunt Henricum Iuniorem, cui pater teſtamento Siciliam decreuerat, ſi perueniſſet ad iuſtam ætatem. Genuit & filias complures, & inter has, Margaretam, quæ Alberto Lãdgrauio Turingię peperit filios duos, Fridericum auo ὁμώνυμον; cuius fuit à matre admorſa gena, & Ticemannum Lipſiæ ſepultum: Item Conſtantiam coniugem Ludouici, Lãdgrauij Haſſię. Habuit præter legitimos liberos, & alios nothos filios. Ex Blãca marchioniſſa Montisferrati, Manfredũ Tarenti principem, qui patrẽ puluino ſtrangulaſſe traditur, quod teſtamento eũ a regno Neapolitano excluſerat, Enciũ Sardiniæ

regem, quem Bononienſes ferreæ, & cancellatæ caueæ inclusum, necarunt, & Fridericum Antiochiæ principem.

Tãta autẽ fuit odij, in Põtificibus, erga Friderici posteritatem rabies, vt non priùs placari potuerint, quàm vniuersam, radicitus, imanni crudelitate excidissent: quod, cùm per se, suósque nequirẽt efficere, attraxerũt Hispanos, & Gallos, quorum opera, cum Sueuos extirpassent, odia mox conuerterunt, & effuderunt rursus in hos suæ sæuitię ministros, adeò, vt permissu diuino, potentiam hanc nacti videãtur, qua vterentur, ad perturbandas res Imperij, domi foríque; & gentes Europæas latrociniis, ac bellis assiduis affligendas. Nam, vt præcedens, ita tota sequens historia, euidẽter testatur, verè fuisse Põtifices ἀλάστορας Ecclesiæ, & Imperij, & flagellũ Dei, vt de Attila vetustas prodidit. Nunc ad rerum omnium perturbationes, quæ, post abrogatum Friderico Imperium, euenerunt, quęque mortem eius consequuta sunt, & ad interregnum venio.

DE STATV IMPERII, POST FRIDERICUM secundum, de interregno, & de Friderici posteritate.

OBtinuerat Fridericus à Senatu Imperij, in Germania, vt primogenitus filius Hẽricus, cunctis suffragiis, decerneretur rex Romanorum: quanquam per ætatem, nondum esset idoneus ad Imperium, quod vix annum excesserat decimum. Judicabat enim ex re fore, & dignitate Imperij, si successorem haberet certum, se externis, procul à patria, bellis implicito, ac distento. Huic Hẽrico despõdit Austriæ ducis, Leopoldi Glorioſi, filiam Margaretam, quici post nuptias, quas adolescens admodum, Norибergæ celebrauit, peperit gemellos Fridericum, & Henricum. Sed cùm, incitatione Pontificum, & promissis Longobardorum, in spem Imperij pellectos, paternos amicos, & socios hostiliter oppugnare cœpisset: pater eum ad se, in Apuliam, muitatum comprehendit, atque in carcerem condidit. In eo miserabiliter, octauo ab electione anno, mortuus est, superstitibus gemellis, quorum alterum Conradus, alterum Manfredus nothus, veneno sustulit, tanquam æmulos regnorum, Siculi, & Neapolitani. Pater, hunc Hẽricum postea, sępè, cum multis lachrymis, requisiuisse dicitur. Vidua eius, nupsit Ottocaro, regis Boëmiæ filio, propter eas nuptias, cùm paulò post esset extincta stirps antiqua ducum Austriæ, Ottocarus coniugis hæreditatem iuris quodam titulo, sibi vindicans, armata manu, Austriam inuasit,

inuasit, vt suo loco dicetur.

Post Henrici mortem, Fridericus Principum animos cõciliauit filio Conrado, & vt in fratris locum sufficeretur, perfecit, quod nisi, se, in Italia, bello pontificio occupato, domi haberet ceu custodem fidum, & attentum publicæ tranquillitatis, & fidei, atque officij Principum erga Imperatorem, euenturum videbat, vt artibus pontificum scinderentur in diuersum animi Germanorum, & auerterentur à studio, & obedientia erga ipsum. Etsi autem sapienter cogitatum hoc erat, & institutum prouidè, vicit tamen astutia Pontificum, religionis authoritate fulta, atque armata, quæ rem Innocentio actore, deduxit eò, vt patri, & filio pariter de Imperio deiectis, oppositus sit Henricus, Turingiæ Landgrauius, Ludouici frater, cui S. Elisabetha nupta fuit. Id factum est, anno Christi, millesimo, ducentesimo, quinquagesimo quinto.

Cõradus, electionem vt impediret, cum exercitu accessit ad vrbem Francofurtum, Bauaricis auxiliis adiutus. Nam vt se muniret affinitate potentis Principis, Bauari filiam in vxorem duxerat, sed repulsus, ac profligatus ab Henrico, quem maxima pars Principum sequebatur, fugit Ratisbonam, vbi aliquantò post, noctu à coniuratis quibusdam, quos Episcopus Ratisbonensis subornarat, oppressus: cùm cæteri comprehensi, & trucidati essent, ipse sub scamno delitescens, diuina protectione, hostes fefellit, & euasit. Sed quod Sueuos offendisset, collata in eos culpa, infelicis ad Francofortum, prælij, nec reuerti domum fuit ausus, nec in Germania tentare quidquam potuit, nullis nisi Bauaricis auxiliis subnixus. Quod ergo patrem decessisse, cõperisset, in Italiam protinus abiit, occupaturus regna Siculum, & Neapolitanum. Interea Henricus, æmulo pulso, progressus, dum Vlmam, Conrado adhuc adhærẽtem, obsidione cingit, sagitta lethaliter ictus, occubuit eodem anno, quo Imperium accepit.

Conradus reuersus in Italiam, anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo primo: vrbes, quæ, a morte patris, ad Pontificem Innocentium defecuerant, recepit, auxilio Tancredi, à quo persuasus, Imperium vi quod sit, stabilius esse eo, quod beneuolentia adiungitur, Neapolin, octauo mense, vi expugnatam, solo æquauit: pulsa inde tota nobilitate: Capuam direptã nudauit muris, & propugnaculis, Aquinum incendiis deuastauit. His sæuitię exemplis, se Imperium confirmasse ratus, quod nomen Augusti cupe-

ret in familia retinere, rediit in Germaniam. Ibi, cùm aduersa sibi, atque infesta ostendisset omnia, commendato Bauariæ principi, spe successionis, Cunradino filio, repetiit Italiam; vt regna istinc recuperata, hęredi cõseruaret. Id agentem, Manfredus veneno peremit, qui cum iisdem regnis multò antè inhiasset, patre sublato, absentem impuberem Cũradinum, facilè à successione excludi ac prohiberi posse, confidebat.

Decessit Cõradus cõsumtus vi veneni, & fluxione dyssenterica, quã, erosis intestinis, pharmacum irritarat, anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo tertio, decimo sexto ab electione; anno quarto, à patris morte; cùm ipse mense quinto ante, adductus Siculi regni cupiditate, opera cuiusdam transfugæ Saraceni, clam iugulasset Henricũ iuniorem, seu fratrem, seu ex Henrico fratre, nepotem, generosi, & excelsi animi, atque ad omnia summa natum iuuenem; & paulò post, quidam Bertholdus marchio, alterum etiam Henrici filium, Fridericum, conuiuio exceptũ, infecto pisce amouisset, in Manfredi gratiam, ne cogeretur soluere pecuniam, quam auus illi testamento, ad occupandam Austriam, legarat.

Reliqui erant de posteris Friderici, Cunradinus hæres legitimus, natus patre Conrado, ex Elizabetha Bauarica, quæ marito mortuo, Menhardo comiti Goriciæ nupsit: Conradus cognomento Caputus, princeps Antiochię, nepos Friderici, ex notho filio Friderico; & Manfredus nothus. Cunradinus aberat in Germania, huic sese Mãfredus hęreditatem paternam, tutorio nomine, administraturum simulans, donec adoleuisset, Neapolin occupat, & Innocentio quarto eadem regna armis, ac bello pontificatui asserturo, subiectionis promisso, persuadet, vt positis armis, assentiatur; sed non diu latuit dolus. Subornatis enim, qui Cunradinũ, in Germania, veneno tollerent, cùm, cęde nõdum patrata, mortem illius diuulgasset, & literis commentitiis demonstrasset, regna, iure successionis, sibi vendicans, coactis ingentibus copiis, suis, & Saracenicis, prędidia pontificia, ad Foggiã Apuliæ vrbem, ex improuiso opprimit, quæque in Italia, regno Neapolitano coniuncta, Pontifices auulserant, recipit, regio nomine, ex acclamationibus populi, vsurpato, circiter annum millesimũ, ducentesimum, quinquagesimum quintum. Mox etiam Siciliam adiungit, rebus, quæ ad defectionem spectabant, cõpositis, & vt se, contra Pontificum potentiã, muniret amicorum

micorum præsidio, affinitatem iunxit cum Jacobo Arragonũ rege, filia Constantia desponsa filio eius Petro, maximo natu. Inde bellum exarsit funestum, & exitiale stirpi Sueuicæ. Nam Vrbanus IV. qui Alexandro successerat, edito in Manfredum anathemate, attraxit Carolum Andegauensem, Ludouici Galliarum regis fratrẽ, qui cũ Mãfredo acie congressus, victoriã, illo cæso, cum regno vtroque obtinuit. Profuit Carolo, ad victoriam, plurimùm, cõsiliũ, & opera Johãnis Ratæ, comitis Casertæ, qui oblatũ coniugi, à Manfredo, adulterium, vlturus, ex castris Neapolitanis ad Gallos transfugerat. Ita scelerate, sed astutè acquisita parricidiis regna, Manfredus, cum vita, amisit.

Dimicatum est sexta die Februarij, anno millesimo, ducentesimo, sexagesimo quinto, in agro Beneuentano.

Interea adoleuerat Cũradinus. Huic adducenti exercitum insignem ex Germanis, ad repetenda à Carolo, auita regna, socio expeditionis Friderico, Austriæ duce, coniũgunt sese, in itinere, Pisani, Senenses, & Genuenses. Accedentem ad vrbem honorificentissimè, cum Romana nobilitate, excepit Henricus Castellę regis filius, Senator vrbis Romę. Accedũt ad eum & Conradus, Antiochiæ princeps, frater, & Alphonsi Arragonum regis fratres. Cõradus communicato consilio cum Cunradino, Siciliam adiit, & Saracenicis auxiliis, recepit vniuersa, Panormo, Messana, & Syracusis exceptis. Cunradinus, Nuceria deditione potitur, mouet in Carolum, cui occurrens in Marsis, & cõfligens acie, die vicesima secunda Augusti anno millesimo, ducentesimo, sexagesimo octauo, vincitur, & capitur, cum Friderico Austriaco.

His ad se adductis, Carolus victor, nõ contentus gloria victoriæ (quod magni, & generosi fuisset animi) superbè insuper, atq; cõtumeliosè illudit. Mox etiã immani, & flagitiosæ sæuitiæ Pontificis Clemẽtis quarti, qui, de captiuis interrogatus, respondit: Vita Cunradini, mors Caroli: Mors Cunradini, vita Caroli. Huic ergo morem gerẽs, & ministrum se prębens, vtrique, nouo, ac regio nomine indigno, crudelitatis, in orbe Christiano exẽplo, securi vitam eripit: frustra Flandriæ comite monente, generosum victorem, decere moderationem, & clementiam. Sed vicit vox cruenta Põtificis, nec animus incensus, & ardens regnandi libidine post degustatas semel, prospero successu, humanas carnes, rabie lupina efferatus, continere sese, & ferre æmulũ poterat, ὅπως ἀμικτός ϑηρίῳ ἐπιχώσιος, ἢ τῶς πλησιο-

ξίας ὑπόθεσις. Imo, ne vitam, infami ſupplicio, eripuiſſe ſat eſſet, mortuo etiã inſultatum eſt, epitaphio acerbo, quod tumulo inſcriptum legitur:

Aſturis vngue Leopullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumauit, acephalúmque dedit.

Sic tandem, ſupplicio Cunradini, generoſiſſimi adoleſcentis, & innocẽtis, vetuſtiſſima, & nobiliſſima ſtirps ducum Sueuiæ, Imperióque, & rebus domi, foríſque, pace, & bello ſapienter, & fortiter geſtis, clariſsima, artibus Pontificum deleta eſt, cùm imperaſſet annos centum, quindecim, regna Siculum, & Neapolitanum, tenuiſſet annos, ſeptuaginta ſex.

Defecerat paulò antè, familia veterum Auſtriæ ducum, quorum, à comitibus Bambergenſibus, originem deduximus, in Friderico Bellicoſo, fratre Margarethæ, quę Henrico, filio Friderici Imperatoris, gemellos ediderat. Nam qui, cum Cũradino, capite trũcatus eſt, Auſtriæ ducis nomine, matre quidem Gertrude Auſtriaca, propter quam, ſi vixiſſet, adiiſſet hæreditatem illarum terrarum, ſed patre Hermanno, marchione Badenſi, natus fuit. Supererat, ex ſanguine Sueuico, ſolus Conradus Antiochenus: ſed & hunc, Carolus, claſſe perſequutus, in Siciliam, per Guidonem comitem Montisfortis, cùm viuum cepiſſet, defectione Siculorum proditum, atque deſertum, ſuſpendio, oculis tamen prius erutis, affecit.

Vicerũt fata Italiæ, quam, cùm bellis lacerari, ac vaſtari aſſiduis, oporteret, vt dixi, vnà perire etiam neceſſe erat eos, qui inuoluebantur, quibuſcunque amplificarẽtur artibus, vel occaſionibus, vt, cùm in magno incẽdio, aut naufragio, multi vnà pereunt innocentes. Ideò nec Caroli diuturna fuit felicitas. Nã, quod Siculis naturâ inquietis, & ſeditioſis, Gallorum ſuperbia, crudelitas, libido grauis eſset, proceres regni, duce Johanne Prochyta, inſulæ Prochytæ domino, viro callidiſſimo, quẽ cura contaminatæ, à Gallis pudicitiæ vxoris, & ereptarũ facultatum, exercebat, conſiliis communicatis cum Nicolao quarto, Põtifice, qui Carolo infenſus erat, Johanne Palæologo Byzantino Imperatore, qui Francos nuper iurſus Byzantio ieccerat, & Petro Arragonenſium rege, Manfredi genero. Cum his ergo re communicata, conuenium inter ſe, de excutiẽdo imperio Gallorum, cædéque delendis præſidiis, & regno in Arragonios transferendo. Claſſem rex vtrique, pecuniam etiam Byzantinus ſuppeditat. Res agitata totum

bien-

biennium, sed instructa callidissimè, atque occultata fuit mirificè, vsque ad eũ diem, quo Galli vniuersi, per totam Siciliam, passim, vno quasi momento, oppressi, & obtruncati, sæuitię iniustæ, & procacis libidinis pœnas dederunt, paucis exceptis, quos Spirlinga arx munitissima protexit, ac seruauit.

Fuit is dies tertius Calend. Aprilis, anno millesimo, ducentesimo, octogesimo secũdo, Gallis ater, & funestus admodum, quorũ, intra duarum horarum spacium, supra octo millia ceciderunt, sæuitia gentis Siculæ, nec grauidis sui generis, ac sanguinis, neque exectis, ex vtero materno, infantib. parcente, quos extractos, saxis allidere, voluptas fuit, ne quid Gallici sanguinis supereſſet. Cæde confecta, Petrus Arragonius, qui ad Hipponem Aphricæ, armata classe, euentum Siculæ conspirationis præstolabatur, accersitus, insulam deditione procerum, occupat.

Ad hunc modum excidit Sicilia Carolus, de qua, etsi deinceps, & litem nouo Regi, Pontifice disceptatore, & bellum mouit, & quarto anno, ab occupatione Petrus decessit: defensam tamen, Arragonij retinuerunt, donec infelici, & calamitosa Caroli posteritate extincta, iidem inuitati, à Johanna vidua, post longa bella, regnum Neapolitanum etiam obtinuerunt, Gallis à successione exclusis. Possessionem illorum regnorum, Ferdinãdus Arragonius, decedens sine hęrede masculo, reliquit Carolo quinto Imperatori, nepoti ex filia.

Sed ad Germaniam reuertor, in qua, cùm ad Vlmam occubuisset Henricus, Turingiæ Landgrauius, Principes Electores, nihil remittentibus Pontificum odiis, erga Fridericum, detulerunt summam rerum ad Wilhelmũ Hollandiæ comitem, anno Christi, millesimo, ducentesimo, quadragesimo septimo. Traditum huic est Imperium solenni ritu, & inauguratione, anno sequente, Aquisgrani, Cal. Nouembris, postquam eam vrbem adegisset, ad deditionem, quæ huc vsque in fide, & obedientia, erga Fridericum, perstiterat, adiutus ab Ottone Brunsuicense, præpotente, illo tempore, principe, & opulento, quem sibi, ducta illius filia, adiunxerat.

Eundem, quarto ab electione anno, non prius tamen, quàm de morte Friderici fama percrebuisset, tradunt, ab Innocentio Pontifice, renunciatum esse Imperatorẽ Lugduni: sed vix, vsque ad annum quinquagesimum quintũ, rerum potitus, dum in Frisios, res nouas molientes, cum

exercitu proficiſcitur,à diſpoſitis inſidiis circumuentus,& haſtis confoſsus eſt,circiter Calẽdas Februarias,nullis inſignibus rebus publicè geſtis. Nam cùm,de finibus,bello contendit cum vicinis Flandris, & Friſios petiit,rem egit priuatam.Patrem Florentem quartum habuit,è ſtirpe comitum Hollandiæ,quibus ex Aquitania productis Carolus Caluus etiam Belgici partem attribuerat. Ex coniuge Eliſabetha, Florentem filium reliquit , in cuius filiis ſtirps antiqua defecit, ſuccedentibus Hannoniæ comitibus, vſque ad Ludouicum Bauarum.

Nulla admodum fuit eius authoritas, vt dubitẽ, an ſit Imperatoribus annumerandus, neque eam ſuſcepit Imperij curam,quam debuit.Ideò,cùm aucta,diſſidiis domeſticis,ordinũ inter ſe,& bellis inteſtinis,licentia ſcelerum omniũ,ac flagitiorum, videretur allatura eſſe exitiũ patriæ, niſi compeſceretur, Principes ad Rhenum,coacti quęrere remedia his malis , priuatis odiis poſitis,initóque fœdere inter ſeſe,& cum potentioribus vrbibus, atque comparato præſidio , publicæ paci pluribus in locis accuratè cauerunt:quæ principum prouidentia,& vigilantia,cõcuſſam, ac languefactam,aſſiduitate bellorum,Germaniã,&moribus nouis obiectam ex nõnullarum familiarum interitu, quarum regiones , poſſeſſore carebant , ac rectore, vtcunque tunc erexit,ac fulciuit,ne penitus euerteretur,etſi hæc coniunctio non fuit diuturna.

Profuit verò exemplũ poſteritati. Similibus enim cõſiliis, deinceps etiam ſæpè, malis publicis,obuiam itum, & multorum audaciam,ac molitiones repreſſas eſse,conſtat. Neque aliter ſeruari res communes poſsunt, publicis periculis augeſcẽtibus. Nec magno principe dignius eſt quicquam,quàm priuatarum iniuriarum obliuiſci, vt publicæ propulſentur,quibus dignitas,& authoritas Imperij & ordinum,à domeſticis,vel externis conuellitur. Audacia enim,impunitate cõfirmata,velut contagio,ſerpit,& quouis veneno citius prehẽdit,& occupat hominum animos, vbi,ſi radices egerit,excindi,niſi ferro, non poteſt:id verò perfici, niſi cum periculo,& difficultate magna,nequit.

Wilhelmo cæſo , rurſus in partes diſceſſit Germania, principib.diſſidentib. de ſucceſsore,& aliis alios depoſcẽtib.aut recuſantibus,odio, vel fauore,Nonnulli enim,veteribus innixi legibus, alicui ex Germanis Imperium cõmendandũ,alij exteros cenſuerunt accerſendos eſse,cõtra leges, nouo quidem exemplo, ſed argumento neceſsariæ

potentiæ

potentiæ,ad turbatas,orbe Christiano, res sedãdas,& fluctuantem odiis,ac bellis,Italiam pacandam.

Lõgi fuerunt hi deliberationum conflictus,sed vicit sẽtentia illorum , qui peregrinos expetebant, cúmque & dè his discordarent suffragia , alij enim ad Richardum Cornubiæ comitem , Johannis Anglorum regis filium, alij ad Alphonsum Castellę regem,Hispanum, suffragia inflectebant:& visus est vterque, non tantùm magna cõtentione, ambire Imperium, sed multo id auro, velut licitare, tanquam empturus:propterea diuersis sententiis,adeptus est nomen Augusti vterque,eodẽ anno,qui fuit annus Christi,millesimus, ducẽtesimus,quinquagesim⁹,septimus,sed conditione dispari. Richardus enim præsens,mox Imperium à Moguntino,Colonienſe,& Palatino,quorum suffragia emerat,accepit.In eo sese confirmaturus,vi potius, quam beneuolentia, dissoluto fœdere principum, ac perturbata pace publica,hostiliter, atq; crudeliter persequutus eos,qui à cæteris,in electione dissenserant,direptionibus atq; incendiis,magna damna dedit. Sed vt violentum nullũ est diuturnum,ita citò exhaustus pecunia,quam largionibus immoderatis, in emptionem suffragiorum profuderat, ac tandem à suis etiam spretus, ac derelictus,desperatione,rediit in Angliam,ad Henricum fratrem,bella cum subditis gerẽtem,vbi in obsidione oppidi cuiusdam, telo traiectus,oppetiit.

Alphõsus abeat,Ad hunc,Galliæ regis consensu,Biturigibus , euentum consultationum Germanicarum expectantem,legatos misit factio aduersa, qui in Germaniam illum adducerent: sed dum cunctatur,philosophica quadam,seu moderatione,seu potius timiditate, reformidans discordias quibus flagrabant Germania, & Italia,Imperiũ foris , regnum domi amittit, deiectus de spe consequendi Imperium,nouis Principum consiliis,paterno regno domi exutus à filio Sanctio.

Hæc illustria exempla,vt multa alia,euentu ostendunt, nec felicia esse Imperia, quę appetuntur, aut rapiuntur sine mandato Dei,& sine vocatione legitima , nec vllas ad Imperia vocationes,ortas ab odiis,& ambitione Pontificum,legitimas esse. Non fuit enim,aut gubernatio illorũ salutaris , aut stabile Imperium , aut florens, & diuturna posteritas , quos artes Pontificum euexerunt,siue corruptis,aut impeditis deliberationibus legitimis, siue depulsis veris hæredibus.

Reuerſus Hiſpalim Alphonſus, mœrore contabuit, beatus, ſi & regno ſplendido, & ampliſſima laude illuſtratarum diſciplinarum mathematicarum, ac doctrinæ medicę, de qua cum Friderico Imperatore certauit, magna pecuniæ vi, in inſtaurationē earum artium, inſumpta: ſi ergo illa laude contentus, non affectaſſet Imperium alienum, irrita, & pernicioſa ſibi cupiditate. Debet huic tamen grata poſteritas, quātum, ante reſtitutos Grecos codices, in hac poſtrema mundi ſenecta, habuit Occidens, de matheſi: ac præcipuè de anni ratione, & ſyderum motibus. Has artes enim ferè extinctas, reuocauit in lucem, conductis, & inſtructis, magno ſumtu, artificibus, cùm videret rem tantā perfici non poſſe, niſi & multi coniungerent operas, & à Republica ſumptibus iuuarētur. Scribunt eum, in barbaricas interpretationes, quæ tūc editæ ſunt, & in cōſtructionem canonum, qui Alphonſi nomine celebrantur, & vſurpantur, quadraginta millia aureorum contuliſſe.

Ethinc aque neuter externorum principum, pręter inane nomen Imperij, obtinuit quidquam: tamen, quòd odia, ex recenti diſſenſione, recruduiſſent, alter illorum etiā, violento conatu, vix reſtituta aliquantulum paci publicę graue vulnus inflixiſſet, multum vbique turbarum extitit, & confuſionum, quas, ex familiarum quarundā interitu, nata inter principes certamina, de iure ſucceſſionis, in defertas regiones, vehementer auxerunt. Conſuetudine antiqua, feuda maſculina, hæredibus maſculis deficientibus, redibant ad Imperatorem, qui, re deliberata, tribuerat ea quibus videbatur, ſed ferè, aut præclarè meritis, aut iis qui neceſſitudine aliqua, defunctos attingerent. Interdū his ſuos pręferebant, vt oſtendunt exēpla ducatuum Sueuię, Bauariæ, Saxoniæ. Interdum à ſubditis, defunctorum generi accerſebantur, vel affines, ſi tamen conſenſus acceſſiſſet, & approbatio authoritatis publicę. Hæc res cùm ſępè certamina peperiſſet periculoſa, vt præciderentur, Fridericus Imperator, paulò ante, iura feudorum deſcribi legibus, & referri inter decreta Imperatorum, codici inſerta, curauit. Intercideranr autem, hoc ipſo tempore, tres potentiſsimę, ac peruetuſtæ familiæ ducum Sueuiæ, & Auſtriæ, & Landgrauiorum Turingię Has terras, & hæc inter ordines Imperij loca, atque axiomata, appetebant multi, & alij alio iuris prætextu aſſerebant, & occupare tentabant vi & armis, ſed authoritate priuata, cùm Imperatorem nullum Germania agnoſceret.

Auſtriæ

Austriæ hæreditatem, mortuo Friderico bellicoso, qui decima quinta die Junij, anno millesimo, ducentesimo, quadragesimo sexto decessit, aditurus fuisset Fridericorũ alter, vel Friderici Imperatoris nepos, vel Hermanni Badensis filius, Cunradini socius, si vixissent. Præmatura his morte sublatis, inferiorem Austriam Vngari, superiorem Bauari inuaserunt. Subditi cædium, & rapinarum tædio capti, decreuerunt accersere ad ducatum Austriæ, vel Henricum marchionem Misniæ, maritum Cõstantiæ, quę soror erat vltimi Friderici, vel, si principatum recusaret ille, alterutrum ex filiis duobus, Theodoricum, vel Albertum. Missi sunt legati adductum nouum principem. Id, quum animaduertisset Wenceslaus, Boëmiæ rex, Ottocari filio despondit Margaretam viduam, quæ Henrico Imperatoris Friderici filio gemellos pepererat. Ex hoc coniugio Ottocarus nactus iuris prætextum, mox tertius in Austriam irrupit, contra Vngaros, & Bauaros, interclusis Misnensibus omni ad eam accessu.

Etsi autem Ottocarus, post longa bella vix tandem Vngaris, magno prælio deuictis, quæ illi occuparant, eripuit, non retinuit tamen acquisita, paulò post à Rodolpho Imperatore inde rursus eiectus, decreto Senatus Imperij, propter insolentem contumaciam, & inita contra Imperium fœdera cum Vngaris. In quo bello, cùm ille tandem occubuisset, Rodolphus Austriam bello captam, tradidit filio Alberto, anno Christi millesimo, ducentesimo, octogesimo secundo. Hanc posteritas eius possedit huc vsque, euecta ad summa maximatum opum, ac dignitatum fastigia, excellentia sapientiæ, fortitudine, & splendore rerum gestarũ, auctáque accessionibus regnorum, & ditionibus amplissimarum gentium, ac perenni cumulata gloria.

Comitatus prouincialis Turingiæ, quãdo, & quibus cœperit occasionibus, & à quo sit constitutus, quíve stirpi originem dederit, quæ in viris esse desiit, cum Henrico Landgrauio, qui ad Vlmam, ex ictu teli concidit, & eum Cõrado fratre illius, atque horum ex Ludouico Sãcto, & matre Elisabetha, nepote Hermãno, quem, annum ingressum decimum octauum, magno cum plãctu subditorum, improba anus veneno sustulit. Vnde caussa funestorum bellorum extitit, vt de hac etiam anu verus sit versus:

Γραῦς ἀναχειρώσατο πολλὰ κονίσσοντ' ἐγείρει.

De his ergo supra dictum est.

Turingos, non dubito, eandẽ esse cum Thyrigetis gẽ-

tem, qui, Romanis tẽporibus, ad Istrũ, & Tyram fluuiũ sederunt, vnde nomen est. Partẽ illorum, sociis Herulis, qui Rugiani sunt, Odoacro duce, in Italiam descendisse, ac sedes ibi fixisse, post Attilam: partem verò in occidentem, & septentrionem profectos esse, constat, iisdem Herulis sociis, vt de Gottis accepimus, regnóque excitato, in his, ad Salã fluuium, vallibus Hercyniç, cum Francis bella gessisse, donec Ermẽfrido rege illorum deuicto, à Theodorico Franco, circiter annum quingẽtesimum, vicesimum quartum, venerunt in potestatem Francorum.

Sed cùm Franci, ab his, bellũ in Saxones transtulissent, qui proximi erant, sçpè deinceps, cum fortuna, mutarunt animos, in bellis nunc hos, nunc illos sequuti, donec constituto Imperio occidentis, Imperatores, prouincias inter principes diuiserũt, initio vt præfecturas, deinde attributa etiam proprietate, sub conditione, & iure feudorum, in præmia, & cõpensationem laborum, quos, pro salute publica, subiissent. Tunc ergo partẽ Turingiæ cõsecutus est à Conrado primo, agnatus illius Ludouicus. Nepotẽ eius Lotharius Saxo, dignitate, & opibus amplificatum, creauit comitem prouincialem. Huius posteritas desiit in his, quos dixi, circiter annum milleſimum, ducentesimum, quadragesimum septimum.

Ab horum morte, de iure successionis, contendebant Henricus marchio Missiæ, & Henricus Johannis, Brabãtiæ ducis filius. Vterque matrem allegabat, ille Juttam, sororem trium Principum, quos recensui: hic Sophiam filiam tertij fratris Ludouici sancti, & Elisabethæ. Vterque nitebatur studiis, fauore, & auxiliis subditorum, sed diuersorum. Coniunctæ tunc adhuc erant Turingia, & Hassia. Henrico marchioni ergo adherebant vicini Turingi, Isennacum vsque, Brabantinum fouebant Hessi. A disceptatione, ad arma deuctum, & varia fortuna dimicatũ est aliquoties, Alberto Brunsuicensium duce, Brabantinum adiuuante. Hunc cum, anno belli nono, Rodolphus Varila, Turingiæ Pincerna, viracer, & strenuus, cuius, in eo bello, fides, & virtus fuit præcipua, subitò oppressũ, cepisset, bellum solutum est, Alberto sese, cessione octo arcium, ad Werram redimente, quæ Brabantino adiectæ fuerunt, vt contentus Hassia, vsque ad definitos limites, abstineret ad Isennaco, & Turingia vniuersa.

Transactionem hãc, cùm ratum haberet deinceps Imperator Rodolphus, Principes, amicitia inita à fœderibus, vicinitæ

vicinię iura, arctioribus etiã, maioris neceſſitudinis, vinculis ſanxerunt, vt qui priores deceſſiſſent, alteros hæredes ſuarum ditionum relinquerent. De nobilitate antiqui ſtemmatis marchionum Miſniæ, è quibus Henricus prodiit, ſupra monui. In Henrico ipſo, tanta fuit excellentia virtutis, ac ſapientiæ, tanta animi magnitudo, vt cognomentum Illuſtris, ob res geſtas, κατ' ἐξοχὴν, & Munifici, ob liberalitatem meruerit, & apud Fridericum Imperatorem plurimùm valuerit gratia, & authoritate.

Brabantiæ ducum origo eſt à comitibus Louaniæ, qui antiquitùs ſimul Lotharingiam tenuerunt. Sed ab his, deuoluta eſt Lotharingia, in comites Bilioneos, inter quos claruit Godefridus Hieroſolymitanus. Ex his, orta eſt ſtirps ducum Lotharingiæ, & regum Portugalliæ. Landgrauios Haſſiæ, propagarunt duces Brabantiæ, ex Louanienſi origine. Auus Henrici, primus ducis nomen vſurpauit. Ab hoc Henrico, Sophiæ filio, tanquam ſtemmatis authore, recenſetur aliqua ſeries.

Juliaci principibus, noſtro tempore, quorum potentia ducatus tres inſignes complexa eſt, originem dedit antiquum ſtemma comitum de Altena, ſeu Marca, conditore Adolpho, temporibus Henrici Aucupis. Hi deinceps potiti comitatu Cliuẽſi, proſapia veterũ comitum extincta, promotique in ducum ordinem, coniugiis reliqua acquiſiuerunt, Juliaci ducibus morte abſumptis.

Ampli, & opulẽti ducatus Sueuiæ partem magnã, cum dignitatis, ac tituli iure, poſt miſerabile Cunradini ſupplicium, Rudolphus vendicauit ſuis, vſitata potentum cupiditate: ἡ πλεονεξία γὰρ σύμφυτόν ἐστι νόσημα πάσαις ταῖς δυναστείαις, ſecundum Plutarchum. Reliqua ceſſerũt vicinis, conſenſu Imperatoris, vt ducibus Decenſibus; ex ſtemmate ducum Zaringiæ, comitibus Wirtebergenſibus, ac nonnullis aliis, quorũ aliqui iura ſanguinis, aliqui alias cauſſas prętexuerunt. Inſignia tamen, cum parte non contemnenda, obtigerunt Henrico Dapifero Walpurgenſi, cuius fidei, Cunradinus, iam ſecuri feriendus, annulum commiſerat. Facilior in his concedendis, & benignior eò fuit Rodolphus, vt offẽſuram multorũ animos, immodicę cupiditatis ſuſpicionẽ, ſpecie aliqua munificentię dilueret, quæ, ſi traxiſſet ad ſe, ſuóſque, vniuerſa, vehementer grauatura illũ, ab humili ſorte, ad ſumma celeriter ſublatum, proſperrimo afflatu blandè, prouidentia diuina arridentis, atque indulgentis fortunæ, vel oppreſsura etiam fuiſſet.

Quòd ergo beneuolentia principũ, ſibi præcipuè opus fore, intelligeret, cùm viribus deſtitueretur, multos beneficiis, beneficentia vſus non inopportuna, ex alieno, nonnullos affinitatibus ſibi adiunxit.

Finem, circiter hæc tempora, ſuũ habuit, gens Andechſia, deriuata à Ratholdo, Arnolphi Imperatoris filio. Hæc tenuit, in Germania, planiciem in Vindelicis, ſubditam Alpibus, & agri Norici magnam partem, porrectã in Nariſcos veteres, per montes Sudetes, qua hi Boëmiam à Turingia diſterminant, Voitlandia ea nomen habet, quod à præfectis Imperatorum, vt opinor, quemadmodum olim Romanorũ præfecturæ, ſit adminiſtrata, non ex propriis, ἀυ' τονομίαν enim præfecturæ non habuerũt, ſed communibus legibus. Præterhæc, & Bauaria eã oram poſſedit, quæ Noricos limites attingit: intra Alpes verò, vallem Oeni ſuperiorem, & huic finitimos Atheſinos, & Tyrolenſes. Et ad Dalmatiam, atque Croatiam, ducatum Meranię, cũ vicina Iſtria. Vnde dignitatẽ & ducum Meraniç, & marchionum Iſtriæ, quæ limes fuit Imperij vtriuſque, Orientalis, & Occidentalis, poſtremis ſeculis, acquiſiuit.

Antiqua, & præpotens gens, ſanguine quidem, Frãcica, patriâ verò Bauarica, vt quę, à morte Arnolphi, primas in Bauaria ſedes habuit. Vltimum ex ea gente, Ottonem nomine, tradunt interfectum eſſe, in arce Plaſſenburgenſi, propter violatam pudicitiam coniugis cuiuſdam viri nobilis, cuius nomen fuit Hagerus, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, duodequinquageſimo. Eo ſublato, opes vniuerſas diripuerunt vicini, Iſtriam inuaſerunt Veneti. De ducatu Meraniæ, bello decertarunt iidem, cum Bela Pannoniæ rege. Bauari ſubdita Alpibus, & Bauariæ limitibus incluſa. Menardus Goriciæ comes, quæ ad Atheſin, & Oenum adiacent, occuparunt.

Quæ in agro Norico, ad Nariſcos veteres pertinuerũt, ea inter ſe ſunt partiti, Epiſcopi Bambergenſis, & Wirceburgenſis, comes Turingiæ, ad oſtium Orilæ, cui filia Ottonis nupta fuit, & Fridericus comes in Zollern, cuius filius Albertus, deinceps ea etiam, quę comiti ad oſtium Orilæ obuenerant, ex diuiſione, ducta eius vidua in vxorem, prioribus adiecit.

Fridericus comes in Zollern, obtinuit à Rodolpho, munus, & dignitatem Burggrauiorum Noribergenſiũ, &, vt hæc deinceps, iure hæreditario, tranſiret in poſteros, impetrauit. Ante Fridericum enim, deſignabantur Burggrauij,

uij, iudicio, & arbitrio Imperatorum.

Munus eorũ erat, vt essent ceu custodes pacis publicę, constituerent, & gubernarent iudicia publica, & omnem vniuersim exercerent potestatem politicam, loco Imperatorum, & eorundem authoritate, in certis, ac destinatis terris, & regionibus, quæ attributa erant Ecclesiæ, & Episcopis, concessione, & beneficio Imperatorum, Episcopis enim, quibus sola rerum sacrarum administratio, & Ecclesiasticæ disciplinæ procuratio incumbebat, quæ verbo peragitur, & his cõmẽdata est diuinitùs, aut occupari sollicitudine curandarũ, & conficiendarum opũ, aut versari, & conspici in foro, aut ius gladij vsurpare, nefas erat.

Hinc diuersorũ, & plurium Burggrauiorum extitit origo, quibus hoc nomen inditum est, quod, ceu ex ordinaria sede, quæ Imperatoris arx erat ius dicerent. Missnẽsem huic oræ Germaniæ, seu Henricus Auceps, seu Otto primus, imposuit, cùm conditus est Episcopatus, & à Sorabis hæ terræ receptæ, paruerunt Imperio.

Magdeburgensem constituit Otto primus, vt præesset iudiciis publicis, & gubernationi publicæ, loco Imperatoris in his terris, & in hoc Episcopatu, ac cæteris huic coniunctis. Primus hoc munus gessisse traditur, ordinatione Ottonis, Geto marchio Lusaciæ, cuius memoriam cõseruat monumentũ Cœnobij Gerenrodensis. Hunc sequuti, memorantur hoc ordine aliqui, Hermannus, dux Saxoniæ, Lotharius comes de Waldek, Fridericus Lotharij filius, Conradus eiusdem nepos, Manfredus Conradi vterinus frater. Hoc, in prælio Henrici quinti, ad Welphonis filiulam cæso, dignitatem consecutus est Dittericus comes Phocensis, cuius filiam cùm duxisset Vdo, marchio Brãdeburgẽsis, occupato Burggrauiatu, successorẽ reliquit Hẽricum filium. Eo fato functo, Lotharius Saxo, idẽ munus commendauit Burchardo, è familia dominorum de Querfort, à quibus est origo comitum Mansfeldensium. Post hũc, reperiuntur, in ea dignitate fuisse constituti, domini de Schrapela, à quibus authoritate Rodolphi Imperatoris, translata est in duces Saxoniæ Electores.

Vetera Burggrauiorum iura, multis in locis, paulatim fregerunt Episcopi, cùm impatientia alieni Imperij, potestatem politicæ gubernationis rapuerunt, vsi occasionibus superstitionis, qua fascinatæ tenebantur mentes omnium ordinum.

Postea Episcoporum exemplo, idem fecerũt alij, donec

attenuatis publicis Imperij viribus, opibus & possessionibus, parem comitibus Palatinis, & Burggrauiis, in suis ditionibus, singuli principes, & Episcopi, consensu Imperatorum, potestatem vsurpare cœperunt; quę tamen ἀνυπόδικον non est, sed vni subiecta est iudicio publico, quòd, simili Amphictyonũ consessui, in Græcia, nũc celebratur, & exercetur destinato in loco, omni tempore, cùm ante annos non ita multos, sequeretur curiam Imperatorum, & certis tantùm pateret anni temporibus.

Etsi enim constitutione Caroli quarti, Principum Electorum iudicia sunt ἀνυπόδικα, à quibus prouocatio non conceditur, eò quòd æquales censentur, authoritate, & potestate, præfectis prætorij, cæteris tamen hanc eripuit, cõsuetudine longi temporis, introductus contrarius vsus, vno excepto Electore Saxoniæ, qui, quod in vestigia successit præfecti prætorij, antiquum muneris huius ius, & lege Carolina renouatum, conseruauit, & præscriptione cõfirmauit, ne scilicet liceret à iudicio, & sententia ipsius, subditis discedere.

Ne verò cuiquam deesset copia iuris, data opera est ab Electoribus Saxonię, vt forma iudiciorum publicorum, in his terris, congrueret cum veteribus legibus, & à sententia horum, concederetur prouocatio, cùm ad necessarias, atque iteratas etiam, si sit opus, recognitiones, declarationésque negotiorum, tum ad principis ipsius iudicium, ac definitionem, quæ tertia, & vltima est, vltra quam, ne leges Imperatorum quidem, aliam permittunt. Quod ergo iustissima esset, & legibus maximè consentanea hæc iudiciorum forma, non approbata tantùm ab Imperatore Ferdinando nuper, sed & stabilita fuit, atque munita authoritate publica, ne temere subditis prouocationem ad aliena iudicia liceat, Burggrauiis antiquiores sunt Pfaltzgrauij, quos Latinè Palatij, seu Palatinos comites, & Marggrauij, quos limitũ præsides, & marchiones nominamus. Hos officia ita distinxisse ratiocinor.

Marchiones, ceu præsides limitanei, assiduè ad Imperij limites excubabant in armis, cúmque finium curam agerent, quos & munire præsidio perpetuo, & proferre, non cõtrahere, maioribus curę erat, simul populis, quos armis defendebant aduersus hostes, iura dabant.

Comites Palatini, ius dicebant bello partis, pacatísque prouinciis, vel Romano veteri more, vel Francorum constitutione: Burggrauij, iis terris ferè, quę donatione Imperatorum

ratorum, acceſſerant Eccleſiæ. Quos enim Grauios, veteri Germanico nomine, vocamus, olim iudices fuiſſe, armatos publica authoritate, & poteſtate ab Imperatoribus, nō eſt dubium. Nec, vt coniicio, fuerant Burggrauij, ante Saxonū Imperium. Antiquata ſunt autem hæc iudicia, cùm Epiſcoporum, & Principum potentia creuit, Imperatorum decreuit, labefactata ſcilicet Pontificum, & Epiſcoporum conſpiratione, & Imperij direptione, ac redacta ſunt ad vnum ſummum iudicium, de quo dixi.

Nunc ad Burggrauios Noribergenſes reuertor. Legebantur hi, ex iis ſeu comitibus, ſeu nobilibus, qui in agro Norico circum vrbem, vel in ipſa habitabant vrbe, quæ poſt deuaſtationem, in bello Henricorum factam, vtcumque ſeſe recollegerat. Multæ enim illuſtres, & nobiles familiæ, poſt inſtaurationem in ea vrbe, perpeſſarum cladiū memoria, & impendentium metu, cùm perpetuis bellis ciuilibus arderet Germania, conſederant. Multæ, cum Imperatoribus immigrarant, qui crebrò ibi, & multum eſſe conſueuerant.

Sed Burggrauiorum non ita frequenter meminerunt hiſtoriæ, ante Fridericum Barbaroſſam. Sub Rodolpho celebratur Henricus Burggrauius, ſine mētione tamen ſtemmatis. Huius filia, nupta fuit Adolpho, comiti Naſſaënſi, cuius maiores ſua, in vrbe Norica, domicilia habuerunt, & extra vrbem tenuerūt Suabachium, Cadelsburgum, & nōnulla alia oppida. Huic ergo nupta, peperit Adolphum Naſſaënſem Imperatorem.

Poſt Henricum, Rodolphus munus Burggrauij cōmēdauit Friderico comiti in Zollern, qui Henrico in præfectura, & poſſeſſione ditionis, ſucceſſit, auctus recēti hæreditate, ex ducum Meraniæ facultatibus, ac ditionibus. Antiquiſſimis hic, & clariſſimis in Sueuia maioribus ortus, Guelphis ſcilicet, poſteritatem condidit, quę familiam ditionibus ampliſſimis locupletatam, claritate nominis etiā, & virtutis, ac rerum geſtarum magnitudine, extulit ad faſtigium ſeptemuiratus, Sigiſmundo imperante.

Originem familiæ alij aliam faciunt. Aliqui Romanam eſſe ſtatuunt, & authorem celebrant Petrum Columnam, præpotentem, ſed incertæ originis, in vrbe Roma ciuem; qui, imperante Henrico quinto, impulſu Richardi comitis Campani aduerſatus electioni Paſcalis ſecundi, occupauit Cauas, agri Prænestini oppidū, quod pontificiæ ditionis erat, cùm belli ſocij, Ptolemæus Sublaqueuſis, Albam,

Stephanus Corſus, Baſilicã Sanct. Pauli inuaſiſſet. Huic vt referunt, cùm Paſcalis receptis Cauis, viciſsim Colũnam, & Zagarollam, paternę hæreditatis caſtella, abſtuliſſet, etſi deprecanti culpam ignouit, erepta tamen, non reſtituit: quorum recuperandorum gratia, quod noua ſubinde bella moliretur, Pontifex tota illum Italia expulit, vnà cum aliis familiis. Ex ea fuga, Petrum perhibent ad Henricum quintum, in Germaniam, ſeſe recepiſſe, atque impetratis oppidis aliquot, & portoriis in Sueuia, arcem extruxiſſe, quam à caſtello patrio, nominauit Zagarollam, quæ ſit deinceps, exigua deprauatione vocata Zollern. Columnios verò, qui nunc, inter Romanos, clari habẽtur, nomen quidem a Columna, caſtello, quod obtinuerũt, ſimiliter adeptos, ſed ex alia recẽtiore, non hac vetere familia, prouenisſe: qui, ſi authorem generis iactitant, Ottonem quendã magnum militẽ, ante annos quingentos, vt Volaterranus annotauit, anteceſsit hæc poſterior ſtirps, priorem, annis centum. Hæc inter ſe non congruunt.

Etſi autem coniectura de Zagarolla caſtello, concinna eſt, tamen cùm nullis nitatur aliis certioribus hiſtoriarum argumentis, minimè illam amplector.

Me gentis inſignia, & aliæ veritati hiſtoricæ propiores coniecturæ, mouent, vt penè indubitatò credam, deſcendere familiam, vera propagatione, ex antiquiſsimorum Guelphorum ſtirpe, quos origine quidem Bauaros, Ludouico tamen Lotharij filio, imperante, obtinuiſſe primas in Sueuia ſedes, diximus, propterea quòd is Ethiconis Guelphi filiam vxorẽ habuit. Et ſolos hos, ex vetuſtiſsima, ac nobiliſsima Guelphorũ maſcula ſtirpe, reliquos eſſe, ſentio. Facilè autem aſſentior illis, qui è conuerſo, ex his Columnios Romanos deducunt, cùm certiſsimum ſit, plurima nobiles familias in Italiam, bellorũ occaſione, & gubernationis cauſsa, ab Imperatoribus traductas, atq; collocatas eſſe. Et fortaſſe, ex hac ipſa veteri ſtirpe Guelphorum, fuit Petrus Columna, & ſimili occaſione donatus poſſeſsionibus in Italia, & iure ciuitatis ab Imperatore nomen, cum fortuna, & euentu, mutauit, ac, quod adhæreret Henrico, contra Pontificem, pulſus, rediit ad auitas ſedes, condita arce, illi, quam in Italia tenuerat, *[illegible]*.

Deſierat tũc etiam in viuis eſſe ſtemma ducum Zaringię, Bertholdo vltimo vita functo, qui exemptus eſt rebus humanis eo anno, quo Rodolphum Imperatorem in lucem editum eſſe memorant; ſcilicet anno milleſimo, ducenteſimo,

cẽtesimo, decimo octauo. Huius in Brisgoia possessiones, Friburgi, & Neuburgi comites, ceu hæreditatẽ matrimonij iure debitam ipsis, inter se diuiserunt, cum patre Bertholdo apud Burgundos exulante, eò enim pulsus à Friderico profugerat, hi filios eius Burchardum, & Adrianum veneno sustulissent. Vetustatis familiæ supra meminimus.

Origo fuit â comitib. Brisgoiæ, inter quos Bertholdus, quem tertium numerant, obtinuit ab Henrico tertio, & nuptias filiæ, & dotis loco, ducatum Sueuiæ, post obitum Ottonis, cognominati de Schweinfurt. Sed patre mortuo, filius Hẽricus quartus, sororẽ Rodolpho comiti Reinfeldensi tradidit, cum ducatu, facta Bertholdo spe, de Carenthanorum, seu Carinthiæ ducatu; de quo, cùm etiam excidisset penè toto, quòd eum Imperator cuidam suo agnato attribuit, dignitatem tamen, & nomen ducis retinuit, atque vsurpauit, atque ab arce Zaringẽ, quam in Brisgoia exædificauit, dux Zaringiæ vocatus est, quod nomen à Charitinis veteribus, factum dicerem, nisi veriorem originem propinqua vallis Zeringen, ostenderet.

Tot confusiones, & mutationes tam insignes, ac multę, vt præteream obscuriores, inciderunt simul in interregni tempus, cùm alioquin, ob funestas dissidiorum furias penè nullus esset vspiam angulus tranquillus. Caussæ in cõspectu sunt, consideranti historias, quas, vt nihil dicam de fatalibus caussis, & de peccatis singulorum, refero in contemtum necessariæ authoritatis Imperatorum, à Principibus, in gratiam Pontificum, petulanter proiectæ, atque conculcatæ. Hinc licentia creuit, quæ grata est impatientibus legum, ac disciplinæ. Certum est autem, Deũ adesse iustis Imperiis, & legitimo Magistratui, & seditiosos tandem deleri, iusto Dei iudicio, vel laniena mutua, vel bellis legitimis, sicut accidit hostibus Henrici quarti.

Interregni tempus, qui Guilielmmum Hollandum excludunt Imperatorum numero, nouendecim: qui admittunt, septendecim annis definiunt.

DE REGIBVS HISPANICIS.

DE Arragonia, seu Tarraconẽse stirpe, cuius supra meminimus in historia Sicula, quam Origine Gothicã esse, tradunt, res sic se habet. Mauri attracti à Juliano Cantabriæ comite, cuius filiæ Rodericus, Gothorum rex stupri obtulerat, Muza, Miramolini regis duce, omnẽ Hispaniã, Cantabris, & Asturibus exceptis, subegerunt: anno Christi septingentesimo, septimo decimo. Duces Maurorum re-

gionem inter se partiti, plurimos procrearunt regulos. Sed Gottorum reliquiæ (Nam circiter septingenta millia hominum, in eo bello, cæsa scribuntur) reliquiæ ergo horum intra Asturum, Cantabriæ, & Galliciæ scopulos compulsi, ægrè sese conseruarunt: donec Alphonsus, Petri Catabrici ducis filius, quem primum nominant, è gente Gottica, nonnullas regni Nauarræ, & Lusitaniæ vrbes, ejecto Maurorum præsidio, recepti, séq; paulatim confirmauit. Quod Arriana, & Saracenica deliria extirpauit, cognomentũ meruit Catholici. Cõdidit hic primùm à receptis aliquot terris, stirpem regum Cantabrię, Castellæ, & Legionis, quibus ad recuperandas Hispanias, aditum deinceps patefecerunt, arma Francica, quæ, continentibus aliquot annorũ bellis, magnos exercitus Maurorum deleuerunt. Hac stirpe, cum Varamundo tertio, extincta, circirer annum millesimum, vicesimum quintum, regna occuparunt Arragonij.

Arragonij suæ stirpis conditorem iactitant Ennicũ Gottum; qui, circiter annum Christi, noningentesimũ, duodecimum, ex Pyrenæis montibus, Mauros in Tarraconensem Hispaniam, & Celtiberiam reuersos, multis prœliis profligauit, ac depulit. At nepos Ennici, Sancius maior, cum filio Ferdinando, potitus regno Legionis, & Castellæ, Mauros inde vniuersos expulit, ac regna filiis, & nepotibus partitus, Ferdinando Legionis, & Castellæ regna, quæ propter coniugem ei debebantur, Garciæ Nauarræ, Sancio nepoti, Arragoniæ regnum attribuit.

Ab his, tres distinctę prodierunt familiæ, regnum Castellæ, Arragoniæ, & Nauarræ, quarum illum, nulla mascula sobole relicta, clausit Alphonsus sextus, qui Vrracã filiam despondit Reimundo Berengario, Tolosæ comiti: Tyrefiam alteram, Henrico Lotharingiæ comiti, addita, dotis loco, Galliciæ parte, quæ hodie Portugallia est. A Raimundo Tolosano postremam stirpem regum Castellæ, per Alphonsum filium, ab Henrico, regum Lusitaniæ propagatã esse accepimus. Henricus is nepos fuit, ex Guilhelmo fratre Godefridi Bilionei, regis Hierosolymitani.

Arragoniam stirpem finiit Reimiris frater Alphonsi septimi, è monasterio ad regnum euocatus. Filiæ Petronellæ nuptiis potitus Reimundus Berengarius, Barchinonæ comes, filium Alphonsum ex ea sustulit, qui regnum Arragoniæ adeptus, in ea quoque nouam regum stirpem condidit. At nepos Alphonsi, Petrus, Siciliæ regnum Arragonico coniunxit, illo armis, propter Constantiã coniugem,

Manfredi

Manfredi filiam, vendicato. Garciæ non longa fuit posteritas in Regno Nauarræ: quare illud crebrò mutatis fortunæ vicibus, nunc Hispanos, nũc Gallos dominos accepit.

Barchionẽsium posteritas, Arragonias opes possedit, & rexit, ad Martinũ vltimum vsque, quo è viuis sublato, anno Christi, millesimo, quadringentesimo nono, ius regni vendicauit Ferdinandus, Johãnis primi, Castellæ regis filius, propter matrem Leonoram, Petri Arragonij filiã. Ita regno vtroque, sub Castellæ reges redacto, hæc rursus familia scissa est in Arragonios, & Castellanos, Ferdinandi posteritate Arragonij: Henrici fratris sobole, alterius Castellæ regni ius, titulúmque vsurpante.

Ex Arragoniis tandẽ, Ferdinandus quintus potitus nuptiis Elisabethæ, filiæ Johannis secundi, quę, post mortem Hẽrici fratris, hęres erat regni Castellani, rursus opes Castellanas, cũ Arragoniis coniunxit. Idẽ, pattẽ adhuc viuo, è solo Arragonio in vxoris suæ dotale regnũ transgressus, & Lusitanos, regnum inuadentes, aliquot prælijs superatos, expulit, & tandem Maurorum, in Bethica, Imperium opulentũ, ac florens, quod Granatense vocãt, cõtinuis decem annis oppugnatũ, euertit, pulsis Saracenis, qui id annos septingentos, octoginta tenuerunt. Ita vniuersæ Hispaniarum vires, Lusitanicis exceptis, sub Ferdinandũ Arragonium, sed è stirpe Castellana, redactæ, cũ filię Johannæ nuptiis, tandem transierunt ad Philippum Austriacum Maximiliani filium, Caroli quinti, & Ferdinandi Imperatorũ, patrẽ, à quo, cùm regnum Carolus excepisset, Siculũ, & Neapolitanum regna, quę maiores è stirpe vtraque Hispaniæ, sæpe coniugiis copulata, etiam vi, & armis, aduersus Andegauenses, defenderant, nobili victoria cõtra Gallos conseruauit, vt suo loco indicabitur.

Stirps Lotharingica Lusitaniæ regnum adhuc tenet.

Fuerunt in vtraq; familia Castellana, & Arragonia, aliquot reges, disciplinæ militaris, ac victoriarum gloria, & sapientiæ, iustitiæ, ac doctrinæ laude celebres. Sed cæteris notiores sunt Alphonsus, Castellæ, & Legionis rex, & Ferdinandus quintus: illum restitutæ, atque ornatæ disciplinæ mathematicæ, atque oblatum Imperium: hunc excisa Maurorum regna, & recuperatæ Hispaniæ nobilitarunt.

DE IMPERIO ORIENTIS.

CAptam à Francis vrbem Constantinopolin, sequuta reliquiarum, in Imperio Orientali, tristis dilaceratio, hæc dissidia accendit, quę peperetunt postremam, & sum-

mam,ad fatalem ruinam,inclinationem,patefacto multiplici aditu Turcis, ad Europam, velut per ruinas fiſſæ,diuulſæque in partes Græciæ , & iiſdem , ſi aditus ignorarent,precio conductis,atque adductis.

Pro Imperatore ſe gerebat Balduinus Flandriæ comes, qui tenebat vrbẽ. Hinc promotis caſtris verſus occaſum, & Thracię vrbibus partim vi expugnatis,partim in deditionem acceptis,Adrianopolim obſidione cinxit.

Ex parte altera Bonifacius, marchio Montisferrati potitus Theſſalonica , in ſinu Thermaico, Phtiotidem, & Achaiam celeriter percurrit,atque ſubegit:tentata etiam, improuiſa irruptione,Peloponneſo:obtinuitque,vt Theſſalonicæ,& vicinarum regionum rex declararetur.

Theodorus Laſcaris , Alexij Imperatoris gener,in Aſiam euaſerat , coacta mediocri manu militum , Niceam occupauit. Vbi ſalutatus Imperator, contra Balduinum, fuiſſet è veſtigio, in Europam traiecturus,aduerſus Conſtantinopolin,niſi,id conantem, remorati fuiſſent Turci, deinceps magis impulit , & confirmauit ſocer eius Alexius,genero inuidens Imperium, quod defendere ipſe nequiuerat. Hic dum ad Achaiam,& Peloponneſum oberrat,temerè,bis à Bonifacio marchione captus, ac ſpoliatus, vbi generum ſalutatum eſſe Imperatorem cognouiſſet,ſe contulit ad Turcos , ſed ſcelerata conſilia euentũ ſortita ſunt infelicem. Turcis enim à Laſcare ſuperatis, gener,captum eum,vita donauit.

Alexius Cõnenus contractis opibus,quãtas potuit,relictáque Europa, nouum Imperium Trapezunti condidit, cõplexus Cappadociam,& Colchidem. Ab hoc origo eſt Imperatorum Trapezuntinorum,quibus,vt dicetur,ademit regnum,Mahometes ſecundus,ſtirpe exciſa.

Theſſaliã inuaſit Michael Angelus,à quo,cũ principatũ accepiſſet frater Theodorus, vir acer,& ad res nouas moliẽdas exercitatus,atque inſtructus,ac magni Imperij percupidus,Macedoniã etiã cũ Metropoli ipſa Theſſalonica, & quęcũq; regio nomine,marchio Mõtisferrati tenuerat, qui tunc aberat,ſubegit. Succedens marchioni,in nomen regium,petiuit inaugurationem a Bulgarorum Epiſcopo. Nec contentus Macedonia,in Thraciam etiã,& Bulgariã populabundus erupit, vbi,vt fere omnis nimia cupiditas, nõ niſi,vt inſigni aliqua clade,vel tragico exitu, abrumpitur:ita Bulgarorũ princeps, Scythicis auxiliis, Theodoro debellato , captóq; & ludibriis affecto, immoderatam cupi-

cupiditatẽ definiuit,& coercuit cæcitate. Reliquit Theodorus ſucceſſorem,Michaelem Angelum,nothum,fratris filium, qui Theſſaliam, & Ætoliam retinuit,Imperatoris beneficio,Deſpotæ,non regis nomine.

Sed aliquantò poſt,dilacerationes ſecutę ſunt maiores. Nam & Theſsalia,abiecto Imperio Angelorum,Paleologis ceſsit,Micaele Palæologo dominatum occupãte,& Achaia,Attica,Peloponneſus, Ætolia,Acarnania,atque Epirus peculiares acquiſiuerunt deſpotas,quos,vario bellorum,& ſeditionum euentu , ſæpè mutarunt,præſertim in Attica , Achaia , Peloponneſo , quibus regionibus nunc Græci,mox Siculi,aut Itali,& ex Italis,aliâs Neapolitani, aliâs Veneti,aliâs Genuenſes , aut Piſani,aut Florentini imperarunt , prout cuique belli fortuna fauit. Sed nullorum diuturnum fuit Imperium.

Suis verò paruerunt deſpotis,vel regibus Bulgari , Raſcij,& Seruij,qui nunc amici, aut cõfœderati,mox hoſtes Imperatoribus Conſtantinopolitanis,aſſiduis incurſionibus, Thraciam, & Macedoniam deuaſtarunt. Nec ſcio an Imperij nomen confuſiones hæ mereantur , vel an digladiationes ipſas inter ſe,diuerſarum gentium,latrocinia potius vocem , quàm bella. Certè belli nec cauſsa iuſta fuit, nec ſcelere caruerunt artes fraudulentæ, quibus certatum eſt. Non enim reſtitutio Imperij, & defenſio,ſed dilaceratio quæſita eſt: ſpecies verò latrociniis,& ſeditionibus ſimilior quàm bello.

Pinxi vtcunq; lacerã Byzantinæ Monarchię formã,quę his initiis à Francorum dominatu,ex diſtractionibus penè infinitis,nata paulatim magis,magiſque degenerauit,donec,ſub armis Turcicis,prorſus concidit.

IMPERATORES CONSTANTInopolitani,ex Francis.

NVnc ad Francos reuertor, à quibus Cõſtantinopolis capta eſt anno milleſimo,ducenteſimo,primo. Eodem anno, hærenti ad Hadrianopolin Balduino Flãdriæ comiti, bellum intulerunt Bulgari, comparato ingenti exercitu,ex ſuis hominibus , & vicinis Scythis,quos nunc Tartaros vocamus. Cùm his, nouus Imperator,ad planiciem Oreſtiadis, infeliciter congreſsus, cæſúlque vitam, & victoriam amiſit. Imperium ſuſcepit Henricus frater, quem Bulgari,reuerſi à direptione Macedoniæ,& à Græcis obſeſsis,in auxilium acciti, adegerunt ad obſidionem, pace facta,ſoluendam. Imperatoritaque, ducta Bulgari

principis filia, reduxit exercitum Constantinopolin, & vrbem muniuit, relictóque ibi præsidio, Thessaliam, quam Bonifacius marchio tenebat, adiit. Inde, cùm illum regem creasset, reuersus Constantinopolin, decessit anno Imperij vndecimo, desponsata Jolanta filia Petro Antisidorensi, propter quam ille Imperium, quasi iure hæreditario, adiit. Coronari a Pontifice Romano cùm vellet, Romam profectus est.

Interea Theodorus Lascares, qui Niceæ se Imperatorẽ fecerat, Epirum occuparat, & Dyrrachium, inde reditũ ad vrbem Imperatori intercluſurus. Imperator, tentata frustra vrbis oppugnatone, cùm se obsidionem soluturũ promisisset, si, sub fide publica, discessum impetrasset tutum, Theodoro annuẽte, in numerosa Thessaliæ loca delatus, incidit in insidias, & interceptus est. Theodorus, ad se adductum, per calumniam condemnauit, & toto biennio in tetro, squalidóq; carcere fatigatum, ac penè enectum, tandem obtruncauit.

Pro eo, vidua Imperium administrauit, vsque ad reditũ ex Gallia filij Roberti, seu, vt alij putant, nepotis ex fratre. Hic, cùm mari accessus non pateret ad vrbem, iter per Pãnoniam, & Mysiam intendit, longo circuitu. Imperium adeptus, Venetorum amicitiam tam impensè coluit, vt Prætorem eorum, Martinum Michaëlem in partem administrationis, & Imperij societatem admiserit.

Sed non diu superstes, morbo extinctus in Achaia, cum Roma, quò inaugurationis causa profectus erat, domum reuerteretur.

Filio Balduino, per ætatẽ, minimè idoneo ad Imperiũ, & Lascarinis, ac Comnenis, ex vtroque Imperio Byzantino, ac Trapezuntino, instructis, intentísque ad omnes occasiones vrbis recuperandæ, Veneti intelligentes periculum, vt alteros opprimerent, cum alteris societatem, & amicitiam iungendam esse, censuerunt. Suaserunt ergo, vt impuberi Imperatori daretur vxor Alexi Comneni filia, & has sese nuptias confecturos, receperunt. Sed proceres Francici metuẽtes mutationem gubernationis, ab affinitate Græca, repudiato hoc consilio, suggestu Pontificis Gregorij, adiunxerunt ei Johannem Brienium, regẽ Hierosolymitanum, conciliatis inter Imperatorem, & Marthã eius filiam, nuptiis, cuius sororem Jolen, idẽ rex, Imperatori Occidentis, Friderico secundo desponderat. Etsi itaq; Briẽnio viuo, Balduinus sustinuit hostes, tamen mox, illo sublato,

ſublato, tanti, ex omni parte, hoſtium exercitus ingruerũt, vt cùm exhauſtis theſauris omnibus, nulla amplius ſuppeteret, alendæ claſſi Venetę, pecunia, coactus ſit in Italiam traiicere, auxilia quæſitum. Vbi primum omnium Friderico cum, Parmam obſidione vrgentem, deinde Pontificem cõuenit. Quanquam autem nihil impetrauit ſubſidij, tamen comperta morte Theodori Laſcaris, recepit animum, ac Conſtantinopolin rediit, ſperans ſe hoſtes Ponto, ex Colchide aduectos, quibus ad Helleſpontum anguſtias obſtruxerat, repreſſurum, vel eo vſque derẽturum, donec defatigatis, pacẽ extorqueret. Sed a Micaële Palæologo, vehementis animi viro, reiectus, atque intra vrbem concluſus eſt, vbi, capta proditione vrbe, periiſſet, niſi ſeſe inde noctu, rara cum ſupellectile, clam proripuiſſet ad Eurypũ: inde in Eubœam delatus, quam Veneti tenebant, profugit in Italiam.

Ad hunc modum, Conſtantinopolis amiſſa à Balduino ſecundo, ſexageſimo, ex quo à primo Balduino fuit occupata, anno, rediit ad Græcos, Imperium capeſſente Micaële Palæologo, hac occaſione.

IMPERATORES CONSTANTInopolitani, ex Laſcarinis.

THeodorus Laſcares, quem Niceæ diximus eſſe renunciatum Imperatorẽ contra Frãcos ex Irene, filia Alexij Comneni, procrearat filiam Irenen quam nuptã dedit Iohanni Ducæ. Hic, ſocero poſt decimum octauum annũ mortuo, pro illo Imperium gerens filiam ſuſcepit cognomento Theodoram Laſcarem iuniorem. Defuncta vero Irene appetens nouarum affinitatum, ſpe auxiliorum, ambiuit nuptias Annę, ſororis Manfredi, regis Siciliç, quibus etiam potitus eſt. Pacauit Theſſaliam, pace facta, cum Micaële Angelo notho, & nepte Maria, Theodori iunioris filia data in vxorem Nicephoro, Micaëli filio.

Defuncto ei, anno ætatis ſexageſimo, Imperij triceſimo tertio, ſucceſſit Theodorus Laſcares iunior, cui Helena Aſanis Bulgari filia, peperit Ioannem filiũ, & quatuor filias. Harum duæ, patre viuo, elocatæ ſunt: vna Maria Nicephoro Theſſalo: altera Theodora, Conſtantino tertio Bulgaro. Cura filij Iohannis, & Imperij adminiſtratio, patris voluntate, & conſenſu procerum, cõmedata eſt Micaëli Palæologo, nato ex Andronico Palæologo patre, & Irene Alexij Angeli filia, viro vehementi, ac pugnaci, ſed fidei incertæ, ac dubiæ, vt qui ad Turcos antea trãſierat, cum in

ſuſpicionem affectati Imperij veniſſet, nec deinceps etiam cum receptus eſſet in gratiam, diſſimularat, quod aliquid moliretur. Ideò, vt placato eo, Theodorus vteretur, dignitate deſpotæ eum ornauit, & tutelæ filij præfecit.

Hic Michaël aditum ad Imperiũ ſibi patefecit, victoria deſpotæ Ætoliæ. & Epiri, cui ſuppetias ferebãt generi duo, rex Siciliæ, Manfredus, & Wilhelmus Achaiæ, ac Peloponeſi princeps. Poſt hanc victoriam, Imperator appellatus eſt, prodere perfidiam, & æmulos Imperij tollere, cœpit. Iohannũ legitimo ſucceſſori, annum egreſſo decimũ, oculos eruit. De duobus reliquis Theodori filiabus, Theodoram Beluttio, Irenem Vigintimilio Genuenſi, mercatori vtrique, nubere coëgit. Achaiæ & Peloponeſi principem, bello captum, in vinculis annum integrum habuit, donec ſe redemit tribus Peloponneſi vrbibus Monembaſia, quæ Epidaurus eſt veterum, Maine, ſita ad Leuctra, quæ fuit olim Tenarium Promontorium, & Sparta. His vrbibus Cõſtantium, vterinum fratrem, præfecit, quem, è Cæſare, Sebaſtocratorem creârat.

Vrbem cepit, illo abſente, Alexius Cæſar Strategoplutus, qui noctu per cuniculos antiquos, cum quinquaginta ſtipatoribus, in vrbem ab incolis intromiſſus, & clamore horribili edito, & iniecto multis in locis igne, terrorem ſubitò excitauit tantum, vt vrbs hoſtibus plena putaretur. Ciuibus metu ſe intra domos continentibus, mox, portis effractis, aditum aperuit reliquis, qui ad vrbem excubabant. Abfuit tunc maxima pars copiarum Balduini, ad Daphniſium Ponti Euxini oppidum, quæ vbi compertiſſent ſui Imperatoris fugam, nauibus conſcenſis, illum ſequutæ, obſidionem reliquerunt.

Hic Imperij Frãcorum in Oriente finis fuit, quod, cùm eſſet tot modis laceratum, & tot obiectum, ex omni parte, hoſtib. externis, Turcis in Aſia, Bulgaris, Seruiis, & Raſciis in Europa, retinere eis in tam imbecilli potentia, difficile fuit. Nam in ſolo peregrino, vt aduenæ, Græcis inuiſi erant, & à ſuis non ſubleuabantur neceſſariis, vel pecuniæ, vel copiarum ſubſidiis, quod fieri, in tanta perturbatione Græciæ, non potuit, etiamſi locorum diſiunctio non obſtitiſſet. Etſi autem, de conſilio occupati Imperij nõ diſputo, tamen ex perturbatione, quæ inde extitit, viribus Turcicis, plurimum acceſſiſſe, & nouam quaſi formam Imperij emeriſſe, quæ genti exitialis fuit, certum eſt.

Amiſſum eſt Imperiũ Oriẽtis, circiter annum Chriſti, mille-

milleſimum, ducenteſimum, quinquageſimum nonum, ſexageſimo propemodum, ex quo occupatum fuit, anno.

Priuſquam autem his reliquam, vtrorumque Imperatorum, ſeriem attexam, de Tartaris pauca inſeram, qui Turcos, vt ſupra dixi, in Aſia oppreſſerunt, & circa hæc tempora, in Europa etiam, agminibus penè innumeris, Lituaniam, Poloniam, Sileſiam citeriorem, & Vngariam horribiliter peruaſtarunt.

DE SCYTHIS, TARTARIS.

INnotuit, his annis, Aſiæ anteriori atque Europæ, feritas, & potentia Tartatorum, quos ex Oriente, & Septẽtrione, agminibus denſiſsimis, locuſtarum inſtar, effuſos eſſe, cõſtat. Fuit, ante hæc tempora, nomen ignotum. Antiquitùs Moglas vocatos fuiſſe, tradunt, cui affine eſt nomen Mogolenorum, apud Ptolemæum ad Tapuros montes, quibus affine eſt Tartarorum nomen. Sic enim à vicinis potius, qua Tartari nominantur, etſi alij à flumine, alij à multitudine vocem profectam eſſe autumant. Sunt apud Plinium & Tochari, Bactrianis vicini, à quibus etiã non ita alienum eſt nomen Tartarorum. Græci, gẽtes illas vniuerſas, quæ ſupra Caucaſum, intra & extra Imaum montem, habitant, vſque ad oceanum Indicum, Scythas promiſcuè vocarunt, & ἁμαξοβίους inde, quòd pro domibus eis ſunt carri, centonibus, coriiſque contecti: pro vrbibus verò, & oppidis, immenſa caſtra, non foſsis, aut aggerib. ſed infinita ſagittariorum equitum multitudine, vallata.

De his proditum legimus, quod Indorum dominatu excuſſo, ac gentibus vicinis omnibus edomitis, & ſubiugatis, Cathaynæ ampliſsimum regnum, magnæ Tartariæ nomine, celebre condiderint. Hoc regnum per vaſtiſsimas, & latiſsimas Orientis ſolitudines, ad oceanum vtrũque, Orientalem & meridionalem ex parte vna, ex altera ad Tanaim, & Perſidis, ad Turcorum regnum extenſum, vtramque Scythiam, & multas alias terras, vt Sericam, Ariam, Sinarum regionem, ad quam Luſitani accedunt, complectitur. Ad Boream enim, qua aſſurgit, nullis circumſcriptum eſt limitibus.

Principem totius gentis Magnum Canem nominant, quæ vox illis, patria lingua, Imperatorem ſignificat. Regia ſedes, Gambaleſchia ciuitas eſt, cuius ambitus, duodetriginta millia paſſuum habere perhibetur.

Primum ex ea gente Imperatorem, qui regnum acquiſiuit, & legibus conſtituit, atque iudiciis, nominant Chã-

gium Canem. Eius ætas incidit in annum Christi millesimum, ducentesimum secundum. Ferus, ante hunc genti cultus, sine moribus, sine lege, sine ciuili cõsuetudine, obscuri inter Scythas nominis, finitimis vectigalis, de re pecuaria, quam exercebat. Ab hoc Changio cæterorũ principum origo est. Propagauit enim Imperium incredibili celeritate, à Synarum regione, & Oceano, vsque ad Caspium mare.

Succesit Chãgio, Hocotius Can, inter duodecim filios natu maximus. Hic aspernatus solitudines Orientis, concepit ingẽti animo Imperiũ Asiæ, & Europæ. Aggressurus igitur Asiam, cuius superiores regiones, intra Taurũ montem, tenebant Turci, iis exceptis, quæ ad Taurum Armeniis suberant: ad Colchidem verò & Caucasum Iberis Albanisque veteribus, id est, Gregorianis & Mengrelliis liberis populis comprehendebantur. Asiam ergo aggressurus mille lectos equites præmisit ad explorandos gentium ritus morésque, & aditus pertentandos qui vbi per Albanorum Iberorúmque numerosas conualles ad Derbenti oppidi angustias venissent, quæ ferreis portis & lapideis antiqui operis propugnaculis præcluduntur, Dyriodoro amne subterfluẽte, mox propugnacula mõtibus imposita ad arcendas transitu feras gentes septentrionis, primo impetu capiunt, pérque effractas portas egressi velut in alterum orbem, primo ad Arsengam in Cappádocia Turcorũ oppidum delati sunt, vbi cum instrui magnam vim hominum ad bellum cognouissent, reuersi suo imperatori, quæ explorassent, renunciant.

Hocotius in spes elatus ingẽtes, prouincias tribus filiis animo destinatas armis erũ subigendas distribuit. Jachinum recta ad occidentẽ. Battum ad septentrionem, Cadaganum ad meridiem, cum exercitibus dimittit, ipse quæ ad orientem supererant, adoritur. Cadaganus in desertas Æthiopũ terras delatus amisso exercitu rediit ad Jachinum fratrem re infecta. Nam Hocotius interea decesserat. Jachinus Ariæ Draugianaque & Arachosiæ terras ad regnum Turquestan, ac Persidis oram occupauit. Ex iis locis velut arce belli continentibus præliis Turcos lacessiuit, donec tandem Batto duce Gouiaræ Turcorũ regi regnum ademit, illo ingenti prælio prorsus conciso, anno millesimo, ducentesimo, quadragesimo quarto, totáque ad Pontum gente redacta sub iugum.

Battus frater Jachini se in Comaniam conuertit, quæ

gentes

gentes ſupra Cappadoces ad Pontum & Mæotidem paludem, vltra citraque Rha ſeu Bulgam curſus rapiditate & multitudine aquarum poſt Nilum & Iſtrum fluuiorum ampliſſimum, & ad Tanain vſque comprehendebat. Ibi incolis Hunnis, Circaſſis, Polociis ſeu Gottis: Hos enim Polocios Sarmatæ nominant, qui à veteribus Gottis reliqui, totam illam planitiem ſupra Mæotidem vſq; ad Tauricam Cherſoneſum, & Dromon Achillis tenuerunt ſub peculiaribus regibus, quos in Taurica tandem oppreſſit Mahometes: His ergo domitis, citra annum milleſimum, ducenteſimum, viceſimum octauum, bipartito agmine progreſſus vicinos Roſſos & Jazygas, atque iiſdem aſſiduis maximéque infeſtis irruptionibus contuſis & attritis, partem vnam copiarum ipſe duxit ad Iſtrum, alteram miſit in Poloniam ardentem tunc bellis inteſtinis, ex contentionibus de regno, poſt Leſci Albi mortem, duce Peta, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, quadrageſimum primum.

Battus vltra Iſtrum ex parte vna Cadano duce, Bulgariam, Raſciam, Seruiam, ex altera propriis auſpiciis Vngariam toto triennio depopulatus cæſis aliquot Vngarorum exercitibus, vſque ad Auſtriæ limites penetrauit. Sed magnitudine & robore obiecti ab Auſtriacis exercitus detentus, dum per interpoſitum flumen perrumpere ad hoſtes annititur, vorticoſi gurgitis rapiditate abſorptus, interiiſſe traditur à nonnullis, negant id alij.

Peta poſt repulſos ac diſſipatos aliquot ſecundis prælijs Polonorum exercitus, liberè regnum illud cædibus atque incendiis peruagatus. Cracouia flammis deleta, ad limites Sileſiæ excurrit, ac ſuperato ratibus ad Ratiboriam Viadro, quanta potuit celeritate contendit ad gentis metropolin Vratiſlauiam, quam cùm incolæ, Tartarorũ aduentu animaduerſo & defenſione deſperata, rebúſque omnibus in arcem comparatis, exuſſiſſent, hoſtis arcem obſidione cinxit, ſed fruſtra.

Quod ergo interea duces Sileſiæ agnati, ſanguinis & originis Polonicæ, quorum caput erat Henricus pius, Barbati & S. Heduigis filius, iuſtas armare copias ad Lignefium vrbem intellexiſſet, deductis eo præpopere copiis prælium commiſit, in quo quanquam diu ancipiti Marte depugnatum eſſet, tandem tamen Sileſij multitudine hoſtium ſuperati ac fatiſcentes continuitate ac pertinacia prælij, ceſſerunt. Cecidit in eo prælio Henricus dux,

cuius deinde cadauer inter cæsorum corpora repertum, ex sexto pedis digito agnitum est, cum caput à Tartaris esset absisisum.

Dimicatũ est quinto Idus Aprilis, anno millesimo, ducentesimo, quadragesimo secundo, ad locum vno miliari dissitum à Legnesio, qui prælij memoriam nomine huc vsque conseruauit Walstat. Tartari vt de numero cæsorum gloriari possent, cadaueribus auriculas abscinderunt, tradúntque nouem modios his impletos fuisse. Fracti tamen atque attenuati cruenta victoria, quod viribus diffiderent, non procedere fuerunt ausi, sed reditu Morauiam versus instituto, cùm sese Wenceslaus Boëmorum rex metu in castris contineret, hanc quoque paulo amplius quam menstruo spatio totam deprædati, septimis ab Olmunto castris ad Batti exercitum, commorantem adhuc in Vngaria sese receperunt. Inde onusti amplissimis spoliis regiones ad Tanaim & paludes Mæotidis patriæ primæ propiores repetiuerunt.

Ita & fortitudine & clade Silesiorum reliqua Germania defensa, vt olim Græcia à trecentis Lacedæmoniis in bello Xerxis, immanitatem gentis Tartaricæ non est experta.

Fuit omnino hæc Tartarorum in Europam irruptio tempestati similis, quæ vi procellarũ obuia quæque perrupit ac prostrauit. Antecessit anno millesimo, ducentesimo, vndecimo, cometes, qui Maio mense totos dies octodecim arsit, & flammam terribilem sparsit. Ideo prorsus fatalem fuisse iudico. Puniri enim Deus ab externa gente ὕβριν & insolẽtiam earum gentium voluit, quas domi nec legum authoritas, nec pietas erga patriam, nec cognati sanguinis vinculum coërcere poterat aut continere, vt sibiipsis & patriæ parcerent.

Tertium Tartarorum imperatorem in regno Cathaynæ nominant Magium Canem, hic persuasu regis Armeniorum, ab idolis patriis ad fidem se contulit Christianam, coniunctum se fore illi cœtui, qui vocatur ecclesia Christi, professus ac testatus baptismo, circiter annum, vt refert Hatto Armenius, millesimum, ducentesimum, quinquagesimum tertium. Addixisse se illum religioni Christianæ tradunt his legibus atque conditionibus, quod repudiatis omnibus religionibus aliis, huic vni adhærere, nec tolerare alias suo sub imperio: quod pacẽ & amicitiã inter vtramque gentem firmam ac perpetuam: quod bel-

lo sub-

lo ſubactos à Tartaris Chriſtianos retinere αὐτονομίαν & immunitatem ab oneribus exactionem, quod deſtruere Saracenorum potentiam & Hieroſolymam vindicare in libertatem : quod quæ erepta ſint Armeniis priore bello, reſtituere velit.

Idē & recepit & præſtitit defenſionem Chriſtianis in Aſia aduerſus Saracenos, miſſo in Aſiā cum ingenti exercitu fratre Hyelone, qui coniugē adeptus Chriſtianam, huius impulſu, cùm in Perſia Saracenos oppreſſiſſet Babylone, quæ nunc Baldacum eſt, capta templa Saracenorum deſtruxit. Chriſtianorum contra diruta ante inſtauraui vel polluta repurgauit. Ex Perſia bellum in Meſopotamiā tranſtulit, vbi capta vrbe Edeſſa, quæ Rhages olim vocata, nunc Orpha dicitur, mox tranſiit in Syriam, expugnatóque Alepo, ſultano illius loci Melechmaſer regnū ademit. Mox eidem circiter annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum, ſexageſimum, Antiochiam eripuit. Inter hunc Alepi ſultanum & Ægyptium aſſidua de imperio Syriæ contentio fuit, & flammis odiorum ceu pabulum ſubdiderunt diſſidia diſcrepantis ſectæ. Jam tum verò ſultanus vterque Hieroſolymitano regno euerſo, & reliquiis noſtrorum Argonautarū deletis, vniuerſa propemodum, quæ illi poſſederant, recuperarat.

Hyelonem ad vrbem Hieroſolymam viribus omnibus contendentem ex medio victoriarum curſu retraxit fama de Magij fratris interitu. Ad ſummum enim inter Tartaros imperium aſpirabat. Sed Cobelus frater abſentem anteuerterat, ſtudio atque fauore ſubditorum euectus, ſéque iam in ſolio regio confirmarat. Acceſſit & aliud impedimentum, quod Batti filius Barchinus à tergo vrgebat nouo bello partas ab Hyelone prouincias, cui niſi maturè occurriſſet, ea parte regni excidiſſet.

Ad hunc modum diſtractus bellis diuerſis Syriacarum rerum curam & adminiſtrationem commendauit vni ex præfectis Virboco, homini crudeli & à Chriſtiana fide alieno : qui cum Sydone vi capta hoſtiliter in Chriſtianos ſtatuiſſet, nactus occaſionem Ægypti ſultanus Melechmaes, qui Turquemenio ſucceſſerat, primo ex ſeruili conditione ad regnum euecto, illi celeriter occurrit iam molienti obſidionem Hieroſolymæ, trucidatóque duce & reliquis fœda fuga diſiectis, Tartaros tota Syria expulit.

Cœptum his initiis bellum ſucceſsor Bendocadet per-

texuit, Antiochia recepta, tentatísque subita impressione Armeniis & Turcis, qui Tartaris seruiebant. Sed Absaga dux feliciter arma Ægyptiaca ab vtrísque depulit, oppidis Turcicis, quæ ad Saracenos defecerant, excisis. Idem reuersus ad bellum Syriacum præmisit in Syriam Mandogamorem fratrem Armeniacis subsidiis auctum, qui cõgressum secũ Melechsaitem Sultanum difficili prælio repressit. Sed nondum cõfecto bello, cùm animo esset imbecilliore, imperfecta contentus victoria reduxit exercitum. Institit cedenti Sultanus, quanquam victus, redintegratis viribus. In hunc moturus Absaga, Sultani consilio veneno tollitur, circiter annum millesimum, ducentesimum, octogesimum secundum.

Principatũ illo sublato obtinuit Tanogadorus, infensus & inuisus Christianis. Eo ob impietatem iugulato, Argonus summa rerum potitus annos quatuor, in fratrem Regatum regnum transtulit, cui subditi cùm obignauiam chorda arcus guttur elisissent, accersiuerũt Battum Christianis charum ob curam & amorẽ religionis, exosum Saracenis, qui numero & potentia, propter duorum superiorum regum studia plurimum creuerant, circiter millesimum, ducentesimum, nonagesimum annum.

Cõtra Battum ergo accitus à Saracenis Casanus Argoni filius, quod adhęrere putaretur Mahometico dogmati, illo vel deserto, vel interempto à Saracenis, regnum obtinuit. Hic mox abiecta quam simularat Mahometis lege, Christi nomen & doctrinam amplexus & professus bellum Syriacum instaurauit, deuictóque pugna memorabili sultano Melechnaser, anno millesimo trecentesimo, decimo, & Damascum, initio deditione adeptus, mox Syriam recepit vniuersam. Fugientem inde sultanũ Molaines dux cum Armenio rege persequutus est, vsque ad deserta Ægypti: hinc reuertentem ad obsidionem Hierosolymæ reuocauit in Syriam defectio Capeci, cui Casanus in Persiam regressus gubernationem Syriæ commendarat. Etsi autem Casanus non multò post bis redintegrauit bellum totis viribus, semel duce Cotalusa, iterum se duce: tamen vtraque expeditio cessit infeliciter: priorem enim subita de ipsius morbo fama irritam reddidit: posteriore exercitum inopia aquarum grauiter affligit.

Nec ita multo post decessit, designato successore Carbagado filio, qui cum instinctu Mahometanorum, repudiata

diata Christianorum religione totum se ad Mahometismum conuertisset, pertraxit suo exemplo ad defectionem complures. Cæteros ita pressit & fregit, vt non multò post Christiani nominis professio apud Tartaros prorsus conciderit & exoluerit. Cùm ea simul concidit regnum Tartarorum in Asia. Syriam enim Ægyptij retinuerunt. In reliqua Asia ad Pontum vsque Turcorum potentia paulatim in veterem fortunam restitui cœpta, Ottomannorum auspiciis ac virtute, Tartaricam elisit. A tergo in Persiam inuolarunt Parthi, qui aliquanto ante, authore Gempsa, magno Parthorum sultano iugum Saracenorum à ceruicibus suis depulerat, nouo & libero regno inchoato. In Europa verò, qui suas receperant vires Rossi, reiectis Tartaris vltra Borysthenem à parte vna, ex altera vltra Tanaim etiam & Rha fluuium, hæc flumina limites inter vtramque gentem constituerunt, de quibus cum iisdem, continentibus præliis, huc vsque decertant.

Ex horum Tartarorum reliquiis diuersæ, sed amplæ ac præpotentes prodierunt Tartarorum gentes, quæ sedibus vagæ, sed bello illustres, Asiæ, Europæque non raro inde vsque à prima irruptione terrorem intulerunt.

Diuidũtur in Hordas, quæ vox ipsorum lingua significat consentientis in vnum populi multitudinem, seu cõgregationem ad effigiem ciuitatis. Hę à Jaxarte amne ad Belgam, vtraque id flumen ad Tanaim & Mæotidem hinc inde dispersæ, sedibus incertis per immensas solitudines vsque ad Imaum montem euagantur.

Hordis singulis sui præsunt principes, quibus aut consensus populi, aut genus, aut fortuna belli imperium tradit. Harum constat numerum esse infinitum. Omnem enim ab his limitibus regionem cõplent vsque ad Cathaynam celeberrimam in extremo ad Orientem Oceano ciuitatem, quæ regno Cathayno nomen dedit, cui præest Magnus Can, quem supremum regem cæteri agnoscunt ac venerantur. In eo regno successit Gobilla Can, quem quinto loco supra recensuimus. Circa hæc tempora imperauit Sextus Tangorius Can: hunc sequuti sunt longo ordine alij, de quibus, cùm absint longius, minus explorata sciuntur.

Qui Rossis proximi sũt ad Europæ limites, Persis verò & Turcis in Asia mercaturæ commercio, & frequenti-

bus irruptionibus magis nobis innotuerunt. In Europa enim Tauricam Cherſoneſum quæ Barbaris Cazaria dicitur, tenent Præcopitæ, quorum Principis filiam Selimus Turca duxit in vxorem, qua natus eſt Solimannus. Occupauit hanc duce Mingareſio, qui octoginta millibus equitum victor oram Mæotidis vſque ad Boryſthenem depopulatus, ibi tãdem conſedit, & quo tutius in Europa conſiſteret, aduerſus Sarmatarum Roxolanorúmque impetum in Iſthmo à Mæotide in Pontum foſſam perduxit, atque perpetuo aggere communiuit. Id anguſtum terræ ſpacium antiqui Dromon Achillis vocarunt.

Poloni his infenſi maximè. Vicinam Roſſiam enim illis ſubiectam, ac cognomento ruffæ diſtinctam à Moſcis cuius caput eſt Ciouia ſupra Boryſthenem, finitimámque Podoliam, depopulationibus crebris infeſtant.

Cum Turcis vt religione, ita cæteris rebus mirificè conſentiunt, qui in eadem Taurica Capham Ligurum coloniam, quæ Theodoſia antiquitus appellata eſt, & plura alia in vicino Mæotidis paludis & Ponti littore, Gottis adempta tenent.

Qui verò intra Tanaim & Bolgam latos poſſident in Aſia campos, qua ſeſe radices Iberorum & Albanorum montium in vaſtam planitiem verſus Boream exporrigunt, hi Baſilio Moſcorum regi, vel certis legibus ſubiecti, vel deuincti fœderibus, nonnunquam de illius iudicio principem ſibi perficiunt. Inter hos Cremij inteſtinis ſeditionibus fracti amiſerunt opes cum belli gloria, qua antecelluerunt.

Trans Bolgam Moſcis proximi ſunt Caſanij, Caſani principis ſui nomine ſuperbientes, qui apud Tartaros talem de ſe opinionem reliquit, vt memoria ipſius hoc nomen multi deinceps etiam inter Perſas ambitiosè vſurparint. Hi Moſcis familiares commerciis, amicitiam eorum religiosè colunt.

Vltra Caſanos ad Boream ſunt Sciabani, armentorum pariter & hominum multitudine potentes.

Poſt hos ſunt Nogai celebriores reliquis opum & bellicæ laudis gloria. Regũtur non vnius imperio, ſed reipub. more à ſenatu delecto ex ſenioribus, qui prudentia & virtute eminent.

Ab his ad meridiem verſus Hyrcanum mare deflectit Horda Zagataiorum ſeu Zauollienſium, quæ nobiliſſima eſt ac potentiſſima: cæteris enim originem dedit, ſéque in Sog-

in Sogdianos, Aracosios, Bactrianos, & Hyrcanos extēdit. Metropolin horum Samarcandam vrbem amplam & populosam interlabitur mediam Jaxartes maximus Sogdianæ amnis, qui ad centum milliaria inde in mare Caspium deuoluitur. Edidit hæc vrbs Tamberlanem Scytham, qui Baiazeten Turcum ad Stellam montem, memorabili Pōpeij Magni victoria & Mithridatis calamitate celebrem, ingenti prælio superatum cepit, & per omnem Asiam à se deuictam, terribili maximi exercitus impetu ferrea inclusum cauea in triumphi pompa circumduxit.

Reliquæ remotiores Tartarorum Hordæ à Magno Cano imperia accipiunt.

Hæc de Scythis Tartaris hoc in loco vt commemorarem, series reum & occasio mutationum, quæ in Asia Turcis imperium reddiderūt, exegit. Etsi autem dubitari scio, socij ne an hostes fuerint, qui Christianis decertantibus cum Ægyptiis de regno Hierosolymitano, in Syriam penetrarunt, Armeniorum persuasu & ductu, Hyelone & Absaga præcipuis ducibus: assentior tamen Hattoni Armenio, affirmanti, explorata sese compertáque & visa etiam scribere. Is primos Tartarorum ab idololatris ad Christianismum transiisse, posteriores religionē cum fortuna mutasse, sacrísque Christianis reiectis ad Mahometis furores desciuisse tradit.

Sunt autem ab anno millesimo, ducentesimo, vicesimo secundo, quo Asiam anteriorem & Europam primùm Tartaricæ gentis nomē audiisse & immanitatem sensisse perhibent, vsque ad annum millesimum, trecentesimum, quinquagesimum, quo à Turcis & Parthis eadem exclusa, Asiæ imperare desiit annis centum viginti octo.

Fato euenire mutationes, quæ efficiunt vastationes in imperiis, seditionibus aut bellis, ciuilibus vel externis, præsertim si plures simul in eundem quasi articulum temporis locis diuersis incidant, non est dubium. Antecedunt has mutationes ferè in animis principum amentiæ & cupiditatum immodicarum implacabiles furię, quibus impelluntur authores, vt moueant vel irritent non necessaria bella. Sūntque errores consiliorum, & furores stolidarum cupiditatum simul primæ & proximæ peccatorum in magnis principibus pœnæ, & caussæ ruinæ atque interitus:

Iratus enim ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet.

Caliginemq; offundit, vt ruant suas
Furenter in clades, sibi quas noxiis.
Accersierunt vltro consiliis malis. Et in Lucani versibus dicitur:

Hoc placet, ô superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nocituraq; poscimus arma.

Cæcitas enim aberrantia parit consilia turbata ratiocinatione. Cupiditates feruntur extra metas, nec parcunt coniunctissimis etiam. Hinc odia & distractiones: ex his bella, vel domestica, vel post præconsumptas domi vires externa, quibus implicitos opprimunt, aut clades insignes, aut ruinæ perpetuæ. Tales cùm viderẽt mutationes pars maxima orbis terrarum diuersissimis in locis hoc ipso tempore, quo interregni fluctibus quassata est Germania, fatales omnino & occultas præcessisse causas necesse est. Sed tamen penè vbique initia extiterunt à dissidiis domesticis, quorum occasiones cum in Germanicis, Italicis, & Asiaticis mutationibus præcipuè ostenderim, pauca interseram etiam de Polonicis.

Polonia, vt supra dictum est, regnum esse cœpit, imperante Ottone tertio, qui primus circiter annum millesimum, axioma regium tribuit Boleslao duci, quẽ à Piasto stirpis conditore sextum, & hoc nomine primum numerant. Huius abnepos Boleslaus cognomento Criuoustus, cum soboli numerosæ regnum in plures discerptum partes diuisisset, caussam præbuit feralibus dissidiis, quæ in bella intestina eruperunt, quibus inter sese posteritas conflictata supra ducentos annos, non tantùm ad exhaustam atque attritam cædibus assiduis ac direptionibus patriam, aditum patefecit externis hostibus, vt Tartaris & Lituanis, sed & semetipsum tandem è regni fastigio deiectum euertit, & annulsione Silesiæ ac Pomeraniæ vlterioris, quæ Poloniæ cohærebat mutilatas regni vires plurimum, accidit. Natu maximus filiorum Ladislaus non conceſſurus fratribus, quæ pater singulis testamento destinarat, bellum conflauit, in quo victus ipse & pulsus regnum amisit. Huic reducto, Fridericus Barbarossa Silesiam impetrauit, cùm regnum obtinere non posset, in quo cæteri iam ita confederant, vt excuti facilè nequirent. Regnarunt autem illi ordine omnes Casimirum natu minimum vsque, cuius liberis mox ab obitu patris, cæterorum fratrum posteritas bellum de regno mouit: ideo euentu

gestum

gestum est, vt creberrimè regnum reges: prouincię regni dominos summo sub cum dispendio mutarint. Casimiro vltimo ex natu minimis posteritate sine mascula sobole extincto, proceres regni aduocarunt peregrinum regem Ladislaum ex Pannonia, agnatis exclusis.

Hęc res caussã dedit, vt principes Silesię orti à Ladislao, vt dixi, dolore repulsæ & contemptus sui, à Polonis discederent, sed & hi cum numero plures, opibus verò dispares, nec libertatem ferre, nec itra necessitudinis colere scirẽt, & inuidentia eo vsque proucherentur, vt ne ab insidiis quidem mutuis ac cædibus abstinerent, vt fit, vbi multi dominantur, mox sese ex certa & tuta libertate in seruitutem coniecerunt priore duriorem, conditione infeliciter mutata. Inuitati enim & conuersi his dissidiorum domesticorum occasionibus ad concupitam iam dudum & tẽtatam sæpè Silesiam, Boëmici reges, Johãnes patre Henrico septimo imperatore natus, vir astutus, & Carolus filius, auctis inter dissidentes principes, odiis, non magno negocio perfecerunt, vt aliqui sponte, aliqui expugnati minis vel precio, plurimi blandis capti pollicitationibus, libera colla obuio iugo subdiderint.

Hoc intestinarum discordiarum fructu redacta sub iugũ Silesia, paruit deinceps regib. Boëmiæ. Ex ruina principum creuit authoritate, opibus & potentia, metropolis gentis Vratislauia, consensu Caroli quarti & auxilio, qui rectè iudicabat exemplo regni Gallici, gubernationis neruos belli & pacis tempore apud ciuitates esse, si floreant legibus, iudiciis, libertate, authoritate & opibus. Quare augendas eas, non opprimendas censebat.

Nomen gentis vel veterem appellationem Quadorum interpretatur, vel collectitiam multitudinem significat, nomine à conuenis facto, quos Sbigneus nothus Casimiri primi filius, accitus contra fratres à Polonis exulibus, adduxit in Silesiam ex diuersis gentibus Germaniæ contractos.

Polonia verò cessit externo regi Pãnoniæ, cuius filiam Heduigam, quod masculam rex sobolem non suscepisset, cum Poloni hæredem regni decreuissent, bellis domesticis finis est impositus; sed noua inter æmulos procos accensa sunt certamina. Nuptias enim reginæ propter regnum ambierũt magno studio, Sigismundus Caroli quarti filius tunc marchio Brandeburgensis, & Wilhelmus Austriacus, sed Poloni neutro admisso, accersiuerunt è

Lituania Jagellonem, Gediminii illius nepotem, qui nuper magnum ducatum Lituanię occuparat, atq; huic poſtquã ſacro baptiſmo ablutus idololatriæ ethnicæ renunciaſſet, die decima quarta Februarij, anno milleſimo, trecenteſimo, octogeſimo ſexto, reginam deſpõderũt. Hoc nuptiarum fœdus diuturna inter vtramque gentem Polonicam & Lituanicam bella diremit, & Poloniæ adauctæ acceſſione Lituaniæ ac finitimæ Ruſſiæ, iacturam auulſæ Sileſiæ compenſauit, denique vt introductus Chriſtianæ religionis cultus atque profeſſio, inueteratæ ſuperſtitionis deliria ex ea gente exterminaret, perfecit. Hoc Jagellone nata poſteritas regnum Poloniæ tenuit ad Sigiſmundum Auguſtum vſque.

Pomeranię nomẽ latè patet in eo tractu, qui à limitibus marchiæ Brandeburgicę ſecundùm littus maris Sueuici in ſeptentrionem ad ſinum Codanum vſque porrigitur, vbi Viſtula in mare Henetũ illabitur. Notiſſimus memoria antiquiſſimæ & ampliſſimæ gẽtis Sueuicæ, & fluminũ inſignium aliquot, quæ hoc vſque vetuſta nomina cõſeruarunt, vt Viadri, Sueui, Warræ, à quo Pharadena gens.

Eam à ſuis gubernatam fuiſſe ducibus, qui è gente Heneta prodierunt, inde vſque ab eo tempore, quo in illis terris Heneti, ſeu pulſis, ſeu ſponte progreſsis verſus occaſum, colonis veteribus conſederunt, quod circiter annum Chriſti ſexcenteſimum accidit, non dubiis hiſtoriarum teſtimoniis conſtat. Sed vetuſtiorum ducum res geſtę & nomina obſcuriora ſunt. Gryphones tamen vocitatos eſſe ab inſignibus, quæ vſurparunt, magno conſenſu traditur.

Ex hac gente Gryphonũ natus Suantiborus princeps magnitudine rerum pręclarè geſtarum aduerſus Danos & Polonos, memoriam maiorum plurimum illuſtrauit, ac poſteritatem hanc, quæ nunc rerum potitur, nuſquam interciſa ſtemmatis linea propagauit, claram bellis maximis ac difficillimis & penè continentibus, quibus illa cũ præpotẽtibus ac circumfuſis vndique vicinis Polonis, Danis, ac deinceps equitibus Marianis in Boruſſia, & marchionibus Brandeburgicis conflictata ſeſe tamen conſeruauit.

Gedanum quod & nomen oſtendit, hi principes arcem belli fecerunt contra Danos, opportuno & ad defenſionẽ regionis, & ad nauigationes, ſitum loco.

Suantibori liberi paternas poſſeſſiones partiti, diſtinctionem citerioris & vlterioris Pomeraniæ primi fecerũt,

&

& sciderunt gentem in familias duas. Bertislaus enim & Ratiborius citeriorem sortiti Pomeraniam Germaniæ finitimam, cui Sedinorum ditio fuit coniuncta, vbi Stetinū est caput gētis & antiquissima familiæ sedes, hi ergo procrearunt stirpem, quæ nostra tempora attigit. Vlterior deuenit ad Suantopolcum & Bugislaum.

Bertislao nati sunt Bugislaus & Casimirus. Hi amplexi libertatē, leges, immunitates, iura, mores, ritus, & linguam vicinæ gentis Germanicæ, se conuerterunt à Polonis ad imperium Romanum, ab imperatore Friderico Barbarossa asciti in ordinem & senatum principum imperij, & sūma aucta dignitate quæ ducum est, in castris ad Lubecā, ob præstitam fidem contra Danos operam.

Reliqui vlteriores ob viciniam, consuetudinem, & cōmercia Polonorum, nunquam prorsus discesserūt ab eorum societate, etsi bella nonnunquam vtrisque intercesserunt, orta ex contentionibus de finibus, vsque ad eas mutationes, de quibus dixi, in quibus Suantopolcus ptinceps acer ac præpotens auctus opibus, & aliquot de Danis victoriis elatus, cùm recuperasset, quæ maiores amiserant, vniuersa, repudiata societate Polonorum sese in libertatem vindicauit. Huius stirpe in Mestouino filio extincta, qui Gedani decessit octauo Calend. Januarij, anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo quinto, Primislaus Poloniæ dux, hæres institutus à Mestouino, odio agnatorū, inter quos cum sese ad imperia diuersa maiores contulissēt, hęc deinceps disiunctio linguæ, morum ac studiorum adaucta, nunquam passa fuit veram beneuolentiā coalescere. Primislaus ergo prætextu iuris, agnatis exclusis ditionem occupauit. Ita auulsa à Pomerania vlterior pars, quæ Vistulæ adiacet, Polonos dominos accepit: sed aliquanto post Mariani in Borussia equites inde tractum, qui circa Gedanum est, cum vrbe ipsa decerpserunt.

IMPERATORES OCCIDENTIS, Rodolphus Habsburgensis.

ANni sunt ducenti à pontificatu Gregorij septimi, scilicet, ab anno Christi millesimo, septuagesimo tertio, vsque ad imperium Rodolphi Habsburgensis, quibus cum pontifices bello assiduo oppugnarint & exagitarint imperatores occidentis, Italia bellis ac seditio-

nibus ac mutua ciuium inter se laniena quieta nunquam fuit, Germania per interualla admodum exigua vix tantùm respirauit interdum, vt iacturam præcipuorum ordinum & familiarum, quæ bellis absumptæ interierāt, vtcunque refecerit & expleuerit, delectis atque surrogatis successoribus aliis, ne forma imperij tota cum interitu familiarum, penes quas potentia fuerat, & dignitas præcipua, simul collaberetur.

Sed difficultatem maximam habuit postremus huius temporis actus, propter anarchiam, in qua cùm Imperatore certo careret Germania, licentiam vsurpare omnium quæ vellent, & rapere quæ cuperent, atque in desolatas interitu principum terras inuolare grassarique qui vellent, iam impunè audebant. Auxit hæc res difficultatem deliberationum de idoneo imperatore, qui rebus publicis hoc lacero & perturbato statu præficeretur, quem non tantùm sapientiam, sed vires, potentiam & authoritatem adferre ad imperium oportebat, si sanare vulnera dissidiorum atque odiorum restitutione firmæ ac stabilis pacis deberet.

In his ergo calamitatibus & mutationibus imperij occidentalis cùm de multis maximis rebus cõmonefactiones proponantur, præcipuè tamen considerandum hoc est, imperia non solis consiliis aut viribus humanis firmari aut restitui, sed Dei opera esse, & excitari diuinitùs, cùm opus est, sapientes, magnanimos, concordes & fœlices principes, atque adiuuari & instrui, cùm per sese viribus imbecilles, & mole negociorum ac periculorum iudicio humano videntur esse impares. Regi etiam diuinitùs consilia publicarum deliberationum, cùm quæruntur idonei gubernatores, & flecti animos deliberantium, ad ea, quæ sunt salutaria ἢ συμβατικά.

Quod ergo in maxima & confusissima anarchia interregni, Italia flagrante intestinis dissidiis ac seditionibus, Germania ex veteribus odiis & motibus nouis dubio fluctuante, cunctis rebus vbique ad tristem ruinam spectantibus, quod tunc ergo penè cunctis cæterorum suffragiis gubernacula imperij commissa sunt vni Rodolpho, multis aliis præteritis, id gubernatum esse à Deo nõ dubitemus, qui & principum animos impulit, ac flexit, vt hunc præferrent, & ipsum Rodolphum, quanquam plerisque aliis inferiorem opibus, viribus, authoritate, tamen quadam animi magnitudine incitatum confirmauit ne o-

nus

nus difficillimæ & periculoſiſsimæ gubernationis recuſaret. Geſsit enim res ſalutares orbi Chriſtiano ac præcipuè patriæ, etſi, vt nulla humana ſapientia non errat aut impingit alicubi, ſua quoque habuit errata.

Affectauit tũc imperiũ ambitioſo pariter ac minaci conatu Ottocarus Boëmus, empto Ottonis Brandeburgici ſuffragio, & nonnullis inter reliquos etiam ordines pecunia expugnatis. Et diſputatum etiam fuit in ſenatu ſeptẽuirum de nonnullis aliis, quorum aliquos opũ ſplendor, aliquos fama rerum præclarè geſtarum, aliquos ſapientiæ opinio & reſpectus authoritatis commendauit.

Sed Rodolphi fatum vicit. Hunc Calendis Octobris, anno milleſimo, ducẽteſimo, ſeptuageſimo tertio, Francofurti ſolenniter electũ, euocarunt ad imperium, ex caſtris ad Baſileam, vbi aduerſus epiſcopum eius loci & Pſitacos principes factionis epiſcopo addictæ inter ciues, bellum gerebat reducturus Stelliferos, vrbe pulſos, propterea quod ipſi fauiſsent. Annum tunc egit ætatis quinquageſimum quintum. Natum enim tradunt, anno milleſimo, ducenteſimo, decimo octauo, Cal. Maij.

Credo ad imperium adipiſcendum non parum illi profuiſſe & iudicium de eo Friderici imperatoris, & ſpectatã aliquot externis Friderici & ſuis domeſticis bellis, interregni tempore, ſapientiam, magnanimitatem, fortitudinem, felicitatem ac moderationem. Nam accedenti ad Fridericum, conſeſſum omnem ordinum militarium, quãquam adoleſcenti, honoris cauſſa aſſurrexiſse prodiderunt, & vicinos comites Sueuiæ atque Alſatiæ in interregni licentia, ſpe immunitatis ferociẽtes, ac nihil non in aliena bona audentes ac molientes, cũ tumultuariis irruptionibus, tum apparatibus iuſtis feliciter repreſserat atque compeſcuerat auxiliis Tigurinorum, Baſilienſium & Argẽtinenſium, à quibus ſingulis propter opinionem excitatæ in re bellica virtutis, quam in ſacra militia & bellis Italicis Friderici de ſe concitarat, mercede ad defenſionem armis præſtandam conductus erat.

Collocatus in imperiũ inauguratione ſolenni, totus in hanc curam incubuit, vt latrociniis, ſeditionibus, tumultibus, bellis quibus ardebat Germania vbiq; locorum ſublatis, patriæ pacem redderet ac tranquillitatem. Huic conatui cùm aliæ obſtabant difficultates, tũ verò hæc in primis, quod de hæreditatibus earũ regionum, quarum domini interciderant, bello inter ſe contenderent vicini, a-

lio alias sibi vendicãte & armis deferente arbitrio priuato, sine authoritate & consensu senatusconsulti publici.

Ottocarus Boëmus Austriam occuparat, & partem finitimam Bauariæ huius principi Henrico concesserat ex pacto ac fœdere.

Sueuia discerpebatur à diuersis, Ducatum Zaringiæ in Brisgoia, quem imperante Henrico IV. cœpisse diximus, inuaserunt comites Friburgenses in Brisgoia & Neubergenses. A reliqua Sueuia, quæ ad Vindelicos, Alsatos & Charitinos vergit, cæteros ferè iam excluserant marchio Badensis ex vna, comes Wirtebergensis tanquam potentior ex altera parte.

De Turingia & Hassia dimicarunt Henricus marchio Missniæ & Brabantiæ dux, vt dixi. Ille verò Turingiã, hic Hassiã iam tenebat. Et potentiorum exempla imitabantur tenuiores, ac simili audacia, quæ iuris publici erant, quæque transferri in alios, nisi senatusconsulti sententia non poterant, inuadebant ac sua faciebant.

Etsi itaque, si de priuatorum bonis tantum certatum fuisset, sopire disidia veterum exemplorum decretis licuisset, vt pacem præstarent ac colerent ἔχοντες ἃ ἔχουσι, tamen cùm ad Imperium pertinerent, cuius & potestatem & vires restitui, postquam essent labefactatæ, non attenuari magis atque diminui oportebat, si conseruatum id, non prorsus eneruatum vellent, rectè censuit Rodolphus, oportere ante omnia possessores de occupatis priuata potestate & cedere, & cognitionem atque sententiam permittere imperatori ac senatui principum, vt quicquid hi cõstituissent, id ratum haberetur: qua in re etsi sua fortasse etiam spectauit, atque considerauit commoda, tamen è dignitate ac maiestate imperij, & ad restitutionem concordiæ publicæ perneceſsarium id fuit.

Anno itaque ab electione proximo comitia indixit cõuocatis principibus Noribergam. Eo cùm cæteri frequẽtes conuenissent, non accesserunt Boëmus & Bauarus, vterque contemptu imperatoris infirmi ac pauperis, quo Boëmus non ita multò ante magistro Curiæ in aula sua mercede fuerat vsus. Detrectarunt authoritatem noui imperatoris Badensis etiam & Wirtebergensis, cum pluribus aliis, simili de causa, fœdere inito, vt contra imperatorem occupata tuerentur.

Rodolphus, ne vim prius, quàm omnia moderata & tuto consilio experiretur, quanquam contumeliis affectus,

ctus , tamen per legatos insuper repetiuit ab Ottocaro Austriam, ab aliis alia. Hæc iusta postulata, cùm illi superbè & contumaciter recusarent, arma arripuit. Sed quod suæ sibi tenuitatis conscius esset, iam ante ex amicitiis & affinitatibus tantum præsidij ac virium comparauerat, quantum ad retinendum imperium & elidendos conatus hostiles reliquorum satis esse putaret. Affinitatibus enim sibi deuinxerat tres imperij septemuiros, Ludouicum Palatinum Rheni, Albertum Saxoniæ ducem, & Ottonem Brandeburgicum marchionem, elocatis filiabus, & dotis loco aliqua terrarum vicinarum parte attributa. Beneficiis verò cum alios, tum verò imprimis Henricum Misniæ marchionem, qui opibus antecellebat ex vbertate venarum metallicarum, & Fridericum comitem à Zollern sorore natum, quorum illi concessit Turingiam, & confirmauit donationem Friderici imperatoris, qui dotis loco filiæ elocatæ Alberto Henrici filio adiecerat veterem imperij comitatum Alteburgum. Huic promissum Conradi de Burggrauiatu Noribergensi nominauit, quem paulo post Henrico Burggrauio mortuo, circiter annum millesimum, ducentesimum, octogesimum nonum, possedit.

Horum ergo coniunctione & auxiliis fretus, quod se sciret legitimè ad imperium vocatum esse, cum lenitate nihil proficeret, ad tertia enim comitia contumaces frustra citarat, arma sumpsit, primum in marchionem Badēsem & huic confœderatos in Sueuia, Alsatia & vicinis aliquot terris. Hos non magno negotio dissipatos & contusos coëgit supplices pacem petere, relictis quæ occuparāt.

Inde in Austriam bellum transtulit aduersus Ottocarū, qui in annum iam secūdum & vicesimum Austria potiebatur, nec tantum imperium Rodolphi detrectabat, sed & legatos violarat, nonnullis ad portas suspensis. Hoc bellum eo exitu finitum est, vt cum primo anno Henrico Bauaro deuicto, Austriam omnem Rodolphus in deditionem accepisset, Viennia excepta, quam obsedit, & amicitiam cum vicino rege Vngarico iunxisset Ottocarus, intercessione amicorum in gratiam repositus impetrarit feuda regni Boëmici & Morauiæ, si ab Austria abstineret, & filio Wenceslao nuptias filiæ Rodolpho.

His pactis atque conuentis cum non staret Ottocarus, sed aliquātò post instinctu, vt fertur, coniugis, de Austria bellum redintegraret, Rodolphus acie victum interfe-

cit ſeptimo Calendas Septembris, anno milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo octauo, filio tamen Wenceſlao regnum Boëmiæ reliquit, dato ei in vxorem filia Jutta, quã antea ex pacto ei deſponderat. Hoc bello confecto, principib. aſſentientibus, ducatum Auſtriæ Alberto filio, Sueuiam Rodolpho tradidit, circiter annum milleſimum, ducenteſimum, octogeſimum ſecundum, Auguſtæ, caſtigatis prius nonnullis comitibus Sueuiæ, inter quos fuit Wirtebergenſis, qui de ſuo iure diſceptantes armis, ciuitates nonnullas in belli ſocietatem pellexerant, vt vexarant reliquas. Burgundiam ad defectionem inclinatam ac nutantem confirmauit. Heluetios Allobrogum duci ſubditos compeſcuit, & à latrociniis paſſim Germaniam reputgauit, ſupplicio affectis ducibus latronum atque authoribus, & latebris eorum ac receptaculis exciſis, in vtraque Germania, citeriore & vlteriore.

Ad Wetzflariam in Cattis cepit & cremauit quendam, qui ſe mentitus Friderici cum ducem Sueuiæ illũ, quem cum Cunradino capite truncatum diximus, Rhenanas aliquot vrbes concitauerat in imperatorem, ſollicitatas ad defectionem, ſeque horum auxilio ad repetendam Sueuiam accinxerat.

Hinc vltra Herciniã progreſſus, inſtituto cõuentu Erphordiæ in Turingia, ſupra ſeptuaginta munitas arces, latrociniis infames, diruit, ac deleuit, ſupplicio ſumpto de nouem, & viginti latronibus, quos in Ilmena ceperat.

Alberto Henrici filio, Langrauio Turingiæ, marchioni Miſniæ, & filiis Friderico, & Ticemãno, natis ex filia Friderici Imperatoris, pacem mandauit, inter quos offenſio extiterat, quæ in bellum exarſerat, quod pater, à filiis legitimis, alienare Turingiam conaretur, de cuius belli cauſſis, & occaſionibus plura poſt.

Italiam ingreſſus non eſt, etſi ſunt, qui affirmant, quod Loſannæ Gregorium decimum, Romam repetentem, cõuenerit, nixi teſtimonio veterum verſuum.

Bis ſexcenti, ſeptuaginta, treſq; ſtetere
Anni, Loſannæ dum rex & papa fuere.

Sed vicaria opera Legati, vtcũque in officio retinuit ciuitates, quę erant in fide Imperatoris: quarum opera, cùm eluſiſſet, & diſcuſſiſſet molitiones Nicolai Põtificis, qui a Gregorio decimo quarto, agnatos ſuos Italię reges creare conabatur, multa illis iura, quæ Imperij erant, & immunitates multas vendidit, cùm, vt pięfitam ab illis fidem remunera-

muneraretur, tum vt arctius eaſdem ſibi deuinciret, & ſubleuaret etiam, ea pecunia inopiam, qua laborabat. Pō-
tifici, creſcens illius potentia, cœpit eſſe ſuſpecta, idcirco, quò maturè eam retunderet, renouauit decretum de re-
cuperanda armis terra ſancta, quæ tunc in eo erat diſcri-
mine, vt triennio poſt, vniuerſa in poteſtatem Ægyptio-
rum venerit.

Addidit edictum, de Italiæ defenſione, quæ maritimis deſtituta præſidiis, victoribus hoſtibus pareret. Item de pellēdis ex Sicilia, & regno Neapolitano, Gallis, & Hiſpa-
nis, & niſi bellū maturaret, ſe, minitatus eſt, confirmandi ſui, ac tuendæ Italiæ cauſſa, occupaturum Hetruriam, & Exarchatum ſeu Romandiolam in Piceno, Flaminia, & Æmilia. Simul etiam nouas indixit, ordini ſacro, penſio-
nes, impetrata quarta annuorum redituum parte, de qui-
bus, Pontificis Honorij quarti, qui Gregorio ſucceſſerat, poſtulatis, Tulenſis Epiſcopus Legato pontificio, Epiſco-
po Tuſculano, præſente Imperatore, in Synodo Wurce-
burgenſi, anno Chriſti, milleſimo, ducenteſimo, octogeſi-
mo ſeptimo, in eam ſententiam reſpondit: vt, cùm ſcelera, fraudes, inſidias, tyrannidem, auaritiam, ſuperbiam, & ſæ-
uitiā aulæ Romanæ tragica, ſed veriſſima oratione exag-
geraſſet, & ſimul oſtendiſſet, Germaniam deinceps, Pōti-
fices, in ſui perniciem, nō eſſe armaturam, Rodolphus ta-
men, vt ſe Italiæ committeret, perſuaderi nō potuit. Soli-
tum illum ferunt, ad mentionem itineris Italici, recitare illos Horatij, ex apologo Æſopico, deſumptos verſus:

----ſed me veſtigia terrent,
Omnia te vorſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Vt placaret autem Pontificem, & publicæ, priuatæque conſuleret tranquillitati, Exarchatu ceſſit, quod, in eo, iure reprehenditur, etſi interdum oportet χαρὰν ἀπολύειν τὰς δο-
κοῦντας αἰτίας. Nam, ex eo tempore, plus Pontifices, & poten-
tiores vrbes, & qui tyrannidem in vrbibus liberis inuaſe-
runt Principes, quàm Imperatores, in Italia, potuerunt, præſertim cùm intempeſtiuæ libertatis abuſu, in liberis ciuitatibus, Gibellinæ, & Guelficæ factiones, immanibus odiis, & conatibus, ſe mutuo exagitarent, atq; cōficerent, ad eum modū, vt ciuitates Hetruſcæ penè ad vaſtitatem, & ſolitudinem ſint redactæ, præter Florentiam, & Luccā, quarum illa, ex ruinis cæterarum, ſeſe ditauit, hęc ſe ægrè conſeruauit. Longobardicæ, tædio ſeditionum, ac cædiū, & libidinoſę atque impotētis dominationis eorum, qui,

aduerſariis eiectis, principatum cõſecuti erant, quales fuerunt Scaligeri Veronæ, Malateſtæ Arimini, Carrarij Paduæ: vt ergo hę tandem Venetis ſeſe, ſpõte ſubiicerent, aut à Mediolanenſibus opprimerentur. Dimicabant enim, de principatu, eo tempore, Mediolani, Vicecomites, & Turriani, cùm eam vrbem, quàm à Friderico Barbaroſſa deletam eſſe diximus, inſtauraſſet, vt ferunt, Galuianus, Ottonis illius nepos, qui, Godefrido Bilioneo, comes expeditionis Aſiaticæ, præliis ad Niceam, & Orõtem interfuit. Vbi, cùm confoſſo hoſti detraxiſſet galeam ornatam aurita vipera, quæ ſeſe, complicatis ſpiris, minaciter, à cono caſsidis erigebat, & puerum vſque ad paſſas manus, abſorptum, deuorabat, hoc virtutis monumentum, poſteris inſigne gentilitium eſſe volut. Ab hoc authore ſeries Vicecomitum recenſetur.

Ferrariam Ateſtini, ſeu Eſtenſes tenebant, vetuſtiſsimæ ſtirpis marchiones, ſic ab Ateſte, antiquiſsimo Venetiæ oppido, nominati, qui ex Longobardorum veterum nati ſanguine, illuſtri, & numeroſa ſerie, tandem, Azone patre, ex Clementia, Welphi Bauarici filia, condiderunt duas clariſsimas, in Germania, ducum Brunſuicenſium, ac Luneburgenſium, ex Welpho, Azonis filio, qui Bauariam, vt ſupra dixi, obtinuit: in Italia, ducum Ferrariæ, ex Azone, quem Albertum etiam nominant.

Gonzagarum nomen tum nondum inclaruerat. Hi enim, ab interfecto Paſſarino Mantuano, qui in Ludouici Bauari Imperium incidit, vix ducentos annos, ſuæ gubernationis, numerant.

Alpibus Italiæ, & Galliæ interiectis, dominabãtur, verſus Italiam, marchiones Mõtisferrati, orti ab Alramo Saxone, qui Witechindi, comitis in Ringelheim, filius, Theodorici nepos, Walberti pronepos fuit. Walbertum autem nepotem fuiſſe conſtat Witechindi, quo cum bella geſsit Carolus Magnus. Verſus Galliam, in antiqua Allobrogum ſede, duces Sabaudiæ, procreati ex Bertholdo, prędicti Walberti, ex filio Amadeo, nepote. Nomen Sabaudiæ nouum eſt, tractum vel à Sauona oppido, inter Genuam, & Niceam, vel à Sabatis Alpinis populis.

Hæc, cùm de Longobardiæ, Romãdiolæ, ac Hetruriæ ſtatu, interiecerim, obiter (reliqua enim Italia tenebatur à Pontificibus, & horum beneficio, à Gallis) nunc ad Rodolphum reuertor, in quo, præter negligentiam Italiæ, culpatur etiam πλεονεξία, cùm propter vendita ciuitatibus

Italicis,

Italicis, Imperij iura, tum quòd, exemplo leonis Æsopici, cùm prædam, id est, prouincias Germaniæ, hæredibus orbatas, partiretur, opiniones, & potiores sibi vendicarit: sed est secundum Plutarchum, πλεονεξία κοινὸν κὴ σύμφυτον κακὸν, penè omnibus magnis, ac potẽtibus dominis, quam difficulter, aut vastum mare, aut celsa iuga montium, aut immensæ solitudines, aut qui Europam, & Asiam distermināt, limites, coërcent, atque definiunt. Imò, ne quidẽ vlla fœderum religio, aut sanguinis iura. Hanc, qui, in magna potentia, ita frenant, aut moderantur, vt nec pietatem erga Deum, aut patriam, nec cognati sanguinis iura, nec iustitiæ leges violent, ij, si sua comparent commoda, ex commodis reipublicæ, & aliorum, non incommodis, ac detrimentis, venia dari potest, præsertim si ita de patria mereantur, vt magnitudo beneficiorum, nullis compensari humanis officiis possit. Qualia fuerunt Rodolphi merita, cuius sapientia, virtus, & felicitas, prope restinctis bellis ciuilibus, ac sublatis odiis, effecit, vt rediret Germania ad sese, in statum, ex longa perturbatione, tranquilliorem, ac firmiorem reposita, in quo huc vsque constitit, ac floruit, paucis admodum sui partibus imminutata. Nam ea Imperij forma, quam deinceps, Carolus quartus comprehendit ac muniuit legibus publicis, in bulla aurea, vt vocatur, nõ à Carolo, sed magna ex parte à Friderico secundo, & ab hoc Rodolpho, prius fuit introducta.

Exitus eius talis fuit: Cùm ætas ingraueſceret, peractis Erphordiæ comitiis, cœpit agere cum principibus, vt filium Albertum crearent successorem. Ea de causſa Francofortum productus, cùm se frustra anniti animaduerteret, ægritudine correptus, Spiram deferri voluit: sed priusquam vrbem attigisset, superatus magnitudine morbi, decessit, in oppido Germersheim, sito ad ripam Rheni, decimo octauo Cal. Augusti.

Anno Christi, millesimo, ducẽtesimo, nonagesimo primo.

Anno mundi, quinquies millesimo, ducentesimo, quinquagesimo tertio.

Anno Imperij, decimo nono, sepultus Spiræ, prope Philippum Sueuum.

Vetustatẽ stirpis Habsburgicæ, qui ambitiosè à Romanis Perleonibus repetere contẽdunt, originem prorsus fabulis inuoluunt. Relinquo suas etiam coniecturas excusandas iis, qui stemma altius ordiuntur, à veterum Austriæ regum sanguine, nusquam interrupta sobolis serie,

etsi hæ verò magis videntur consentaneæ, eò quòd certum sit, ea loca, è quibus comites Habsburgenses prodierunt, Francici sanguinis principes possedisse, prosapia Burgundiæ regum extincta.

Ego recentioribus, & illustrioribus, vti, quæ ab omnibus recepta sunt, atque probata, contentus, à Guntrano ordior Adelburgensi comite, circiter annum noningentesimum, quinquagesimum, cuius nepos, Rapoto, arcem Habsburgensem, in agro Tigurino, primus extruxit, vnde nomine mutato, pro Aldenburgensibus, Habsburgenses dici posteriùs cœperunt.

Sextus ab hoc Rapotone, Albertus pater Rodolphi Imperatoris, comitatui Habsburgensi, comitatū prouincialem Alsatiæ coniunxit, vel potius Rodolphus ipse, ante Imperium. Cùm autem, Henrico comite prouinciali vltimo, anno Christi, millesimo, ducentesimo, tricesimo secundo, vita functo, absque hærede, exorta esset contentio de successione, inter Albertum comitem Hohebergensem ad Nicrum, Ludouicū comitem Ottingensem, in Rhetia Sueuorum, & Albertum Habsburgēsem: Hohebergensis, de suo iure cedens, filiam Rodolpho, Alberti filio, addita dotis loco, sua parte, despondit. Ottingensis suam vendidit Episcopo Argētinensi. Ita superiore Alsatia, Habsburgenses; inferiore, Episcopi Argentinenses potiti, nomē comitum prouincialium Alsatiæ vsurparunt vtrique. Sed Rodolphus deinceps, longè maioribus accessionibus, & ornamentis, familiæ decus extulit, in quam primus summum orbis Christiani axioma adduxit, amplissimo Imperio ducatuum Austriæ, Sueuiæ, & Stiriæ, locupletatā, vt sustinere onus, ac molem tantæ dignitatis posset.

Coniugem habuit Annam, comitem, vt dixi, Hohebergensem, ex qua nati filij, Albertus Austrię dux, Rodolphus Suenię dux, cui, ex filia Ottocari Boëmi, natus Johannes Sueuiæ dux parricida Alberti patrui. Hermannus comes prouincialis Alsatiæ, qui ante confectas, cum filia regis Angliæ, nuptias, fracta glacie, in Rheno periit, prope Schaffhusium, anno ætatis decimo octauo, XIII. Cal. Januarij, anno millesimo, ducentesimo, octogesimo octauo, Fridericus, Hartmannus, vel vt alij, Rodolphus, Carolus, decesserunt impuberes.

Filiæ Rodolpho natæ sunt septem: harum Jutta, Wenceslao Boëmo, Ottocari filio; Clemētia, Carolo Neapolitano, & Pannoniæ regi: Mechtildis, Ludouico Palatino Rheni;

Rheni: Agnes, Alberto Saxoniæ duci, quæ Witebergæ sepulta est in cœnobio Franciscanorum; Heduuigis, Ottoni Brandeburgico marchioni: Catharina, Ottoni Bauariæ duci, qui aliquandiu regnum Vngariæ tenuit, collocatæ fuerunt. Septima Euphemia vitam cœlibem egit in monasterio. Duxit Rodolphus senex, vxorem alteram, Agnetem Burgundiacam, sed sobolem ex ea nullam sustulit.

Hoc Imperatore, Christiani amiserunt reliquias regni Hierosolymitani, in Palęstina, Phœnicia, & Syria. Suldanus enim Ægypti, paulo ante expugnarat Tripolin, Sidonem, Berythum, Tyrum, & aliquot alia oppida. Restabat Christianis, sola arx belli, Ptolemais. De huius Imperio, dum inter se intempestiuè, Patriarcha Hierosolymitanus, reges Cyprius, & Siculus, milites familiæ templi, hospitales, Teutonici certant, oppriimuntur obsidione in ipsa vrbe, quam, cùm duos menses sustinuissent, quod defendi vrbem vix posse, censerent, ad Dromonem portum, clàm nauibus conscensis, aufugerunt. Desertam vrbem, Suldanus Melech Sapherates, quæ vox, regem illustrem significat, funditùs deleuit, anno à victoria Godefridi Bilionei, centesimo, nonagesimo sexto. Ita ignauia, perfidia, & dissidiis posterorum, perditum est, quod virtute, concordia, fide, ac difficillimis laboribus maiorum acquisitum fuit, ac constitutum. Sola autem in Asia, Armenia minor, quæ olim Cilicia dicta fuit, retinuit professionem Christianæ religionis. Reliqua ad Mahometicas blasphemias rediit, ceu canis ad vomitum.

Videtur omnino, in hoc seculum incidisse, articulus fatalium mutationum. Nulla enim fere regna orbis terrarum fuerunt, sine ingentibus motibus; etsi in euentus hi alibi mitiores ac placidiores, alibi tristiores desierunt. Sunt mutationes insignes perpessa & hæc duo regna, Vngaricum, & Bohemicum: Vngaria vix ab exagitationibus Tartarorum respirarat, cum agnata posteritate beati Stephani, quæ regno præfuerat, continuos annos trecentos, triginta duos: Cùm ergo hac extincta, in Andrea tertio, qui nepos fuit Andreæ, patris S. Elisabetis; Vngari diuisi in factiones, exteros reges, & plures simul, accersiuerunt. Alij ad Carolum Neapolitanum regẽ, qui, sanguine materno, veteres reges attingebat: alij ad Wenceslaum Boëmum: alij ad Ottonẽ Bauariæ ducẽ se contulerunt. Inter hos, vario euentu certatum est, admiscentib. etiã sese Austriacis. Sed Neapolitanus regnum possedit, quod, post filium, de-

uenit ad alienos. Nec deinceps, è gente Vngarica, quisquã ad regnum peruenit, præter Matthiam Hunniadem.

Boëmis vltimus, ex ea gẽte, Wenceslaus septimus, Ottocari nepos, imperabat: quo obtruncato, Austriaci, & Carinthij, de regni possessione, contendebant. Sed exclusis vtrisque, regnum Henricus Lucelburgẽsis, filio Johãni acquisiuit, cuius posteritate, cum Sigismũdo Imperatore cõsumta; Boëmia, ex diuersis gentibus, reges accepit, crebris mutationibus, nullo ex suis ad fastigium admisso, præter Georgium Boiebracium, donec rediit ad Austriacos.

Nec ita multò post, circiter annum, millesimum, trecẽtesimum, octogesimum septimum, similem mutationem subiit Dania, cum Margareta Woldemari regis vidua, orbata Olao filio, ducatum Schlesuicensem, in Cimbrica Chersoneso, attribuit Gerhardo Holsatiæ principi, cuius maiores, ex nobili stirpe, ad dignitatem comitũ, Lotharij Imperatoris beneficio, ascẽderant. Colonias verò Danorum in Liuonia, quarum metropolis est Reualia, cõcessit militibus sacris familiæ Teutonicæ, ea tamen cõditione, vt his beneficiis, obligati essent regno Danico. Denique in filij locum adoptauit Ericum Pomeraniæ ducem. Sed ducatum Schlesuicensem, cum Holsatia, attulit filia Gerhardi prædicti, paulò post ad Theodoricum comitẽ Oldeburgensem, cuius filius Christianus, ducta vidua Christophori regis Daniæ, orti è ducibus Bauariæ, & comitib⁹ Palatinis ad Rhenum, qui Erico succesit, regnum consequutus est. Ita deuolutum est regnum Daniæ, ad comites Oldeburgenses, circiter annum Christi, millesimum, quadringentesimum, octauũ, Christiano, cum Dania, reliqua duo regna septentrionis, coniungente. Ex huius posteritate natus est Christianus secundus, in quo dubito

Iustitiane prius miror, belline laborem.

Reddidit enim pacem Daniæ, sopitis, atque sepultis bellis, reddidit lucem veræ doctrinæ, restituit Ecclesias, & iustissimè, in summa tranquillitate, regnum administrauit. Hæc de mutationibus horum regnorum, obiter, vt in hoc loco insererem, mutationum exempla, & periodi me mouerunt.

ADOLPHVS NASSAVIENSIS.

POst mortẽ Rodolphi, deliberatio de successore, instituta fuit Francofurti, Cal. Maij, anno millesimo, ducẽtesimo, nonagesimo secundo. In ea Moguntinus, Gerhardus ab Eppenstein, vir, vt de Tyrbazo, & Sphodria, Plu-

Plutarchus ſcribit, ὃς ἄλλως σώφρων ὢν τὸ ἦθος, ἀλλ' ἀνώμαλος, καὶ πλάνος, καὶ τῷ γνώμῃ, καὶ κενῶν ἐλπίδων, καὶ φιλοτιμίας ἀνάπλεως, καὶ πλεονεξίας μεστός. Hic ergo, cum Collegis, fraude, ademptum ius ſuffragandi, in ſeſe omne tranſtuliſſet, vno Ludouico Palatino aduerſante, qui inclinabat ad Albertum Auſtriacum, præter omnium ſpem, & opinionem, Imperatorem renunciauit cognatum ſuum, Adolphum, genere comitem Naſſauienſem, ob nobilitatem quidem generis, & editum bellicæ virtutis, ſub Rodolpho, ſpecimen non indignũ Imperio; ſed ad cætera imparem prorſus, quod, alio nullo conſilio, factum eſſe, docuit euentus; niſi, vt Moguntini, & cæterorum è ſacro ordine Collegarum, conſiliis, res Imperij adminiſtrarentur. Totus enim ex Epiſcopis Adolphus pependit, ita vt ne hiſceret quidẽ, niſi ad illorum oſcitationes. Odium, ex incitatione horũ, in Palatinum, tam hoſtile concepit, vt hic, dum in viuis eſſet, vti placato illo nunquam potuerit. Mortuo patre, liberos in gratiam recepit, & vni ex illis Rodolpho, filiam in vxorem, firmandæ amicitiæ cauſſa, dedit, cúmque Auſtria cum propter potẽtiam, metueret, vt affinitatis neceſſitudine, ſe hoc liberaret metu, filiam illius, filio in vxorem petiuit: ſed excidit vxore filius, paſſus repulſam. Hac aucta odia, quæ prius æmulatio regni accenderat, & contrariis ſtudiis, atque conatibus, deinceps magis, magíſque exaſperata, tandem in apertum ſeſe bellum effuderunt, in quo Adolphus, vt dicitur, concidit.

Præter hoc bellum, etſi Eduardo Anglico regi, locauit operã mercenariam, contra Franciæ regem, ſtipendio cẽtum aureorum milliũ, quæ, ex egeſtate profecta, abiectio, de exiſtimatione illius detraxit plurimũ; ſecuta eſt enim manifeſta ab eo Principum alienatio: promiſſa tamẽ præſtare non potuit, aduerſationibus impeditus multiplicibus. Quare pecunia illa vſus, ad emptionẽ Turingiæ, bellũ, quod in Francia gerendum erat, cõuertit in Turingiã, vt ſpoliaret legitima hæreditate, filios aſtorgi patris, fraude iniuſtè excuſſos, cùm nihil reſtaret alibi, quo fortunas ſuas per ſe tenues, augeret. Cauſſas, & illi⁹ belli, & occaſiones, cum à pleriſque non rectè referantur, paucis repetam.

Albertus comes prouincialis Turingiæ, Hẽrici optimi patris degener filius; cùm ex Margareta Friderici ſecundi filia ſuſcepiſſet filios duos, Fridericum, ac Ticemannum, generoſiſſimæ indolis adoleſcentes, ſpreta coniuge nobiliſſima, exarſit amore pellicis, tanto, vt etiam vitæ coniu-

gis insidias struxerit, de quibus illa certissimis indicibus edocta, vt cederet furoribus, & sceleri mariti, & vitæ consuleret, hortantibus amicis prudentibus, ac fidelibus, consilium cepit de fuga. Ostenditur adhuc locus, in arce Isennaci, vbi non est magna altitudo, à scopulo extra arcem, ad fenestram, ex qua domina, cum quinque comitibus, demissa fuit.

Nocte cùm migratura esset, priusquã à filiis discederet, assidens ad lectulos, & calamitatem suam deplorans, cùm consiliarius senex, & matronæ eam comitaturæ, hortarentur, vt properaret, tandem valedictura filiis, à quibus auellebatur inuita, quod eorũ pericula sciret non fore leuiora suis, Fridericum natu maiorem, lachrymis, & eiulatu materni doloris magnitudinem ostẽdens, osculis crebris cõplexa, postremò, mirabili animi motu, genam eius mordicus prehendit, ac læsit. Vulneris cicatricem Princeps, quoad vixit, retinuit, & cognomentum inde admorsi consecutus est. Mater Frãcofortum euasit, vbi commorata in monasterio virginum, ne procul à filiis abesset, cùm vitam egisset in luctu, & precatione, post paucos annos mortua est. Mariti licentiam, fuga coniugis, auxit.

Sed exaudiuit Deus preces afflictissimę matris, & filios verè orphanos protexit, quos, aliquantò post matris fugam, Alberti frater, Ditericus, marchio Mysorũ, iustus, & sapiens princeps, ad aulam suam vocauit, cùm ne spectatores essẽt flagitiorum patris, tum vt periculo, in quo versabantur, eximerentur. Cúmque eos paterno animo, ad agnitionem, & inuocationem Dei, & ad virtutem institueret, Fridericum etiam, Tyronem, secum in castra, & in aciem eduxit, vbi præclara, in re bellica, fecit tyrocinia, commissis prælijs cum Anhaltino.

Filium autẽ hic marchio habebat vnicum, quem adolescentem amisit. Eo mortuo, quia nolebat fratrem succedere, metuens, ne pelleret filios: cùm iam videret eum his anteferre nothum, ex pellice natum: & quia mores eius oderat, testamentum condidit, in quo fratris filios adoptauit, & hęredes regionis Mysorũ instituit, cúmque delectis præcipuis viris, ex tota regione, testamentum, & honestas consilij sui causas, exposuisset; ac petiuisset horum haredum defensionem; hi laudata principis pietate, promittunt, se nõn alium dominum recepturos esse.

Mortuo Diterico, cùm in possessionem Mysiæ, hæredes successissent ac iustitia, moderatione, grauitate, benevolentiam

lentiam erga se subditorum augerent, pater, se præteritũ, grauiter ferens, postulat tradi sibi regionem, & iuris prętextu pugnat, quia ipse sit fratri proximus hæres, nec caussam esse iustam, cur hæreditas sibi sit erepta. Respondent ordines omnes regionis, communi consensu, se probasse antea pietatem Diterici, ac testamenti caussas, nec recepturos esse alium dominum, his desertis, quos, suæ fidei commendatos suscepерint defendendos.

Albertum fata trahebant ad pœnam. Ideò iratus, mouet bellum, anno à natali Christi, millesimo, ducentesimo, octogesimo primo. Gẽs Mysorum petit ab Imperatore Rodolpho, ne sinat opprimi adolescentes principes, & simul armis reprimit Albertum. Sed initia non fuerunt læta adolescenti Friderico, quanquam iustam caussam tuenti. Et docere eum, in hoc tyrocinio, Deus voluit, ne humanis viribus confideret, sed disceret victorias Dei beneficia esse, & ab eo petendas esse. Captum pater carceri inclusit, & vinctum retinuit toto anno, vnde postea diuinitùs liberatus est, cùm, odio tyranni, custodes aliqui, affecti misericordia adolescentis, consilia fugæ adiuuissent.

Etsi autem Rodolphus Erphordiæ, pacem imperauit vtrisque: tamen hoc mortuo, pater ad arma rediit, quem consentaneum est, cupiditate vberrimæ regionis Mysorum, & venarum metallicarum, hanc occasionem occupandæ regionis, non voluisse negligere. Adolphum itaque, Rodolphi successorem, cùm aliis artibus pertraxit in belli societatem, tum ditionis, Turingiæ venditione, ne vnquam recipere eam filij possent.

Attracto itaq; in Turingiam, & Mysorum regionem, Adolpho, bellum atrocius motum est. Coniunxit se enim cũ Adolpho Imperatore, & Albertus marchio Brandeburgensis, spe obtinendę Lusatię inferioris. Belli huius moles quanta fuerit, inde æstimari potest, quod eodẽ tempore, cum diuersis exercitibus, præliari fratres oportuit, quod iis in locis, vbi summa est vbertas, vastationes magnæ factę sunt, cùm hostiles exercitus, amplius annis duodecim, in Mysia sint vagati, fuerintque variæ vices victoriæ. Adolphus enim sexennio, deinde Albertus Austriacus etiã sexennio Imperio præfuit. Nec multò ante Alberti Austriaci mortem, exercitus Imperatoris prorsus ex Mysia, & Turingia pulsi sunt, cùm Deus tandem restituit his terris tranquillitatem, & ostendit se defensorẽ esse iustę caussæ.

Marchio Brãdeburgensis obsidione cinxit vrbem Luc-

ſatiæ inferioris Luccam. Inde depulit eum Ticemannus, cæſis hoſtium tribus millibus. Interea alibi Fridericus nouas copias collegit, aduerſus Imperatorem Adolphũ. Sed marchio Brandeburgẽſis, accepta clade, acciuit in auxiliũ Eberhardum Anhaldinum, qui arcem Iuliam obſedit, vnde reiecit eum Fridericus, tempeſtiuè monitus à vicino Electore Saxoniæ, Alberto, qui, etſi abſtinebat à bello, tamen cauſſæ Friderici erat æquior.

Poſteà ſæpe dimicatum eſt, varia fortuna, cum Adolphi exercitu, qui Bornam occuparat, & tenebat oppida Aldeburgum, Cygneam, & Chemnicium, quæ tunc erãt Imperij. Reliquerat enim Adolphus in Myſia exercitum Sueuicum, cui fratris filium, Philippum Naſſaënſem præfecerat, huic inchoatam Fribergæ obſidionem commendauit, ad quam rediit ipſe, continuatam integro anno, & menſibus quatuor. Etſi autem vrbs nec vi expugnari, nec fame cogi potuit ad deditionem faciendam, tamen proditione tandem capta eſt. Comprehenſos in arce, quadraginta præcipuę nobilitatis viros, ſecuri percuſſit, ſperans cæteros, ſupplicij atrocitate territos, ſponte deditionem facturos eſſe, præſertim cùm teneret vrbem, quę, velut arx regionis, opibus affluebat ex vbertate venarum metallicarum.

Sed ſæuitiam in cauſa iniuſta, & fiducia ſucceſsuũ, ſtolidè ferocientem inſolentiam, prope comitatur Adraſtia. Quod enim odio eſſet Adolphus, & contemneretur ab omnibus, Moguntinus, impulſo ad capeſſendum Imperium Alberto Auſtriaco, eadem illum leuitate oppreſſit, exutum Imperio, qua antea euexerat: ἀφέλεια erat proxima, quòd moto domi iniuſto bello, ſui emolumenti cauſſa, negligeret laborantes ab externo hoſte Flandros, quos incitatos in vicinos Francos, ad repetendum armis regnum Arelatenſe, & nonnulla alia, iniuſto, & neceſſario bello deſtitueret.

Alberto igitur vt occurrat, redit ad Rhenum, atque ex Alſatia deſcendenti, inſtructus Rodolphi Palatini generi, & Ottonis Bauarię ducis auxiliis, fit obuius ad Spiram, vbi ad ſextum Nonas Iulij, anno milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo octauo, in acie dimicans, interficitur. Manu Alberti confoſſum eſſe aiunt, cùm deiectus equo, à terra ſeſe erexiſſet. Sepulchrum eius Spirę cernitur, prope Alberti monumentum.

Interea, in Myſorũ regione, dux belli relictus Philippus Naſſaënſis, capitur Bornę, ac demiſſus ea cõditione, vt ce-

dat

dat oppidis, quę occupauerat: nõ facit promissa, sed cùm audiuisset Imperio potitum esse Albertum Austriacum, bello, & principum suffragiis, huic promittit se oppida omnia traditurum esse, quæ tenebat.

§ Austriacus, etsi Friderico spem fecerat pacis, tamẽ quia videbat Mysorum regionem, opportunam esse, gerenti bellum cum Boëmis, fefellit Fridericum, & venit in has regiones cum exercitu, collecto ex Sueuis, Bauaris, & Boëmis, vt satis appareret, afferte eum cupiditatem, & spem occupandæ Mysiæ, & Turingiæ Narrant etiam Fridericum Aldeburgum vocatum esse, simulatione colloquij: vbi, cùm in conuiuium ab Imperatore accersitus esset, irrupit miles, qui stricto gladio petebat Fridericum. Sed inter satellites, ciuis Fribergensis, obiectu sui corporis, ictum excepit, vt Fridericus subducere sese, & fugere posset. Quanquam autem Austriacus sese purgabat, tamen suspicio erat, sicarium ab eo subornatum esse

Quòd ergo spes nulla pacis esset, & ingẽs exercitus Imperatoris Austriaci, oppidum Luccam, situm non procul ab vrbe Citta, oppugnaret, fratres, cõiunctis copiis, accedunt ad eãdem vrbem, & trucidata magna hostium multitudine, victores oppidum ingrediuntur. Inde hodie in Mysorum regione, prouerbium fertur, de clade alicuius superbi; Accidit eis, quod Sueuis ad Luccam.

Post eã victoriã, magna inclinatio facta est. Oppida Mysiæ, pulsis inde prędibus, recepta sunt Sed mox alia secuta est calamitas. Ticemãnus etiã, fraude vulneratus, Lipsię, in tẽplo, cũ nocturnis sacris feriarũ Natalitiarũ interesset, biduo post expirauit. Ac fuit opinio, sicariũ sũmissũ esse à Philippo Nassaëns. Ita existimasse Fridericum, nõ multò post intellectum est, qui, cùm in acie conspexisset Philippũ, ingenti percitus ira, milites incitauit, ac dixit, se Deo iuuante, pœnas sumturũ de perfido ductore Nassaëns, à quo frater ipsius interfectus esset. Et audiuit Deus iustos conatus. Nam in eo prędio, manu Friderici, Nassaëns trucidatus est, sũntque deletæ hostium reliquiæ.

Nõ ita multo post, Albertus Austriacus Imperator, nõ procul à Rheno, in vicinia oppidi Reinfeld, à fratris filio Iohanne, occisus est, vt postea dicetur.

Extinctis itaq; duobus Imperatoribus, & deletis exercitibus, atque eorum ducibus, liberata iam Mysorum regione, Fridericus exercitum ducit in Turingiam, vbi multorum animis, belli diuturnitate, & fortunę aduersitate, fra-

ctis, cùm manifestè viderent diuinitùs protectum, adiutum, & seruatum esse Fridericum, Albertus pater, qui se causſam, facémque tam funesti, & exitialis belli, esse cognoscebat, & perficere, quæ in filios, vesano impetu, conceperat, non posse cernebat, intra vrbem Erphordiam se se abscondidit, reliquum vitæ ibi transacturus.

Sed ne nunc quidē furiæ quiescere eum sinebant. Quāquam enim pleræque vrbes, & familiæ nobiles, libenter iusti, ac fœlicis principis imperium, acciperent: Erphordiensibus tamen, quibus, coactus egestate, multas possessiones partim vendidit, partim oppignorauit, atq; comiti Vinariensi, atque aliis quibusdam factiosis hominib. incitator fuit, vt Friderico aduersarentur. Sed & hos, breui tēpore, compescuit, patre intra Erphordiam concluso, & recuperata Turingia vniuersa, ita, vt toto illo bello, nihil amiserit, præter Lusatiam inferiorem, quā Boëmi, exciti ab Alberto Austriaco occuparūt. De hac Boëmos, in tam dubio, & perturbato rerum suarum statu, non irritandos esse censuit, cùm Cygneā, Chemnicium, & Isennacum, Imperij oppida, in compensationem belli sumtuum, retineret.

Extant adhuc, in Lusatia inferiore, monumenta marchionum Mysię, cœnobia duo, quorum alterum Dobrilucha, ad Elistrum nigrum, conditum est, à Diterico marchione, illo qui, vt supra commemorauimus, militauit Friderico Barbarossę, circiter annum Christi, millesimum, centesimum, nonagesimum. Alterum Cella noua, non procul à ripa Viadri, ab Henrico, Friderici huius auo.

Vix debellatum erat, cum exercitibus Imperatorū, quādo in nouas, Fridericus, calamitates incidit. Iam florentem enim, & nihil hostile metuentem, cepit marchio Woldemarus. Nec satis cōstat, qua de causſa quibúsve factum id sit occasionibus. Sed λύτρα poposcit marchio, oppida aliquot de quibus cùm litteras adferret ad nobilitatem Misnicam, negant nobiles, se literis credituros esse, ac iubent, certo die, ipsum principem adduci, in locum certum, vbi coràm eius voluntatem cognoscant. Interea ita se parant, vt eùm adduceretur dominus, eum hostibus eriperent. Hoc consilio Misnica nobilitas, & principem feliciter liberauit, & vicissim Woldemarum comprehensum abduxit in arcem Aldenburgensem, cui accidit, quod dicitur: τοῖς αὐτοῖς τέχναις τὶς ἁλώσεται, αἵπερ ὑπῆρξεν. Acciderunt hæc, anno millesimo, trecentesimo, tertio decimo.

Vixit autem ad annum millesimum, trecentesimum, vicesimum

ceſimum ſextum vſque, poſt mortem, ſepultus Iſennaci, princeps iuſtus, verax, beneficus, caſtus, fortis, felix, cuius monumento, quod ex loco ſepulturæ, in arcem Gottanam tranſlatum eſt, verſus hi inſcripti ſunt:

Ecce Fridericus cultor virtutis, amicus
Pacis, conditur hîc ſtirps imperialis, & illic
Fulgeat iſte pius marchio Landgrauius.

Ticemanno verſus Epitaphios ſcripſit Dantes Florentinus, illius ſeculi non infelix poeta, qui in Academię Lipſicæ templo, parieti affixi leguntur.

De Friderico, adoleſcente adhuc quæ fuerit ſpes, & opinio, etiam exterarum gentium, propter memoriam aui Friderici Imperatoris, oſtendit hoc, quod Hetruſcæ, & Longobardicæ ciuitates, Sueuica ſtirpe deleta, hunc expetiuerunt gubernatorem, ac dominum, turbatiſſimo Italiæ ſtatu, miſſa ad Imperatorem Rodolphum, & patrem Friderici Albertum, legatione ſolenni, anno milleſimo, ducenteſimo, octogeſimo primo.

Albertus pater violator coniugij, crudelis in vxorem, & filios, qui ſibi, & patriæ exitium furenter attraxit, iudicij diuini pœnas ſuſtinuit acerbas, in egeſtate extrema, & contemtu ſummo tandem mortuus Erphordiæ, anno milleſimo, trecenteſimo, decimo quinto, ibidémque ſepultus in æde beatæ virginis.

Habuerunt exitus tragicos & duo Imperatores, quos auaritia impulit, vt iniuſta arma adiuuârent, & induerent. Non enim, vt initio Rodolphus, conſultum voluerunt hæredibus, & publicæ paci, ſed, vt occaſione auxiliorum, ſublatis è medio hæredibus veris, ipſi regionibus his potirentur. Ita iuris vmbram, & vt Plato nominat, σκιαγραφίαν iuſtitiæ prætendentes, Archilochi tamen vulpeculam, ſecum traxerunt. Contrà, Friderici defenſio, & conſeruatio, in cauſſa iuſta, aduerſus tantam potentiam, & tam multiplices inſidias, tam longo tempore, argumento eſt eum Deo curæ fuiſſe.

De Adolpho hoc adiiciunt, quod ſimiliter pœnas, exitu tragico, dederint belli in Imperatorem legitimè electum, moti, quotquot vel ſocij fuerunt fœderis, vel confœderatis auxilia tulerunt, memorabili exemplo vindictæ diuinæ, expetentis pœnas pro magiſtratu ab iis, qui magiſtratum violant.

Gentem Naſſaëenſem, in bellis Italicis, Henricorũ ſeculo, rebus pro Imperio fortiter geſtis, inclaruiſſe; & vt ea

donaretur ditione, in qua nunc late imperitat, in plures disseminata familias, vt pleræque ad Rhenum familię comitum, certum est, sed ab exiguis initiis, eò potentiæ progressa est, vt non tantùm inter vicinos comites, vltra, citraque Abnobios montes, qui Cattos, ab Angriuariis, & Westualis diuidunt, principem sit consecuta locum, sed etiam ad fastigium ducum conscenderit, & ditioni augustę, multas alias ampliores adiecerit.

Ex hac gente natus est Otto comes, qui, ducta in vxorem Adelheide, filia vltimi comitis Geldrię ex stirpe comitum de Pōte, quibus præfecturam Geldrię concesserat Carolus Caluus, consensu Henrici quarti, comitatum Geldrię obtinuit, circiter annum Christi, millesimum, septuagesimum nonum. Ottonis posteritas Geldriā possedit, annos ducentos, quadraginta duos, finita Eduardi vltimi morte, cuius patrem Reinaldum, Ludouicus Bauarus, amplificatū dignitate, ducē Geldrię fecit: hoc enim extincto, sine sobole mascula, anno millesimo, trecentesimo, vicesimo primo, de Geldria cōtenderunt Wilhelmus Iuliacensis, & Iohānes Cliuensis, sed vicit Iuliacensis, quā cùm neuter fratrum, duo enim erāt, hæredem reliquisset, inuasit, & obtinuit Arnoldus comes Egmondanus, natus ex filia sororis, allegato iure successionis, propter auiam Iohannam Huius posteritas Geldriam tenuit, vsque ad Carolum Geldrensem. Auxerunt opes familię, accessionibus nouis, Henricus Viennę comes, atque huius filius Renatus, Aurengiorum princeps, Philiberto Chalonio, Aurengię principe, è viuis, absque prole, sublato.

Adolphi maiores, in agro Norico, possessiones, in vrbe ipsa sedes habuisse suas, monumenta familiæ, quæ supersunt, & annotata historiarum, testantur. Ipse sub Rodolpho, vt dixi, ordines duxit. Pater Adolphus, apud eundē, egit prefectum prætorij, qui nunc est iudex camerę. Et quanquam, cùm esset Imperator, Noricis quasdā ad Rhedum, adiecit, vbi eum cōsētaneum est, aliquas ante etiam retinuisse, ex iis, quæ genti communes erant: Noricas tamen posteritas retinuit, eò vsque, donec Burggrauij vniuersas partim emtionibus, partim dotalitiis pactis traduxerunt ad se. Extat in cœnobio S. Catharinæ Norbergæ tumulus Emiconis comitis Nassaēnsis, qui decessit anno, millesimo, trecentesimo, quadragesimo secundo. Annum cędis Adolphi ostendit hoc rude distichon:

Anno millemo trecentis bis minus annis,

In Iulio menſe, rex Adolphus cadit enſe.

Fuit autem annus à condito mundo, quinquies milleſimus, ducenteſimus, ſexageſimus.

ALBERTVS AVSTRIACVS.

ALbertum nimia regni opúmque alienarum cupiditas, quam à natura incitatam acuebat memoria ſucceſſuum patris, in cauſſis tamen, & occaſionibus diſſimilibus, & præter hanc, potẽtiæ fiducia, contemtíq; Adolphi enerue, atq; imbecillũ Imperium: hæc ergo, ad iniuſta eũ arma impulerunt, quam mox, à victoria, ſecuta eſt mutatio fortunę, vt quanquã nec prudentiæ, neq; excelſi animi, neq; induſtriæ careret præſidio, & eſſet alioquin etiã princeps iuſtus, alienus à ſæuitia, non tenax offenſionum, nec in vindictam præceps, caſtus, verax, oſor ſimulationum: tamen infelix eſſet in gubernatione, nec adipiſceretur iniuſtè concupita, nec diu lætaretur rapto principatu.

Imperium, quod, ſolenni feſtiuitate, tradi ſibi à Septemuiris vniuerſis, vno conſenſu, voluit, adiit, eodem, quo Adolphus cecidit, menſe, ſcilicet octauo Cal. Auguſti, in tanto hominum concurſu, vt ab infuſa multitudine, Saxoniæ dux ſit oppreſſus.

Prima comitia, antiquo more, celebrauit Noribergę, vbi cõiugis interceſſione, rediit in gratiam cum Ottone, Bauarorum duce, qui auunculum illius, comitem de Hairla interfecerat: ſed nec ſtabilis, nec diuturna fuit hęc reconciliatio. Nam Otto non ita multò poſt, euocatus ad regnum Vngariæ, impetum fecit in Styriam, armata manu in Vngariam deſcenſurus. Id prohibere Albertus conabatur, ſed Otto, præter regium nomen, conſequutus eſt nihil. Captus enim ab Vngaris, & relegatus eſt ad Roſſos, vbi à vicinis Boruſſis Germanis agnitus, ſeruatúſq; admirabili prouidentię, ac protectionis diuinę exemplo, ope horũ, tandem rediit ad ſuos. Ac ne ſic caſtigatũ quidem calamitatibus, quieſcere ſciuit turbulentę φιλαρχίας veſanus impetus: ἄμικτον γὰρ πηγὴ θηρίων ἡ τῆς πλεονεξίας ὑπόθεσις. Recruduerunt itaque inter Auſtriacos, & Bauaros bella.

Albertus, etſi Italiam ingreſſus non eſt, gubernandam tamen patris, & Adolphi exemplo, vicariis ducibus commendauit. Sed à Bonifacio octauo ſolennem renunciationem petiuit, quã ille, furẽs ambitione, inſano, ſtolidóque faſtu, gladio femur accinctus, & corona redimitus caput, ac ſe Imperatorem ſimul, ac Pontificem, barbarica iactantia profeſſus, initio denegauit, mox conuerſa volun-

tate,iponte obtulit,odio Philippi Pulchri,regis Franciæ.

Cauſſa odij fuit,quòd cùm Bonifacius iugum tyrãnidis Pontificiæ,regno Francico imponere conaretur,vt ſeruitutem ſeruiret luxui,ambitioni, cupiditatibus,tyrannidi aulæ Romanæ obſequuturam,vt ad imperata reges,quoties liberet, pontificibus præſto eſſent armis, & pecuniis, vt res regni moderarẽtur, & cõſtituerent, de Pontificum ſententia,vt reges Franci acciperent, quos illi darent,aut deſignarent,repellerent contrà, quos illi reiicerent,ac repudiarent. Rex,ne id poſſet perficere,maturo cõſilio prohibuit.Propterea regem execratus,Imperatorẽ Albertum contrà,quẽ antea diris deuouerat,amplexus,hunc,ea poteſtate,quam illi Apoſtolicam falsò iactitant,donatũ inſignibus , & titulo regum Franciæ,ad regnum bello adſerendum incitauit,confidens fore,vt inter ſe,hac occaſione,Franci,& Germani colliderentur,& vires Franciæ,iam antea lõgo bello Anglico,& Flandrico,cuius in Adolpho etiam mentio facta eſt,præconſumptæ,prorſus euerterẽtur,præſertim cùm recèns Frãci,ad Tornacũ,magna ſtrage victi,floré militiæ ſuæ amiſiſſent. Interiiſſe enim ſcribuntur,in eo bello,vt hoc obiter moneam,ſupra trecenta millia lectiſſimorum in Gallia virorum:durauit,vt annotatum reperio,annos vndecim:finitum eſt,clade Flandrorum,quorum ad fanum Odomari, quindecim millia, ad Ariam octingenti,ad Tornacum , quingenti cæſi fuerunt,anno milleſimo,trecenteſimo,quarto.

Sed rex Philippus, contemſit irritos, ſtolidæ,& ambitioſæ leuitatis conatus , iunctáque cum Alberto affinitate,cuius filio Rodolpho,Blancam filiam collocauit, non tantum cõſilit molitiones Bonifacij, ſed & ipſum mox, vt ſupra dixi,præclarè eſt vltus,per Longaretium,& Sarram Columnium.

Bella Albertus foris nulla, domi plura geſſit,ac duodecies acie conflixiſſe traditur,non pari tamen fortuna,nec cauſſas bellorum ſemper iuſtas habuit. Quandoq; enim non tam pacem publicam,quàm alienas opes, ad ditandos ſuos quęſiuit. Theobaldum Phyretarum comitem,inter initia, & Moguntinum inſidioſè res nouas molientẽ, compeſcuit Tentauit Vngarię,& Boëmię regna. Illo excidit , hoc filio Rodolpho obtinuit, cùm Wenceſlaus ſeptimus,per ſeditionem,in Morauia eſſet trucidatus. Rodolpho mox rurſus,in primo quaſi limine regni, fraude, ſubili obtruncato,cùm regnũ arripuiſſet Henricus Ca-

rinthiæ dux, gener Wenceslai sexti, excluso Friderico Alberti filio, cui pater corrogatis procerum suffragiis, regnũ destinarat, nouum bellum extitit, quod cœptum tamen, non confectum est.

Quæ verò illi fuerunt bella cum Ottone Bauaro, quem Conradus Salisburgẽsis Episcopus adiuuit, de accessu ad regnum Vngariæ, ea interrupta quandoque induciis, sed sopita nunquam, vtrique magna damna dederũt. Pugnatum tradunt inter hos, non armis tantùm, sed & venenis, nouo & inaudito, ac Germanico nomine indigno ausu, & exemplo. Alberto enim venenum propinatum esse constat, artibus, vt ferunt, Episcopi Salisburgensis, cuius etsi partem aliquam, medicorum industria, expulit vomitu, quanquam difficili conatu, reliquiæ tamen ita eum afflixerunt, vt & vires languefecerint, & alterum oculum corruperint, & fœda macie, palloréque, corpus deformarint.

In Turingia amisit exercitus cæsos ad Luccã oppidum, prope Pegas, vincente iusta caussa marchionum Misniæ, quibus Albertus factus ex amico, ac defensore, hostis, cõtra ius, & fidem datam, bellum fecerat, victus cupiditate opulentæ, ac cultę regionis Mysorũ, & ad Boëmiæ regnũ cùm acquirendum, tùm retinendum, opportunæ. Ad hãc dadem vindicandam, & repetendam à Carinthio Boëmiam, dum bellum vtroque in loco reparat, interficitur non procul à Rheno, inter Risum, Arulámq; amnes, consilio, & opera Baronum quorundam, à fratris filio Iohanne, cui tanquam prodigo, administrationem Sueuiæ ademerat. Initium cædis fecit Iohannes dux, sica in iugulum Imperatoris adacta, sequuti cæteri, caput dissecuerunt medium, & confoderunt pectus. Hunc exitum habuit Albertus, Calendis Maij,

Anno Christi, millesimo, trecentesimo, octauo.

Anno mundi, quinquies millesimo, ducentesimo, septuagesimo, Imperij decimo.

Referatur exemplum, ad regulã iustitiæ diuinæ, de pœna talionis: ἔνθα παθοῦσ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, non esse mouenda ciuilia bella rapiendæ dominationis caussa, sine ordine legum: & Deum velle, vt legitimos magistratus veneremur, simus custodes pacis, non inflati appetamus gradus sublimiores, sine vocatione, sed amemus humilia. Nec impellamur ad iniustos conatus, cupiditate dominationis, aut rei alienæ: μήτε γὰρ ἐφόδιον εἰς πολιτείαν ἡ αὐτάρκεια.

Sed & parricidę profugi, ſua tulerunt præmia, diuinitùs retracti, ad pœnas. Iohannem ducem, poſt exilium difficile, atque ærumnoſum, parricidij culpam, vſitato illius ſeculi errore, vita monaſtica expiaturum, Henricus Imperator, habitu heremitarum, ceu quodam reatus ſigno, quod geſtaret circundatum, ad perpetuos carceres, in Piſano heremitarum cœnobio, condemnauit. Reliquos patratæ cædis conſcientia, aut in ſolitudines extruſit, in quibus vitam exegerunt penè ferarum ritu, inter magnas calamitates, aut ad ſupplicia exquiſita adegit.

Sobolem Albertus reliquit numeroſam, ex coniuge vnica Eliſabetha, filia Menhardi comitis Tyrolenſis & Goriciæ, ac ducis Carinthiæ, ſorore vterina Cunradini, quæ patrem eum fecit liberorum viginti, & vnius, quorum vndecim ad ætatem iuſtam peruenerunt.

Rodolphus πραότροχος, cognomento Mitis, ex neutra coniuge, nec Gallica Blanca, nec Boëmica Calliſia, liberos ſuſtulit, interfectus, vt dixi, in cubili, cùm in regnum Boëmiæ vix eſſet ingreſſus.

Fridericus cognomento Pulcher, qui cum Ludouico Bauaro, de Imperio certauit.

Leopoldus, cognomento gloria militum, cui natę ſunt filiæ duæ, ex coniuge Sabauda.

Henricus cognomento Placidus.

Albertus cognomento Sapiens, qui diu, poſt patris obitum, præfuit gubernationi, & ducta in vxorem filia Vdalrici vltimi comitis Phyretarum, comitatum Auſtrię coniunxit. Reliquit hic filios tres, quartus enim ante patrem deceſſit. Horũ natu maximus Rodolphus, primus omniũ Exarchum Auſtriæ ſe nominauit, & condidit gymnaſium Viennenſe. Ad hunc coniunx, dotis loco, attulit comitatum Tyrolenſem. Albertus tertius, amans & cupidus doctrinæ Aſtronomicæ, auxit ſtudia, & reditus Academiæ. Quartus Leopoldus, cognomẽto Militię decus, occubuit in prælio, trucidatus ab Heluetiis, ad oppidum Sempach, relictis ex Mediolanenſi coniuge, quatuor liberis. De his, & Alberti filiabus, conſulantur hiſtoriæ, quæ extant.

Maritum cõiunx, extructo monaſterio, in loco parricidij, quod Konigsfeld, id eſt cãpus regius nominatur, ſplẽdido cohoneſtauit monumento, ſed inde, anno ſequente, exuuiæ Spiram traductæ, & prope patrem conditæ ſunt, iv. Cal. Septemb. vt oſtendit inſcriptio tumuli. Eadẽ, fontes ſalis, prope Gmundum, reperiſſe, & coquendi rationẽ oſten-

oſtendiſſe, ſcribitur, mulier magni, & perſpicacis ingenij.

Imperante Alberto, familia ſacrorum militum templi Hieroſolymitani, quos Tẽplarios nominant, callidiſſimè ſtructa, & mirifico aſtu occultata cõſpiratione, Clementis quinti Põtificis, & Philippi Pulchri Franciæ regis, tota paſſim Gallia, vno quaſi momẽto, deleta eſt, cuius ſimile Pythagoreis, in magna Græcia, accidiſſe legimus. Cauſſas ex ſuis cõiecturis, alij alias referunt: prophanitatem religionis aliqui, Ethnicæ æmulã: ſimulachra humana pelle induta, & victimis humanis culta: alij libidines, alij proditiones, & fœdera cum hoſtibus Chriſtiani nominis inita. De his, ſuum cuique iudicium permitto.

Sed de religionibus, quę eis tribuũtur, conficta eſſe puto, vt ſæuitiæ exemplum, ſpecie honeſtiore, ad vulgus excuſaretur: cõiecturis de libidinibus, & proditionibus, facilè aſſentior. Præcipuam tamen ratiocinor fuiſſe cauſsã deletionis, magnitudinem potentiæ, & opum, quæ monarchis orbis Chriſtiani, & formidabilis, & intolerabilis erat. Germania in ſuos mitior fuit. Nõ enim illos ſtatim, ad Põtificum iuſſa, trucidauit, ſed, cùm cæde Gallicorum comperta, prouocarent ad demonſtrationem ſuæ innocentię, quod factum ſcribitur Moguntiæ, Cal. Iulij, anno milleſimo, trecenteſimo, vndecimo, auditis illis, nomen tantùm, & leges familię mutauit, perſonis, & reditibus diſtributis in alias ſacrorum ordinum familias.

De Templariorum memoria extirpanda in perpetuum, ſimúlque de recuperatione terræ ſanctæ, actum eſt in cõcilio Vienneníi, quod indixit Clemens quintus, ante Põtificatum, Epiſcopus Burdegalenſis, is, qui poſt longam contentionem Cardinalium, intercedẽte rege Francorũ, electus in Pontificem, tranſtulit ſedem Pontificiam, in Galliam relicta Italia, & vrbe Roma, quæ priorum Pontificum ſcelerata fraude, in factiones, & contraria ſtudia, hoſtilibus animis diſtracta, iis concutiebatur ſeditionibus, contra quas ne quidem ipſos Pontifices amplius, multis antea formidabile telum anathematis, tueri poterat, exitu pernicioſorum conſiliorum iuſtiſſimè redundante in authores: ſicut dicitur veteri verſu:

Τοὺς χρὴ ἐς ἑτέρου πῆμ' ἐλθεῖν κακὸν ὅστις τοὺς ἔχει. Item:
Οἱ ἄλλῳ κακὰ τοὺς ἔχει ἦλθον, ἄλλο κακὰ τοὺς ἔχων.

Quare cum mederi excitatis à ſeſe malis, & quos extinctos cupiebant, opprimere nõ poſſent, periculis ſeſe aſtu-

tè ſubtraxerunt. Nec dubito, migrationis in Galliam fuiſſe prçcipuam cauſſam, quod huic tempeſtati ſeditionum, penè immedicabili, cedendum eſſe viderent, niſi vellent impetu fluctuum, cum rebus ſuis vniuerſis, obrui, atque demergi.

Clemens ergo, excitis ad ſeſe purpuratis, Pontificatum Lugduni iniit, feſtiuitatem publicam eohoneſtãtibus tribus regibus, Franco, Anglo, & Tarraconenſi, in tãta celebritate & frequentia nobilitatis, ac promiſcuæ plebis, rei nouitate allectæ, vt dum ſe Pontifex ſublimem in equo, ambitioſo purpuratorum comitatu, tota vrbe, inter tres reges conſpiciendum, circũfert, ipſe interfuſæ multitudinis impetu, equo deturbatus, excuſſa capite tyara, gemmam maximi pretij amiſerit, ſimúlque cum regibus ad ruinam muri, vetuſtate, & pondere ſuperſtantium, procumbentis, de vita ſit periclitatus: Iohannes Britanniæ dux, oppreſſus interierit: proceres nonnulli ſpectantis, vrgentíſque turbæ trepidatione, euerſi ſint, atque obtriti.

Præbuit hoſpitium Gallia, curię Romanç, annos circiter ſeptuaginta, Auenioni, quam Pontificibus ſedẽ mercatus eſt Clemens Sextus. Põtifices abſentes procul vrbe, extra periculi ſortem, per cardinales tres legatos, res Italicas ita procurarunt, & adminiſtrarũt, vt non modò non ſtuduerint efficere & firmare, inter factioſos ordines, concordiã, quam ſe tamen maximoperè expetere, & cuius ſe gratia accire Imperatores, inſidioſè præ ſe ferebant, ſed exacerbatis odiis mutuis, inter Gibellinos, & Guelphos, intẽtatum reliquerunt nihil, quod vel grauaret, ac deprimeret Imperatores, hiſq; addictos Gibellinos; qui, cùm aberant Imperatores, ſpoliati honoribus, dignitatibus, fortunis, & telis ſacris profligati, extorres agebantur; vel quod impediret, ne conciliaretur, & ſolidaretur concordia aliqua, de ſententia, & voluntate Imperatorum, ſalua eorum, & integra maieſtate, quam, quod officeret ambitioni, & obſtaret cupiditati ipſorum, ferre non poterant.

Sed vicit tãdem cauſſa & fortuna, iuſti, ac legitimi magiſtratus. Inſani conatus adulterinæ, & per ambitionem, ſcelera, ac fraudes raptę potentiæ Pontificis eruperunt in neruum. Itali enim pertæſi cædium, pertæſi molitionum pontificiarum, vt reduceretur curia Pontificia ad ſedem priſtinam, Italum Pontificem crearunt. Galli cõtra hunc, alium, è ſua gente. Hinc diſſidia nata, ac deinceps aliis cauſſis, & occaſionibus adaucta, orbem Chriſtianum, in-

uolu-

uolutum pernicioſiſſimis motibus, auerterunt à neceſſariis bellis contra Turcos. Hi enim interea Imperium propagarunt, & confirmarunt. Sed & ipſorum Pontificum authoritas, atque potentia, his paulatim languefacta, ac fracta, ſicut omnis magna potentia, ſeſe ſuis conatibus, & viribus eò redegit, vt tandem penè conciderit. qua de re infra dicam.

HENRICVS SEPTIMVS.

GALLOS ex tranſlatione ſedis, non exiguam ſpem, de Imperio concepiſſe, Philippi Pulchri, & fratris Caroli Valeſij conſilia oſtendunt. Quòd enim in ſua poteſtate haberent eum, qui ius ſibi arrogaret, tradēdi Imperium cui vellet, quin per eundē id recuperarent, nihil impediturum, ſibi perſuadebāt. Quare, cùm à cæde Alberti, eſſet dilata electio ſucceſſionib. Carolus Valeſius, de ſententia fratris, exercitum cōparat, vt vel inuito Pontifice, Imperium extorqueret. Pontifex, etſi à ſuo rege non eſſet alienus, tamen quia mutationem hanc proſpiciebat fore exitioſam Italiæ, & Hierarchiæ Romanæ, fieri eam nolebat. Et vt Gallorum conatus anteuerteret, clam de his monuit principes Germanię, cohortatus eoſdem, ad electionem ſolennem maturandam.

Ita, cùm Septemuiri cōueniſſent Francofurti, cōiunctis ſuffragiis, elegerunt Henricum comitē Lucelburgenſem, Calend. Nouembris, ſeptimo, ab interitu Alberti, menſe, de commendatione Balduini, Archiepiſcopi Treuirorum, qui in fratre Henrico, non ooes, quæ exiguæ erant, ſed alia ad iuſtam, & ſalutarem gubernationē, magis neceſſaria præſidia, atque ornamenta veriora prædicabat, generoſitatem naturę, ingenij præſtantiam, excelſi animi magnitudinem, moderationem in omni vita, iuſtitiam, peritiam rei bellicæ, vigorem ætatis, & corporis robur, ac firmitatem ad tolerandos militiæ dolores.

Tali verò gubernatore opus erat, non tam Germaniæ, quanquam recentibus bellis ciuilibus miſerè laceratæ, quàm Italiæ, quę, penè totos annos ſexaginta, Imperatorē nullum viderat, ſuóq; aſſiduè reſpergebatur ſanguine, & cædibus, ac direptionibus exhauſta, redactáq; ſub tyrannos, iam ſeruitutem, pro libertate, quam intempeſtiuè affectarat, ſeruiebat duram, ac triſtem. Pleræq; enim Hetruſcę, & Longobardicę vrbes, quæ pertæſæ moderati, ac iuſti Imperij Germanorum, vt ranę Æſopicæ, redemerant iura Imperij à Rodolpho, multa pecunia, vt prorſus liberę

essent;aut laborabant seditionibus immanissimis, ac crebro mutatis dominis,nũc hos, nunc illos sequebãtur victores,aut iam oppressæ,parebant certis tyrannis,Mediolani,Hastæ,Vercellis, Nouariæ, Ticini,Laudi Pompeiæ, Cremonæ,Placentię,tyrannidem exercebát Guelphi,Gibellini nominis hostes.Veronã,Paduã,Mantuã,tenebant Gibellini.Guelphis coniũctus erat Robertus Apuliæ rex, qui,pro Pontifice,turbabat ciuitates Hetruscas.

Quòd ergo fidem, & auxilium Imperatoris Italia supplex imploraret, Pontifex Henrico renunciationem solennem requirenti, per legatos, eatenus eam conduxit, quatenus se promitteret intra biennium Italiam pacaturum,quæ desideraret presentiam ipsius Assensit Imperator, & ne qua semina bellorum, aut dissidiorum domi relinqueret,in Italiam discedens,totum se ad res Germanicas componendas conuertit.

Comitem Wirtebergensem, opum fiducia, insolentiùs noua bella conflantem,armis prosequutus, ita attriuit,vt pereundũ illi fuerit,nisi clemẽtia victoris fuisset seruatus.

Friderico Austriaco,Alberti filio,pro quo subditi expetebant dominũ ipsum Imperatorem, huic ergo non ademit,sed reliquit, & confirmauit possessionem Austriæ,ea tamen conditione,vt cederet iure regni Boëmici.

Quod ille cùm annuisset,Imperator,consensu procerũ, electo Henrico Carinthio, regnum cum Elisabetha,filia Wenceslai senioris,nepte Rodolphi Imperatoris,despondit Iohanni filio. Hoc modo Boëmia sub Lucelburgenses redacta est.

Fridericus in Austriam reuersus,de seditiosis supplicium sumsit,& Imperatori profecturo in Italiam,fratrem Leopoldũ adiunxit. Sustulit Imperator & Misnica bella,his legibus,vt Fridericus Turingię,& Misniæ possessione integra contentus, relinqueret Lusatiam inferiorem Boëmis,qui in belli societatem acciti,iam ante eam abripuerant. Ita vtriusque Lusatię accessione,eodem tempore, creuit regnum Boëmię, & Misnia difficili, ac diuturno bello liberata,sese ad quietem,& pacis opera recepit.

Pacata Germania, Imperator,ad Italicas seditiones sedandas,sese cõuertit,ad quam rem,cum exercitu instructo sibi fore opus, intelligeret, dũ cogit copias,iusta persoluit Imperatoribus Alberto, & Adolpho, cadauere vtriusque Spiram translato, & honorificè condito, propè Rodolphum; Albertũ quidem,in monumento coniugis

Fride-

Friderici Imperatoris, Adolpho in vicino filiæ eiuſdem. Dehinc per Allobroges, exercitum duxit in Italiam. In eo itinere primùm delatus ad Taurinates, & Aſtenſes, vtriſque in deditionem acceptis, veteri more, præſides vicarios impoſuit. Exemplum imitatæ vrbes Longobardicæ cæteræ, quarum aliæ à Guelphis, à Gibellinis aliæ tenebantur, ſimiliter miſſis oratoribus, ſe in fidem, & clientelam Imperatoris contulerunt.

Mediolani dominabantur Turriani principes Guelphorum, ſummotis Vicecomitibus, qui factionis cõtrariæ caput erant. Tunc verò principatum tenebat Guido Turrianus, gentis Princeps, ſed ciuibus, propter ſuperbiam, exoſus. Ad Imperatorem ſupplex confugerat Matthæus Vicecomes, exul. Inter vtroſque, Imperator, priuſquam ad Mediolanũ accederet, tranſegit, his legibus, vt vtrique, & reducti, ſuo beneficio, Vicecomites, & Turriani deinceps in patria, antiquæ libertati reſtituta, æquo iure viuerent, paternis bonis contenti. Sed cùm ingredienti Mediolanum Imperatori, Matthęus dextrũ latus cingeret, Guido, quod ad ſiniſtrum hærere iuberetur, offenſus, ne deſperans de principatu, metuénſque deiectiones ſuorum, ad turbulẽta ſe conſilia conuertit, concitatóque, poſtquã Henricus coronatus eſſet, acri tumultu, in diſcrimen nõ mediocre, Imperatorem adduxit, ſed recidit periculum in authorẽ. Cùm enim Germani, duce Leopoldo Auſtriaco, fora, & compita, cohortibus, & turmis impleuiſſent, & Matthęus Vicecomes, cum equitum globo, diſcurrẽs, veteres clientes ad arma vocaſſet, plebs arma in Turrianos, nihil tale timentes, verſa, momento temporis, eorum domos expugnatas diripuit. Ita tumultu populi, Turrianis vrbe pulſis, Imperator ſummæ rerum præfecit Matthæum Vicecomitem, & ex his inſidiis, Guelphos ſuſpectos habere, ac Gibellinos apertè complecti, & fouere cœpit.

Adhæſerunt Turrianis Cremonẽſes, Placẽtini, Parmenſes, Papienſes, & Brixienſes: hi, re cognita, protinus cùm ipſos vicarios præſides, quos paulò ante receperant, tum Gibellini nominis ſtudioſos, multa cæde, expulerunt. Sed Imperator obſidionibus fatigatos, ac fractos, coëgit deditione facta, pœnas luere, quas ille ſtatuiſſet. Cremonenſes ergo, alligatis collo laqueis, ſupplices facti, culpam & pœnam, grandi mulcta, redemerunt. Brixianos ad defectionem impulerat Theobaldus Bruſſatus, quẽ Cęſar magnis beneficiis affecerat; hunc inter cadauera, pro ſemimor-

tuo,repertum,equis diſcerpſit: & quanquam cæde fratris grauiter irritatus eſſet, tamen victus interceſſione legatorum Pontificis,Brixianos, cùm veniam ſuppliciter rogarent,recepit in gratiam,ſed mulctatos magna pecunia, & demolitione murorum,ac portarum vrbis.

Cùm autem frequentibus literis eorum, qui Cæſariani nominis ſtudioſi erant, in Hetruriam euocaretur, vt,hac occaſione,faciliùs Romã peruenirẽt, Genuam profectus, claſſe Genuenſium deduci Piſas voluit. Exercitum terra præmiſit.Longobardię curam & adminiſtrationem commiſit Werno, comiti de Hohenberg, qui reuerſos ad arma Guelphos,multis victoriis contudit.

Creſcebant in Hetruriá,vires Florentinorũ,quibus cum conſpirarat Robertus Apuliæ dux,Gibellino nomini infenſiſſimus. Idem Romæ Vrſinos inſtruebat, & adiuuabat,contra Columnios,qui pro Cæſare ſtabant.

Quòd ergo,quantum Guelphis fidendum foret,noſſet, Ludouicum Allobrogum ducem præmiſit, qui tumultus ſedaret. Totos enim menſes tres, quotidianis prælijs,in vrbe,inter has familias decertatum erat, vt ſanguine cæſorum plateæ fluxerint,tunc etiam,cùm Cæſar inueheretur.Vrſinis arcere aditu Imperatorem : Columniis eundem in vrbem introducere curæ erat. Columniis Sabelli: Vrſinis Grappelli adhærebant. Sed ſuccubuerunt Vrſini: cúmque Cæſare introducto, protraheretur ſolennis renunciatio, Cardinalium aſtutia, Stephanus Columnius, ne differretur amplius,terrore iniecto,perfecit.

Ita Henricus, Calend.Auguſti declaratus eſt Imperator, anno milleſimo,trecenteſimo,duodecimo. Vrbem tunc gubernabant,vicario Imperatoris nomine,duo præſides, velut olim conſules,qui à Romano Senatu creabantur,& annuum magiſtratum gerebant.Sed non multùm poterat hic magiſtratus,in ſeditioſa vrbe,quę,prępotentũ ciuium factionibus,diuiſa erat in partes.Quare non diu ibi commoratus Imperator, cùm Tyburi cum Friderico Siculo fœdus feciſſet,per Sabinorum, Vmbrorum,& Peruſinorũ fines,Aretium ſe contulit. Inde occupatis Arni caſtellis, Florentinos obſidere cœpit,quos Lucenſes,Senenſes,Bononienſes,& Ferrarienſes, & Robertus rex inſtruxerant. Oppugnationem vrbis nõ tentauit.Nam deuaſtatis ipſorum,& ſociorum agris,penuria commeatuum,ad ſpontaneam deditionem venturos,ſperabat. Nec fefelliſſet eum opinio,ſi vixiſſet.Nullam enim Florentini,niſi in Roberto Apulo,

Apulo, ſpem defenſionis habebant, qui tamen detenti bello Siculo, nec ſubſidio venire obſeſſis, nec auxiliares copias mittere poterat.

Hac tamen de cauſſa, Robertum etiam citauit, ad dicẽdã cauſſam, cúmque comparere recuſaſſet, tanquam contumacem, per ſententiam, Apulo, & Campano regnis priuauit. Sed hanc ſententiam poſtea reſcidit Clemens V. vt habetur in Clementinis: De ſententia, & re iudicata. C. Pastoralis. Qua verò leuitate id fecerit Pontifex, & qua impudentia, alia regna Chriſtiani orbis, ſimiliter Hierarchiæ Romanæ ſubiiciat, formula decreti oſtẽdit. Henricus, etſi terrâ Florentinos, & eorum ſocios, mari claſſe Liguſtica, & Sicula Robertum grauiter afflixit, tamen morte præreptus, nec finem obſidionis Florentiæ vidit, nec exequi in Robertum, quod ſancitum erat, potuit. Interiit, dum properat aduerſus Robertum, inuitantibus eum Neapolitanis certo deditionis promiſſo, nefariè necatus veneno, per infectum panem ſacrum, Beneconuenti, à Bernhardino monacho, è familia fratrum prædicatorum, qui ad hoc à Florentinis erat conductus.

Anno, milleſimo, trecẽteſimo, tertio decimo: nono Cal. Septembris, id eſt, die Bartholomæi Apoſtoli.

Anno mundi, quinquies milleſimo, ducẽteſimo ſeptuageſimo quinto, Imperij ſexto.

Cadaueris inde Piſas delati, monumentũ, ex hac inſcriptione agnoſcitur: Hoc in ſarcophago Hẽrici, olim Lucelburgẽſis comitis, & poſt ſeptimi huius nominis Romanorũ Imperatoris, oſſa continentur, quæ ſecundo, poſt eius fatũ, anno videlicet M.CCC.XV. Die verò Calendarũ Sextilis, Piſas tranſlata, ſummo cum honore, ac funere hoc in fano, ad hunc vſque diem, collocata permanſere.

Mors eius Florentinis, Guelphis, & Roberto lætitiã, Gibellinis luctũ attulit: ſed hos, Deo iuſto iudice, ac vindice, fortuna ſui Imperatoris, adeò, ne quidem poſt illius fata, deſeruit, vt ſeſe vires Gibellinæ, victoriis aſſiduis, vbique plurimùm confirmarint. Tribus enim præliis Florentini à Piſanis victi ſunt, quanquam auxiliis Neapolitanis inſtructi eſſent. Ad Campum Aldinum ſemel, iterum ad Arbiam flumen, nouiſſimè ad montem Catinum, in quo prælio cecidit frater Roberti regis, Iohannes.

Hoc ſucceſſu Gibellinorum offenſi Cardinales Legati, & rex Robertus, in eam curam animos intenderunt, vt cõminuta rurſus Imperatorum authoritate, quam Henricus

reſtituerat quidem, ſed nondum confirmarat, Guelphos tot aduerſis præliis profligatos, contra Gibellinos erigerẽt. Itaque in Hetruria, veteris belli reliquias, perſequi decreuerunt, & nouum mouerunt Matthæo Vice-comiti, qui Guelphos, & ipſum Robertum, multis affecerat cladibus, & recèns Piſanos, conſtanti erga Imperatores fide, atque officio iuuerat.

Matthæum Bertrandus Vaſco Cardinalis, Legatus Pontificis, cùm vim hoſtilem nil effecturam experiretur, fulmine pontificio aggreſſus, tanquam impietatis reum, æternis cruciatibus deuouit: quas execrationes, etſi ſequuta eſt aliqua inclinatio animorum, perrupit tamẽ virtus, & felicitas filiorum Matthæi, qui pleraſque Longobardiæ vrbes repurgatas à Guelphis, ſuæ ditionis fecerant, vt ad Imperium Longobardiæ viderentur aſpirare. Quare & nouas coniurationes Pontificis, Roberti Neapolitani, qui Guelphorum patrocinium ſuſceperat, & Florentinorum, facilè cõtempſit, ac ſuſtinuit, & Germanicas copias, quas illi, Hẽrico Auſtriaco duce, conduxerant pecunia: Gallicas, quas Philippus Valeſius attrahebat, terrore auertit: Filij etiam, patre mortuo, multis, vario euentu, præliis commiſſis, ſed ad extremum victores, egregiè ſeſe tutati ſunt.

Henrici ſeptimi ſtirpem, ab Hugone, naturali filio Lotharij, qui patre Lothario Imperatore natus eſt, multi deriuant, vt ſupra monui. Alij aliam originem faciunt. Tam cita, & tam indigna morte peremptum eſſe, tam præſtantem Imperatorem, & tanta ſucceſſuum, ac victoriarum proſperitate, ad ſumma cõtendentem, dolendum eſt. Prudentię enim, virtutis bellicæ, & felicitatis etiam tantum attulit, quantum ad rem tantam perficiendam, & ad explicandam ſeditionibus Italiam, atque in tranquillum reſtituendam ſatis fuiſſet, ſi vita ſuppeditaſſet, & ſi ambitioſè factioſæ gentis, quæ non veram libertatem, ſed licentiam barbaricam captabat, iuſta, moderata, tuta, & ſalutaria imperia non reſpuiſſet: ſed quietem Italiæ, fata inuiderunt, & Deo viſum fuit hoc modo, & his cladibus aſſiduis, punire ſcelera Pontificum, & multiplicia peccata nobilitatis, ac plebis, Epicuream prophanitatem, libidines, parricidia mutua, vt fatali quadam cæcitate cõſiliorum, & peruicaci obſtinacia odiorum, in ſtras in ſe furenter clades irruentes, nec cæde mutua ſatiarentur, nec vaſtitate mouerentur, qua efficiebatur, velut à ſtirpe excitis præcipuæ nobilitatis familiis, vt hoc interitu poſteritatis ſuę, his immanium

nium cædium, & deuastationum spectaculis, non afficerentur.

Ex Margareta, Henrici ducis Brabantini filia, Iohannem Bohemiæ regem, & filias tres reliquit. Coniux maritum secuta Romam, cùm inde Genuam reuersa esset, diem suũ obiit, sepulta ibidem apud minores. Filiarum natu maximam Beatricem, Carolo Vngariæ regi: alteram Mariã, Carolo Pulchro Franciæ regi: tertiam, Rodolpho Palatino ad Rhenum collocauit.

Iohannes, à morte patris, contractis copiis nouis, quibus Italicas suppleret, ciuitates quæ in fide perstiterant, in suã quoque fidem receptas, defendit. Bohemiæ regnum adiecta magna parte Silesiç, & Lusatia vtraque, valde dilatauit. Silesia enim à pluribus gubernabatur principibus, originis quidem, & gentis eiusdem, sed inter se dissidentib. qui repudiatis fœderibus, ac legibus Polonorum, in eũm sese statum nuper collocarant, vt Boemis, & Polonis interiecti, medij, neutris essent addicti, & cum neutris amicitiam colerent firmam, sed sua gauderent libertate, quã cùm nescirent vti, Boemi ante distractos, domesticis dissidiis, mirabili astutia, amplius diuulserunt, vt singulos non magno negoeio subiugarint, Carolo filio, quod reliquum fecerat pater, conficiente.

Ἀφορμὰς, & πρόφασιν ad eos conatus, præbuerunt quædam pacta vetera, inter Boemicos reges, & Silesiæ duces, & tributa, quæ veteri obligatione, à Polonis Imperio soluta, Fridericus Imperator nuper attribuerat Boemis.

Inferior Lusatia, bello Misnico accesserat. Superior paruerat eo vsque marchionibus Brandeburgensibus, è veteri stirpe Ascania, quorum vltimus Woldemarus, in bello Danico, contra διώνυμον regem, vt Saxonum annales referunt, fato functus, sobolem masculam nullam, sed longi, ac difficilis belli semina reliquit. Cuius belli periculis implicata Lusatia etiam, quanquam remotior, quod à nemine defenderetur, & Marchia, alternante belli fortuna, nunc Bauaros, mox alios, ceu sortiretur ex victoria præsides, repetentibus eam veteribus dominis, Boemis sese tradidit: Henricus quartus enim olim marchionibus Misniæ ademptam, quod Saxones iuuissent, Boemis concesserat. Ottocarus Boëmus confisus, se opera Marchionis Brandeburgici Imperium consequuturum, ante electionem Rodolphi, hac suffragium sibi illius, velut mercede compararat. Iohannes Lucelburgensis, orbatam antiqui

ſtēmatis principibus, ceu poſtliminio, ad regnum reduxit. Occubuit autem hic rex in illo bello Francico, cæcus ad Creſſiacum, ab Eduardo Anglo, decimo Cal. Septemb. anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſexto, in quo prælio ceciderunt circiter triginta Gallorum millia, & iuxta Iohannem regem, Carolus Valeſius, Philippi frater, cum multis aliis regni proceribus.

Vrſinos, conſenſu plurimorum, è gente Aſcania, quę latè in Germania imperauit, & diſtinctas duas Septemuirorum in Saxonia, ac marchia Brandeburgenſi, familias genuit, Columnios, ex comitibus Zollerenſibus prodiiſſe, & agnatione attingere eos, qui nunc tenent marchiam Brandeburgenſem, antea annotaui. Nunc addam Imperatores Orientis.

IMPERATORES ORIENTIS.

MICHAEL PALÆOLOGVS.

RVdera Imperij Orientis percurram paucis, propter res Turcicas. Fuit hoc diuulſum, vt dixi, in duo regna, Europęum, & Aſiaticum ad Colchidem, & Pontum, inter Scythas, Tartaros, & Turcas. Hoc cōdiderunt Cōneni, occupato Trapezunto, poſt captam à Francis Conſtantinopolin. Series regum hæc fuit: Alexius Comnenus, diſſipatis viribus Orientis, irruptione Francica, cùm alij alias Imperij prouincias, bello adfererent, inuaſit Colchidem, & vicinos aliquot tractus. Huius, ex filio Alexio, nepos Iohannes, cognomēto Lazus, duxit in vxorem Eudociam filiam Michaelis Palæologi, vt Aſiaticum rurſus, Europæo affinitatibus copularetur. Ex hoc nati filij duo, quorū natu maximus Alexius, patre ſublato, regnum obtinuit. Cū iuniore Eudocia mater rediit Conſtantinopolin, ſpe regni Europæi. Alexio Baſilius, qui in Andronici iunioris Palæologi tempus incidit: huic rurſus Alexius ſucceſſit, cui filius Iohanes, regni cauſſa, bellum intulit.

Hic Iohannes filiam Deſpinam, Aſſimbeio Vſumcaſſani regi Perſico, in vxorem dedit, & conſentaneum eſt has nuptias illum filiæ quæſiuiſſe, hunc expetiuiſſe, vt ea cognatione, mutua præſidia compararet, aduerſus impendētem vim Mahometis, qui, deleto Græcorum Imperio in orientem vires extenderat: ſed nihil profuit Trapezuntinis

nis hæc affinitas. Cùm enim Mahometes Vſumcaſſanẽ ad Tabendam, quæ Toccota hodie dicitur, in Anſerinis campis profligaſſet, facilè poſtea Dauidem, qui, Iohãne extincto, regnum rapuerat, excluſo quadrimo illius filio, oppreſſit, Trapezuntíque, & totius Ponti, atque Colchidis Imperio, in prouinciam redacto, Dauidem cum filiis, inter quos natu minor erat Georgius, coniugem item, & ex fratre nepotem Alexium Comnenum, Conſtantinopolin perductos, in carcere necauit, filiam Dauidis, inter concubinas, apprimè dilexit.

Europæum regnum, in plures diſcerptum partes, tenebatur à diuerſis. Suos enim, è gente Heneta, Seruij habebant deſpotas, in veterum Triballorum ſede: ſuos Bulgari, in terra Myſorum: Theſſaliam, Epirum, & Ætoliam poſſidebant Angeli. Peloponneſum, Eubœam, Atticam, Bœotiã, Achaiam infeſtabant, incurſationibus aſſiduis Siculi, & Itali Summa rerum tamẽ erat penes Michaelem Palæologum, qui quib. artibus, Laſcariuę ſtirpi regnum ademerit, ſupra monui. Recepit is Cõſtantinopolin eiectis Francis. Bellum geſſit cum Michaelo Angelo, Epiri, & Ætoliæ deſpota, ſed infeliciter. Quare, cùm in Imperio parricidiis acquiſito, nec ſatis confirmato, nemini tutò fideret, pacem cum Micaelo, quanquam ignominioſam, fecit, data conſobrina ſua, filio eius Nicephoro in vxorem. Sed non diuturna fuit hæc pax.

Genuenſibus, quorum auxilio Imperium conſequutus erat, & Venetos depulerat, tradidit Peram vrbem, vltra ſinum, è regione Byzantij, in eodem littore Europæo ſitam, quam Galatam hodie vocant. Recepit Eubœam, & aliquot Ægæi maris inſulas, Lemnum, Chium, & alias, ſed non retinuit.

Hoc tempore, tradunt, in Græcia cometem conſpectum eſſe, qui, cùm exarſiſſet circa ſolſtitium æſtiuũ, ſole cancrũ peragrante, fulſit ad æquinoctium autumnale vſque, & tãdem, ſub tauri ſidere, euanuit. Nec multò poſt, ſol obſcuratus, tantas terris tenebras offudit, vt ſtellæ interdiu effulſerint. Hæc præuia nouarum calamitatum ſigna, cùm mox ſequutę ſint Turcicæ eruptiones, ac progreſſiones, non cõtemnamus prodigia, aut oſtenta, quę diuinitus proponuntur. Etenim hoc Imperatore, Turci in Aſia, qui à Scythis Tartaris circumuenti, ac domiti, aliquãdiu quieuerant, receptis animis, ac viribus, reuerſi ad latrocinandi conſuetudinem, reliquias Imperij Græci, in Aſia, vehementer com-

minuerunt,ſed ſparſim tamen,ac particulatim, latrociniis verius,quàm iuſtis prælijs, ſumentibus ſibi audaciam graſſandi etiam priuatis,donec potentiores terras ſubactas, in ſatrapias partiti,omnem Aſiam,à mari Pontico, & Galatia,vſque ad mare Lycium,& Carium,& flumen Eurymedontem,ſuæ ditionis fecerunt.

Erat Micaeli Epirotæ potentia inſignis. Theſſaliæ.n.omni,Epiro,& Ætoliæ,cũ regionibus vicinis,imperabat.Huius nothum filium Iohannẽ,eſſrẽni,& vafro ingenio iuuenẽ,cui pater moriturus,Pelaſgos,Phtiotas, Theſſalos, Ionios & Ozolas intra Olympũ,& Parnaſſum montes, attribuerat(reliquã enim Epirum, inter legitimos filios diſtribuerat)hunc ergo laceſſentem Byzantios, & rapinis infeſtãtẽ Macedoniã,ac Thraciam,bello perſecutus, tollere tamen non potuit quod Iohannes niteretur ſubſidiis Italorum,qui Euboeam,Atticam,& Boeotiam ſubegerant.

Carolum Neapolitanum,pro genero Balduino bellũ totis viribus parantem,inhibuit, cõcitatis in eum Friderico Siculo rege,& Pontifice Romano,cui ſpem fecerat, de cõponendis controuerſiis, quæ Græcas Eccleſias à Romana diuulſerãt,déque illis Romanæ ſubiiciẽdis.Huius rei cauſſa,vocatus à Pontifice Lugdunum, ne,ſe abſente, Græcia eſſet ſine Imperatore,filium Andronicum deſignauit ſucceſſorem,data ei in vxorem Anna Pãnonia.Sed quod latas, à Pontifice Romano, leges concordiæ, in detrimentum Eccleſiarum Græcarum accepiſſet,ſine ſuorum aſſenſu,tantam & Imperio perturbationem,& ſibi conflauit inuidiã, apud ſuos,vt honor ſepulturæ mortuo ſit denegatus.

Extat,de hac re ſententia Gregorij decimi promulgata in concilio Lugdunenſi,ſexto decretalium, cap.vnico: Fideli,ac deuota profeſſione fatemur,&c.

Deceſſit annos natus quinquaginta octo,vir ambitionis inexhauſtæ & quæ ambitionis comes eſt,fidei incertæ, ſed conſilij expediti,& circunſpecti, quo ſeſe ſuóſque in turbato,& lacero Imperio,magis, quam virtute conſeruauit. Filios reliquit Andronicum ſucceſſorem, & Conſtãtinum Porphyrogenitum,quem ignauus,& ſtolidus frater,ob falſam ſuſpicionem quęſiti regni,in carcerem incluſit, bellatorem acrem,& induſtrium,vt qui,in Lydia, Turcos, aliquot ſecundis prælijs,fortiter repreſſos,detinuerat,ne proferre limites Imperij poſſent.

PANDRONICVS PALÆOLOGVS.

PEriodis regnorum circumactis, cum ad ſinem illa tendunt,

dunt, ruinam proximè antecedunt, vt Appiani verbis vtar, ὕβρεις ἀποστασίας νόμων, καὶ δίκης αἰσχρὰ καταφρόνησις, & discordiæ, quæ, si quid reliquum est, id labefactant. Nec fere, nisi fatalibus discordiis, magna Imperia euertuntur: cúmque momenta mutationum instant, insigni petulantia accelerantur pœnæ, vt significatum est, tribus vocibus, apud Danielem, quibus Baldaseri regi denunciatur interitus, & regni dilaceratio.

Sic, cùm domesticis bellis, & seditionibus eneruatæ atque in contemtum adductę essent vires Constantinopolitanæ, initio commoti, sua sponte: deinceps etiam inuitati, & acciti ex Asia Turci, ex Europa Hispani, & Itali, iique diuersi, & inter se dissidentes, Veneti, Pisani, Genuenses, Florentini, vno quasi impetu, in reliquias miserè dilacerandas, incubuerunt: donec Turci, oppressis per partes Palæologis, Seruis, Bulgaris: Hispanis verò, & Italis exclusis, Græciam omnem edomuerunt.

Acceleraruntinteritum Græcis, Italorum conatus, & irruptiones, qui, quod stulta æmulatione veterum ciuitatum Græciæ, quæ ex deuictis, ac profligatis Persis, acquisita Imperia, in Asiam vsque propagarant, quòd ergo, harum exemplo, & Imperium Græciæ, & victorias contra Turcos Persicis similes, ingentibus animis, & ausis somniarent, ac quærerent, quanquam multum dissimiles illis veteribus Græcis, sapientia, virtute, opibus, tandem, rebus desperatis, fractam incursionibus, ac direptionibus, nudatámque præsidiis Græciam, Turcis obiecerunt.

Incidit autem huius Andronici Imperium, in ea tempora, quibus restituta Turcorum potentia, progressu continuo in omnem sese Asiam anteriorem, incredibilibus successibus, extendit, cùm partas armis prouincias, septem principes, vt dicetur, inter se diuiserunt, quos vniuersos, paulò post, Ottomannidæ oppresserunt: horum enim sese potentia, supra reliquos, mirificis incrementis, extulit.

Andronicus aduersus Turcos, primo conduxit Alanos, quos seu Massagetas, seu potius Getarũ veterum reliquias esse, & fuisse in Taurica Chersoneso, & toto illo littore Ponti Euxini Boreo, ad Iberos vsque, patrius sermo, qui Gotticus est, ostendit. His oppressis, Scythę Tartari tristẽ seruitutem imposuerant, cuius illi impatientes, magno numero se cõtulerunt ad Andronicum, vt permissu illius, obtinerent nouas sedes. Andronicus ergo, sumptu, armisque instructos, duxit in Asiam aduersus Turcos: quibus

cum, in Magnesia, infeliciter acie congressi, ac repulsi sunt, quotquot ex his fortuna belli seruauit, ij, inuito Imperatore, receperunt sese in Europam, atque in oram Græciæ littoralis, è regione Lesbi, consederunt.

Vigebat tunc etiam bellum Siculum, quod, de regno Siciliæ, gesserunt inter se Tarraconenses reges, ex Hispania, & Andegauenses Franci, qui Neapolin tenebant. Durauit id bellum annos penè viginti, à millesimo, ducentesimo, octogesimo secũdo, vsque ad millesimum, trecentesimum, secundum, quo demũ pax, inter vtrumque regem, facta, ac sancita est. Tarraconensi classi præfuit Rogerius Lauria, fortis, & felix Imperator quem Græcæ historiæ Rõzerium nominant, atque è Catalanis, qui è Cattorum, & Alanorũ gentibus orti, in veterum Iberorum sede, ad fluuium Iberum, hodie pars sunt regni Tarraconensis, seu Arragonici, vt vulgò nominant: inde ergo auxilia, classe, Siculo regi adduxisse tradunt. Hunc cũ classe Hispanica, contra Turcos, attraxit Andronicus, cúmque Rogerius collegam Peringerium Tenzam ad societatem belli inuitasset, Andronicus, vt, arctiore fide, vtrumque sibi deuinciret, Rogerium Cæsarem, tradita ei nepte sua, in vxorem, alterum Peringerium, Magnum ducem creauit.

Profecti hi in Asiam, aliquot secundis præliis, contriuerunt Turcos, & Philadelphum obsidione liberarunt. Sed cùm stipendia eis non soluerentur, iusto tempore, mutata fide, pro hostibus sese gerere, ac prouincias Græcorum depopulari cœperunt. In eo tumultu, Rogerius, à Gregorio Alano, cuius filium interfecerat, per insidias, trucidatus est. Paulò post, collega, à Genuensibus captus, Imperium maris, cum vita, amisit.

Reliquias Catalanorum, Andronicus, vt deleret, coacto ex Thracibus, & Macedonibus exercitu, victus est, fugatúsque. Catalani adiunctis sibi fœdere, & societate Turcis, cùm Macedoniæ peruastassent, in aditu Thessaliæ, Turcis rursus dimissis, soli Thessaliam omnem populabundi percurrerunt, & in Bœotiam, atque Atticam delati, Athenis & Thebis expugnatis, atque Athenarum principe cęso, ibi conquieuerunt.

Thessalorum tumores, & opes infirmæ erant, ob immaturam principis Iohannis ætatem, & diuturno morbo penè cõfectam valetudinem. Nec diu, his motibus, superstes fuit. Hæredẽ, quòd ex Irene, notha Andronici Imperatoris filia, cum quatuor annos vixerat, nullum reliquit, principatus

patus Angelorum in Theſſalia, Epiro, & Ætolia finẽ ſuum habuit. Pars eius principatus rediit ad Imperatorem, partem Galatini, è Bœotia abripuerunt, partem proceres, inter quos præcipui nominis extitit, Thomas, è Ducarum familia, qui Epiri, & AEtoliæ ſe principem appellauit.

Turcorũ aliqui, Melecho duce, abierunt ad Seruiæ principem, quem ſua lingua Cralem, id eſt, regem nominant, amplexi Chriſtiana ſacra. Reliqui, Halelo duce, pacẽ certis conditionibus adepti, ab Andronico, vt Chriſtopolitanas anguſtias traiicere tutò, atque ad Helleſpontum reuertiliceret, & vt Romana claſſe, perducerentur in Aſiam, ad ſuos, cum omnibus manubiis, iter verſus Cherſoneſum intenderunt. Sed Imperatore fidem non ſeruante, dimicare coacti, à Bulgaricis, & Genuenſibus auxiliis, in Cherſoneſo trucidati ſunt. Quæ perfidia, & ſæuitia, Turcos in Aſia vehementer irritauit.

Andronicus ad magnam ætatem peruẽnit. Annum enim attigit ſeptuageſimum. Extremam ſenectutem difficilem habuit, exagitatus diſſidiis filiorum, & nonnullis in ipſum conſpirationibus, ac molitionibus. Filios genuit, ex prima coniuge Pannonia, Micaëlum Imperatorem, & Conſtantinum deſpotam: ex altera Irene, filia marchionis Montisferrati, filiam Simonidem, quæ miſſa eſt nuptum Seruiæ regi.

Filios genuit Iohannem, Theodorum, & Demetrium, quos, cum ambitioſa, & factioſa mater, Micaëlo anxiè anteferre conaretur, vt αὐτοκράτορας καὶ αὐτονόμους & ſui iuris eſſent, nec agnoſcerent ſuperiorem, & poteſtate pari, imperarẽt: vel, ſi deiici Imperio Micaël primogenitus nequiret, vt ſaltem ad conſortium, & ſocietatẽ Imperij admitterentur: hac pertinacia aſſiduarum flagitationũ, & expoſtulationũ, alienauit à ſe mariti animũ, à quo cum acciperetur durius, metu ſæuitiæ, ſeceſſit Theſſalonicã: ſed, ne ibi quidẽ, experiri, quas potuit, vias, & rationes deſtitit, quib. filios extolleret, conatu tamẽ irrito. Exceſſit è viuis, marito adhuc ſuperſtite. Theodoro filio, petiuit in vxorem, filiam ducis Athenarum, qui tunc, adhuc Imperio coniunctus, gerebat munus, & dignitatem magni ducis, & hortatrix illi fuit, vt pulſo Theſſalorum principe, genero principatum illum armis aſſereret: ſed repulſam tulit. Quare coniugem aliam ei delegit Genuæ, è Spinularum familia, & vt marchio Montisferrati diceretur, impetrauit. Iohanni deſponditfiliam Nicephori, præfecti Camiclij, magni no-

minis,apud Andronicum,viri. Is quarto à coniugio anno, orbus liberis,deceſſit. Primogenitus Andronici, Micaël, cõſors Imperij, cum patre, procreauit, ex Maria Armeniaca,filios duos , Andronicum iuniorem , & Manuelem deſpotam,qui Byzantij à cuſtodibus vrbis,noctu,dum fratrẽ Andronicum diſſolutiùs , & luxurioſiùs viuẽtem,inquirit, lethaliter ſauciatus,interiit,magno cum dolore aui.Filias reliquit Annam , & Theodoram , quarum illa primùm Thomę,Epiri,& Ætolię principi,pòſt,Thomę comiti Cephalenię,prioris conſobrino,& interfectori,nupſit.Theodoram duxit Suendoſlaus Bulgarorũ princeps.Conſtantinus,alter Andronici filius, libidinibus ſeſe fœdè contaminauit. Micaël,morte matrem præceſſit. In Andronicum nepotem,auus induigentiſſimus fuit. Quapropter ille licentia efferatus, auxiliis Genuenſium, per ſeditionem Imperium inuaſit,occupata Thracia,& vrbeConſtantinopoli.Cum Micaëlo Bulgaro , illo, qui,poſt obitum Suendoſlai,Bulgaris imperauit,cum eo ergo,contra Seruiæ regem, fœdus fecit.Eiuſdem auxiliis auum,qui in regno Conſtãtinum deſpotam anteferre,Venetorũ ope , conabatur,coëgit ab incepto deſiſtere , & repudiata Venetorum ſocietate,Ligurum amicitiam amplecti. Multos annos,bellũ varium,& anceps cum auo geſſit:ſæpe enim inter eos, reconciliata pax,intercedente amicorũ , & diſſoluta rurſus fuit, donec iunior ſenioriẽ,ætatis vitio cæcutiẽtẽ,in monaſteriũ compulit,in quo vitã exegit,Imperator ignauus,& infelix.

Propter hæc diſſidia domeſtica , cum negligerentur res Aſiaticæ,Turci pleraſque vrbes Bithyniæ ceperunt. Pruſiam expugnatam,Ottomãnus pater,& principes familię, caput,ac metropolin ſuę gẽtis, bellíque,contra Europęos, arcem conſtituit. Frequentiſſima autem,& terribilia maximè deliquia ſolis , & lunæ, in hoc tempus incurrerunt: crebris etiam terra quaſſata eſt motibus: quæ prodigia nõ futuras,aut proculimminentes calamitates,præſagierunt, ſed iam præſentes, præſoribus,ipſis oculis demonſtrarunt.

ANDRONICVS IVNIOR.

ANdronicus iunior proditionum ope,ac parricidij ſcelere,in Imperium irrepſit, auo inſidioſè circumuẽto, & oppreſſo. Annum egit triceſimum ſextum,quando auus fato functus, ſoli gubernationem reliquit. Eo viuo,Micaëlem Bulgarorum deſpotam,ſibi, cõtra auum, adiunxerat,collocata ei , in matrimonium, ſorore:quam cùm ille,

in

in thorum adduxisset, priore coniuge, Seruiæ regis sorore, adhuc superstite, rex ira percitus, bello vindicandam, polluti thori contumeliam, ratus, acie victum, & multis sauciatum vulneribus, principatu exuit; Alexandro consobrino, illi surrogato. Ita leuitas, & petulantia, semina dissidiorum auxit. Sed cùm Alexander post victoriam, auxiliis Seruianis, longius progressus, limites Constantinopolitanos etiam peruastasset; Micaël vlturus iniurias, Bulgariam cum exercitu intrauit, vbi ab Alexandro conclusus, in eas deuenit angustias, vt fame illi, cum exercitu vniuerso, pereundum fuerit, nisi Alexander, misertus illius, rem ad pacificationes deduci fuisset passus. In hoc bello Cantacuzeni virtus enituit.

Imperator, adiunctis sibi Turcis, Mitylenæos, & Phocenses oppugnauit; cúmque Iohannes, comes Ætolorum, & Acarnanum, qui fratre Thoma obtruncato, principatum inuaserat, violenta morte interiisset, relicta vidua, & impuberibus liberis, Imperator recuperandæ Thessaliæ magis, quàm arcendis aditu Europæ, Turcis, intentus, hos in derelicta Asia confirmare sese, & proferre imperium, permisit, ad Hellespontum vsque. Orchanes enim interea, Niceam, & Nicomediam, pertinaci obsidione, fatigatas, fame tandem domuit.

Sed & Imperator, prima expeditione, nihil profecit in Thessalia, anteuertente eum Thoma, comitis Cephalenię filio, qui annum tum agebat quartum decimum: altera, totam subegit, accepto in deditionem principe. Decessit annos natus quadraginta quinque, imperauit viginti, relictis ex Anna coniuge Alemanna, Iohanne, & Manuele, filiis, quorum curam cùm impuberes essent, commendauit Iohanni Cantacuzeno.

IOHANNES PALÆOLOGVS, ET Ioannes Cantacuzenus.

ANdronicus moriens, filios, ac regnum commisit fidei Cantacuzeni, quorum Iohannes natu maior, tunc annum egit duodecimum. Cantacuzenum Apaucus quidam, propter vafriciem, & astum, Imperatori charus, eiecit in exilium, obsequutus ambitioni patriarchæ: huius iniuriæ, & contumeliæ vlciscendæ caussa, quinquennali bello, viduã matrem, & Iohannem filium exercuit.

Byzantio proditione potitus, crudeliter nihil in quenquã statuit: sed Imperatoriam potestatem, ac dignitatem vsurpauit, non excluso tamen consorte Iohanne; cui, vt

inter vtrumque firmior coaleſceret beneuolentia, filiam matrimonio coniunxit Sed vt regna ſocium ferre nequeunt: ita citò diſſiliit malè facta, inter vtrumque concordia Genter exoſus potentiam ſoceri, profugit in Tenedon, adducturus noua auxilia, ad ſocerum exturbandum. Impetrauit tandem, vt à Frãciſco Cataluſio Genuenſe viro, in re nauali exercitatiſſimo, in regnum reſtitueretur, pro quo officio, Lesbum inſulam ei tradidit poſſidendam, quam poſteri, ad Mahometen ſecundum vſque, rexerunt. Socer abſente genero, cum Venetis, Catalanis, & Siculo rege, fœdus iniit, contra Genuenſes. Bellum acre motum eſt, in quo primùm nauali prælio, inter Conſtantinopolin, & Chalcedonem, quæ Scutaria hodie eſt, commiſſo: Genuenſes vicerunt, conſilio Pagani Auriæ, claſſis præfecti. Altero anno, Genuenſes, & ad Corſicam, à Nicolao Pi-ſano Veneto, victi, vnam, & quadraginta triremes amiſerunt, quæ, cùm epibatis, ſubmerſæ perierunt.

Poſt hanc cladem, cùm Genuenſes ſe, ſuáque Archiepiſcopo Mediolanẽſi permiſiſſent, Auria, reparata claſſe, Pi-ſanum Venetum, ad Peloponneſum ſuperatum, captúmque, cum millibus quinq; Genuam in carcerem perduxit.

Cantacuzenus Palæologo reduci ceſſit, & imperio abdicato, ſeſe in monaſterium abdidit. Andronicũ filium natu maiorem, Imperatorem creauit: Manuëlem minorem, deſpotæ inſignibus, ac dignitate ornatum, præfecit Spartæ in Laconica, quam hodie Mizethram vocant. Filiam, multò ante, tradiderat in vxorem Orchani Turco, vt amicis Turcis vteretur, cùm ſe Græcis infenſum eſſe ſciret, & quod in Imperium ſeſe ingeſſiſſet.

Andronicus à Palæologo, tanquã æmulus, regno pulſus, confugit in Rhodum; vbi cùm fruſtra imploraſſet fidem, & opem magni magiſtri Rhodiorum, reuerſus ad fratrem in Peloponneſum, cum eo, reliquum vitæ, conſumſit priuatus. Iohannes regno potitus, Italiam adiit cõparaturus auxilia, ſed contumeliosè acceptus, ac tractatus, cum rediiſſet Byzãtium, & vrgeretur inſuper bellis Bulgaricis, & Scruianis, ita amicitiam iniit, ac fœdus cum Amurathe, vt ſe, & regnum in fidem illius traderet, promiſſo tributo, quod conſtituerat, & Theodorum natu minimum filium, obſidem dederit, qui caſtra ſequeretur.

Hæc initia fuerunt ſeruitutis triſtiſſimæ, quę Conſtantinopolitanis Imperatoribus, præter inane nomen, aliud reliquit nihil. Deinceps, ita in Turcorum fuerunt poteſtate,

vt

militare cogerentur per se, & filios, contra quos illi vellent, & ad imperata præsto esse; quotiescunque vocarentur, nec capessere, aut vsurpare Imperium auderent, nisi potestatem precariò à Turcis obtinuissent, nisi vim hostilem experiri vellent.

Iohannes Imperium, dum abfuit, Andronico primogenito commendauit. Thessalonicæ Emanuelē prefecit. Andronico accusato, de crimine læsæ maiestatis, quòd, cum Amurathis filio, in cædem illius conspiraret, visum ademit, feruido aceto in oculos infuso. Theodorum Baiazetes extinctis Cātacuzenis, imposuit Peloponneso. Sed ne quidē in hac calamitate, à factiosis, & perfidis cōsiliis, ac molitionibus abstinuerunt. Andronicus enim, quanquam cęcutiens, ad Baiazetem profectus per hūc, patri regnum eripuit, & illum insuper, cum Emanuele fratre, in tetrum carcerem inclusit, vnde, tertio anno, Emanuel elapsus, fratrem rursus, Baiazetis cōsensu, exturbauit, ac cum Iohanne filio victum in curiam misit.

EMANVEL PALÆOLOGVS.

EManuel, fratre iisdem artibus excusso, quibus patrem ille summouerat, regnum obtinuit à Baiazete, his conditionibus, vt tres myriades aureorum nummorum, annuatim penderet; Philadelphiam, cuius obsidio, & oppugnatio aliquoties frustra tentata erat, traderet: iureiurando fidem Baiazeti suam obstringeret, obsides daret, & auxiliares copias Turcicis, vbicūque bellum gerēdum esset, adiungeret. Sed non fuit infidi tyranni diuturna, erga Emanuelem, beneuolentia; & animum, vt in tyrannis omnibus, calumniis patentem, atque ad suspiciones pronum, & iam ante rumusculis quibusdam nonnihil alienatū, magis incendebat Iohānes, Andronici filius, odio patrui. Itaque Byzantium obsedit Baiazetes, cāmque vi capere non posset, fame exhaurire constituit, quod perfecisset, nisi improuisa irruptione, Tāberlanis Scythæ, fuisset abstractus. Emanuel susceptur us nauigationem in Italiā ad corrogandam, in belli sumtus, pecuniam, & impellendos reges Occidētis, vt cōiunctis viribus in Turcos mouerent, Iohānem Andronici filiū, qui Baiazetis gratia exciderat, quòd colludere cum Emanuele putaretur, recōciliatis voluntatibus, regno, se absente, prefecit. Theodorus frater, in ea trepidatione, quam obtulit Græcis Byzantina obsidio, Argos vrbem, & Nauplium Venetis: Spartam Rhodiis vendidit: sed hæc ad Palæologos rediit: Argos deleuerunt Turci.

Filios Emanuel ex coniuge Turcica, vidua regis Trapezuntini, ſuſcepit ſeptem: Iohanni regnum deſtinauit, conciliatis ei nuptiis filiæ Marchionis Montisferrati: Andronico Theſſalonicam attribuit, quam ille, ſeu odio fratris Iohannis, ſeu ex deſperatione, vendidit Venetis, & in Peloponneſum profectus, fratrum beneficio Mantineam poſſedit. Incidit in elephantiaſin; & Theodorum filium commendauit Theodoro Porphyrogenito fratri, ſpe ſucceſſionis in Peloponneſo, cùm liberis Theodorus careret. Tertium Emanuëlis filium, alij Emanuelem, alij Micaelum nominant, de hoc certi nihil traditur.

Quartus Theodorus Porphyrogenitus, ex principatu Peloponneſi innotuit, quo non contentus, Amurathe arbitro, fratri Iohanni, conatu plane furiali, de Imperio iam deplorato, litem intendit. Duxit in vxorem filiam Reinerij principis Corinthi, Thebarum, & Athenarum.

Hic Reinerius Florentiæ, è familia Acciaiolorum oriundus, Atticam, Bœotiam, & Corinthum Catalanis, id eſt, Hiſpanis ademit, tunc cùm Pontificis Romani impulſu, Itali ad Græciæ direptionem, ceu ad prædam egreſſi, alij alias partes adorti eſſent, ac depopulati. Genuenſes enim Achaiã, & partem maximam Elydis, Pylum item, & Meſſanam: Veneti inſulas, & reliquam littoralem Peloponneſum, abripuerunt, in qua ſunt Methone Naupliũ, Naupactus, Pylum, Corone, Cryſſeum: Genuenſibus vero Euboeam extorſerunt: Hiſpani Phocidem, & alicuius partis Atticæ, Bœotiæ, Theſſaliæ, & Peloponneſi dominium conſeruarunt. Mediterranea Peloponneſi, Palæologi retinuerunt. Neapolitani, duce Carolo, è familia Beneuẽtana, Tochiorum, Acarnaniæ, & Ætoliæ partem, & Cephaleniam, Zacinthum, atque Echinades inſulas inuaſerunt, quas poſtea interceperunt Veneti. Nec in his occaſionibus ſibi defuerunt Bulgarorum, & Seruiorum proceres, in Epiro, Macedonia, Ætolia, & Theſſalia, ne quid ad fatalem ruinam, & interitum Græciæ, vlla in parte deeſſet. Sed nulli diu his Imperiis gauiſi ſunt, vt dicetur.

Reinerius iuncta cum Liguribus affinitate, qui Euboeam tenebant, Philippi Auriæ filiam duxit in vxorem. Ex hac filias ſuſcepit, quarum vnam Theodoro Palæologo, alteram Carolo Acarnano, deſpondit. Habuit & filium nothũ, Antonium, cui Bœotiã tradidit, cum vrbe Thebana. Corinthum Theodoro genero, dotis loco conceſſit. Athenarum vrbem Venetis reliquit, quam paulo poſt, Antonius filius

lius bello ab illis recepit; hic duxit in vxorem priuati ciuis Thebani viduam, & filiam adoptiuam elocauit Galeoto Malateſtæ, Ariminenſi, Æginæ domino. Antonio mortuo, vidua ab Amurathe impetrauit pecunia, vt principatum relinqueret Nerio Acciaiolo, quem ob cognationem, cum Antonio fratre, maritus euocarat, è Florentia, in ſpem ſucceſſionis.

Nerio mortuo, Mahometes rurſus viduæ, cum paruulo filio ſupplici, poſſeſſionem principatus, pecunia vendidit. Hæc poſtea exarſit amore Veneti mercatoris, qui filius erat Petri Palinerij, præſidis Nauplij, & domi vxorem habebat, cum hoc pacta eſt, ſi diuortium faciat cum vxore, ſe ipſi nupturam eſſe, & collocaturam eum in principatu: Venetus incenſus cupiditate, cõiugem domi veneno ſuſtulit, & viduam duxit. Sed cùm ſæuitiam exerceret in viros nobiles, Athenienſes pertæſi tyrannidis, accuſarunt eum apud Mahometem. Cúmque ad hunc profectus eſſet, vt pecunia, & culpam, & pœnam redimeret, Mahometes eum interfici iuſſit. Ita primum ipſe ſcelerum pœnas dedit.

Poſtea, cùm Mahometes, parui heredis cognato Antonio principatum attribuiſſet, is mulierem, quæ propter libidinem, ſpecie coniugij, vrbem in Venetum mercatorem tranſtulerat, carceri incluſam Megaris necauit. Ita & mulier diuinitùs punita eſt. Hæres, matre orbatus, cùm ſibi quoque à cognato eripi principatum videret, accuſat eum apud Mahometem, de nece matris.

Mahometes igitur videns, non eſſe finem parricidiorũ, in ea familia, mandat præſidi Theſſaliæ, vt Athenas occupet. Ita in Mahometis poteſtatem Athenæ redactę ſunt, vbi poſtea propter ciuium ſeditiones, arcem, & magnam partem vrbis, victor deleuit. Nunc tantùm ἐρείπια reliqua ſunt, caſæ piſcatorum, & colluuies peregrinorum hominum, qui ex barbaris gentibus, caſu eò confluunt. Hic eſt vrbis finis, quę, & exempla virtutum egregia habuit, & domicilium fuit doctrinarum, & res honeſtas, ac magnas, ſapienter, & fortiter geſſit, contra Perſas, & in Imperio moderatior fuit Spartanis, ac Thebanis. Súntque duo millia annorum à Solone, vſque ad hunc Mahometum, cuerſorem Athenarum.

Theodorus, inſtaurato, ex quadratis lapidibus hexamili muro, in Iſthmo, duo maria, Ionium, & Ægeum, ad ſinus duos Corinthiacum, ac Megaricum, coniunxit, atque ex ea parte, Turcis aditum, terra ad Peloponneſum, interclusit.

Demetrius, quintus Emanuelis filius, aduersus Albanos, vindicauit Peloponnesum, auxiliis Turcicis, pro quo beneficio, quindecim millia aureorum nummorum, tributi loco, Turcis annuatim soluit. Tandē dedidit sese, & Spartam Mahometi.

Thomas, sextus filius Emanuelis, capta Cōstantinopoli, & Peloponneso amissa, Romā venit, adductis secū duobus filiis, & totidem filiabus : filiorum alter Andreas, ibi ducta vulgari meretrice, in vxorem; vitam turpem, & infamē egit, alter Emanuel, ad victorem Mahometem reuersus, in carcere vitam finiit. Filiarum Helena, nupsit Lazaro Seruiæ regi: Zoë Iohanni Rossorum principi, quæ peperit Helenam, coniugem Alexandri, regis Polonorum.

Cōstantinus septimus post Iohannem fratrem, regnauit,

IOHANNES PALÆOLOGVS.

HVius nullæ commemorantur res gestæ, nec conari quicquam potuit, circunseptus vndique, atque conclusus ab hostibus, & omni exutus potentia. Inuitatus ab Eugenio Pontifice, venit in Italiam, cum celebraret Concilium Florentinum. Inde reuersus domum non diu superuixit.

CONSTANTINVS PALÆOlogus vltimus.

COnstantinus ante Imperium, sæpe fortiter, cum Turcis confligit, in Peloponneso, & Thessalia. Sed cum Amurathes Heracleam expugnasset, animo fractus, & penè in desperationem actus, ad conditiones pacis, quas victor tulisset, suppliex sese obtulit, hexameli murū, qui erat Peloponnesi propugnaculum, illius iussu, deiecit: hunc, tumultuario opere, restituerunt Veneti, sed Mahometes rursus destruxit.

Hoc Imperatore expugnata, & capta est à Mahomete, Constantinopolis, post obsidionem dierum quatuor, & quinquaginta, quarto Cal. Iunij, id est, die Maij vicesimo nono, anno Christi, millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio.

Obsidionem, tradunt, incheatam esse nonis Aprilis, & intra mœnia, præter vrbanam multitudinem, tantùm fuisse sex millia Græcorum militum, & auxiliariorum Venetorum, & Genuensium tria millia. Cōtrà Mahometes adduxerat quadringenta millia hominum, quæ multitudo maximè collecta fuit ex vicinis gentibus, quę adhuc nominabantur Christianæ, ex Grecia, Illyrico, Wallachia, Dardanis,

danis, seu Rascis; Triballis, seu Seruiis, Bulgaris, seu Mysis. Turci pauci fuerunt, Europæis fuere admixti Asiatici, ex Bithynia, Galatia, Lydia, & Cilicia. Sic nobiscum bella gerunt Turcici tyranni, vt gentes cognatas nobis, nobiscum dimicare cogant.

Oppugnationem Mahometes, terra, marique est aggressus. Terra copias ita distribuit; vt, tribus in locis, muros concusserit, ac disiecerit, & per ruinas tẽtarit irruptiones. Virtus in defensoribus egregia fuit, quorum dux, Iohannes Iustinianus Genuensis, multũ vsus consilio, & opera viri fortis, atque industria, qui nominatur, in historiis, Iohãnes Grandis Alemãnus fortiter impetus irrumpentiũ hostium sustinuit, atq; elisit. Sed, quòd copiæ exiguę essent, & tribus in locis, ad ruinas deiecti muri, atque insuper, ad portum, assidua prelia, multos milites quotidie absumerent; diu contra tantam multitudinem, sufficere non potuerunt, præsertim cùm vtrinque cuniculi acti essent, etsi in his, conatus fossorum Turcicorum, fuerunt irriti.

Adduxerat tyrãnus Turcicus, ex diuersis littoribus, maris Ægæi, & Euxini, ducenta, & quinquaginta nauigia, vt portum Byzantinum obsideret, & littora nauibus, tãquam ponte iungeret. His, in portu, oppositæ fuerunt septem Genuensium, tres Cretensium, & aliquot ex Chio naues. Fuit & portus ipse, catena ferrea clausus, ne perrumpere, & penetrare in eum classis Turcica posset. Eruperunt & propugnatores per occasionẽ, ac cum Turcis fortiter præliati, classem eorum, iniecto igne, ad eum modum corruperunt, vt aliquot diebus sine vsu fuerit. Tandem tamen Turci effracto, qui obseratus erat catenis, ceu repagulis, aditu, intra portum peruaserunt. Ibi, cùm terra marique quassatis, ac prostratis muris, tyrannus spem expugnandæ vrbis concepisset, irruptiones ex potu, & aliis locis, totis viribus tentatæ sunt.

Stetit spectator tyrãnus in vicino colle, cohortatus suos, vt fortiter muros conscenderent, & vociferatus horribilĩ vlulatu, sicubi repelli eos, aut interfici vidit, minitatus etiã cedentibus. Nam & cohortes, quas, velut triarias, apud se retinuerat, summisit, quæ cedentes iugularent.

In hoc prælij feruore, etsi spes victoriæ animũ, & robur defensoribus addidit, præsertim, vbi cæsorum multitudine, exercitus Turcicos animaduerterent nonnihil turbari, tamen rursus conuersa est prelij fortuna, Iustiniano Genuensi vulnerato, qui etsi obtestaretur eum Imperator

Palæologus ne fugeret, ex ſua turri, cùm vulnus non eſſet lethale, tamen deſeruit ſtationem, nullo alio in eam ſpeculam collocato, fractus animo potius, quàm vulnere. Fugam ducis ſequuti milites, ſpeculam nudarunt. Hoc animaduerſo, Turci, magno agmine, in ea loca infuſi, vrbem occuparunt.

Iuſtinianus in vicinam Peram euaſit, vnde poſtea, in vicinum Chium nauigans, ſeu vulnere, ſeu mœrore animi, extinctus eſt Imperator Palęologus, cum multis aliis, quibus ſpes vitæ in fuga erat, ſi ex vrbe effugiſsēt, in ipſa porta, vel trucidatus, vel colliſione multitudinis, conculcatus eſt. Nam in porta octingenta cadauera reperta ſunt.

Victores Turci graſſati per vrbem, & obuios quoſque, & abditos in ædibus ſenes, matronas, virgines, puberes, & impuberes crudeliſſimè trucidarunt. Raptæ ſunt matronæ nobiles & virgines ad ſtupra: quæſita eſt prædain omniū ædibus, & templis, quam Mahometes, ſi vrbs caperetur, militibus tribuerat. In templis, picturę Chriſti contumeliis affectæ, & omnia in vrbe, toto triduo, ſcelera commiſſa ſunt, quę gens barbarica, impia, libidinoſa, obſcœna, auara, & crudelis, in capta vrbe regia, opulenta, & ornatiſſima, audere potuit.

Poſt triduum, Mahometes vrbē ingreſſus, tumultus ſedauit, & inquiſitos proceres aliquot, qui adhuc reliqui erant, diſſecari iuſſit. Narrant & in conuiuiis Turcicis, honeſtas matronas, & virgines, etiam ex regia familia, poſt alias contumelias, per ludum in fruſta conciſas eſſe.

Talem, cùm vrbium omnium regina, in toto genere humano, experta ſit ſæuitiam, obſcœniſſimorum, & crudeliſſimorum latronum: exemplo moueamur, vt cogitemus de pœnis, quæ aliis gentibus, & vrbibus impendent, ac metuentes iudicium Dei, exuſcitemus nos, ad veram Dei inuocationem, ac petamus aſſiduis gemitibus, vt Deus, propter Filium, & ſeruet inter nos Eccleſiam, & mitiget pœnas. Nec tātùm pœnæ exemplum intueamur: ſed & de antegreſſis principum, ac gentis Græcæ peccatis, cogitemus, & petulantiam vſurpatam in lacerando regno, diſcordiis, ac bellis ciuilibus, conſideremus: & moti exitu triſtiſſimo, viuamus modeſtiùs, foueamus, ac tueamur concordiam, nec diffidentia, ambitione, cupiditate vindictæ, aut pleonexia, turbemus tranquillitatem communem, ne diuulſis nobis, & laniena mutua, vel præconſumtis, vel attritis, accidat, quod euenit Genti Græcæ.

Sunt

Sunt autem à Xerxis fuga, vſque ad L. Septimium Seuerum, qui Byzantium triennio obſeſſum, tandem fame expugnauit, atque euertit, anni ſexcenti, ſeptuaginta quatuor, quibus annis floruit vrbs.

Conſtantinus Magnus, circiter annum, poſtquam deuaſtata fuit à Seuero, centeſimum ſextum, eam reſtituit, & ornauit: inde, vſque ad hoc excidium, ſunt anni mille, centũ viginti vnus. Interea, etſi domeſticis, & externis bellis interdum quaſſata eſt, & principes habuit diſſimiles, manſit tamen, & arx Imperij Orientis, & præcipua doctrinarum ſedes, & hoſpitium Eccleſiæ, ſed aliis magis, aliàs minus puræ. Nunc, deletis Eccleſiis, bibliothecis; & ſtudiis doctrinarum, ſublatis ordinum gradibus, Senatu, & magiſtratibus, & extinctis, vel oppreſſis nobilibus familiis, arx eſt blaſphemiæ Mahometicæ, & ſtabulum Turcicorum latronum, qui doctrinas, honeſtam diſciplinam, leges, cõiugiorum fœdus, caſtitatis decus, furenter contemnunt, & nullis ciuilia ornamenta magnificiunt. Tantùm ardent infinita cupiditate dominationis, quam tamen nihil aliud intelligunt, niſi facere vaſtitatem in genere humano.

Accidit vrbi idem, quod, oraculi verſu, Macedonibus ſignificatum fuit, vt Conſtantini nomen vrbi fatale, & Conſtantinus imperans ἐγκαθήκῃ πόλιν eſſet. Ambitum vrbis eſſe tradunt centum, & vndecim ſtadiorum, id eſt, milliarium Germanicorum trium & dimidij.

DE REBVS TVRCICIS.

QVibus initiis, occaſionibus, & ſucceſſibus, & quo tempore Turci primùm, in Aſia, vires acquiſiuerint, ac regnum conſtituerint, & quomodo, cùm vni ſubiecti eſſent vniuerſi, tanquam regi, cæteri proceres tamen, huic principatu, per cædem, abrogato, & copiis, quaſi per turmas diuiſis, ampliſſimas regiones inter ſe diuiſerint, & quod Tartari rurſus, hos oppreſſos, inque anguſtum coactos, graiiter afflixerint: ſupra oſtendi. Quanquam autem hæc procella irruptionis Tartaricæ, remorata fuit nonnihil, ac retardauit progreſſus Turcicos, à tergo, apud eos, qui ab Europa longiùs ad Perſidem, & Caucaſeos montes habitarunt, anteriores tamen, & Helleſponto viciniores, nullis vnquam occaſionibus, imbelles Aſiæ populos infeſtare, & Conſtantinopolitanas vires, iam languidas antea, magis magiſque carpere, ac defatigare, deſtiterunt.

Tandem Tartarici turbinis impetu, ſponte exoluto, qui opes ſuas, illos conferre in vnum, atque conſentire coi-

gerat, cùm fuissent antea, ex potentiæ æmulatione, discordes: tunc ergo ita vires pristinas, animósque pristinos receperunt, vt non tantùm prouincias priores, fœliciſſimo, accelerrimo progressu, recuperarint, sed plures Byzantinis Imperatoribus ademptas, aequisiuerint, & vniuersas, ceu in Tetrarchias diuiserint, quibus singuli, potestate regia, imperarent.

Caramanno Alismeio obuenerunt pleraque mediterranea Phrygię, ad Philadelphiam vsque, & Antiochiam, quæ Meãdro adiacet. Hinc quicquid ad Smyrnam vsque, & interiorem Ionię oram pertinet, cessit Sarchani: Magnesiam, Prienen, & Ephesum, Saſon occupauit. Quidquid verò à Lydia, & Ætolia ad Mysiam vsque, & Hellespontum porrigitur, id Calames sibi, & filio Ceraſo, vendicauit. Quæ circa Olympum sunt, & Bithyniam omnem, Ottomannus obtinuit. Reliquam à Sangorio flumine regionem ad Paphlagoniam vsque, Amutiadę inter se sunt partiti.

Hęc partitio incidit in tempus interregni, & paucis annis anteceſſit Imperium Rodolphi in Occidente, circiter annum Christi, milleſimum, ducẽteſimum, octogeſimum. Sed cùm inter seſe dissiderent proceres, déque regnorum ac prouinciarum finibus, impunè bello contenderent, (negligebatur enim Asia, Europa occupata bellis domesticis: vtrobique in Italia, & Græcia) cæteris oppressis, extulerunt, & confirmarunt seſe quatuor præcipuæ familiæ, Assimbei, Candelori, Caramanni, Ottomanni.

Candelori Sinopem regionem, circa Pontum, Caramãni Ciliciam cùm obtinuissent, diu Ottomannicis armis restiterunt. Vtraque tamen familia, Mahometis Ottomanni, victrici dextra, regnis pulsa, confugit ad opes Assimbei, qui Cappadocum terras, & minorem Armeniam possidebat. Ex Assimbeis, natus est Vsumcassanes, qui interfecto Malaonchre, oriundo apud Parthos, ex stirpe Gempsæ magni Parthorum Sultani, cuius, in Oriente, latum Imperium ad Bactrianos, & Aracosios vsque, seſe extendebat, hoc ergo interfecto, regnum Persicum, vi, fraudéque adeptus, Ottomannis hostis formidabilis, & grauis extitit.

Cauſſa dissidiorum, inter gentes cognatas, originis morum, & linguæ eiusdem, fuit non tantùm æmulatio potentiæ, sed etiam diuersitas impiæ, ac blasphemæ religionis. Etsi enim Mahometẽ colerent vniuersi, opiniones tamen, acritus Ottomanni sequebantur, quos Halis Mahometis interpres, ac socius, scribendo, docendóque, posteris tradiderat.

ſiderat. Reliqui Homaris placita, atque decreta præferebant, à quibus illa, magna ex parte, diuerſa erant.

Eo vſque autem proceſſit hæc odiorum acerbitas, inter ipſos, iuſto in blaſphemos hoſtes Dei iudicio, vt bellorum, & cædium mutuarum finem, non fecerint, niſi poſtquam veterum Turcorum reliquiæ, radicitus extripatæ eſſent. Paucos enim origine, & ſanguine Turcos ſupereſſe dubiũ non eſt, nec fortuna tanti Imperij, niſi aſciti è Chriſtianis hominibus, traductíque ad Mahometiſmum, militis robore, & viribus conſtat. Quapropter etiam vſus patrij ſermonis pene exoleuit, & regnat Heneta lingua. Patrius ſermo, non niſi proceribus, qui è Turcorum familiis ſuperſunt, in vſu eſt.

Etſi autem diu, inter ſe, hæ familiæ certarint odiis, & armis, tyrannidem tamen, vna tandem Ottomannidorum familia obtinuit, cæteris vel deletis, vel oppreſſis. Hæc ab exiguis orſa initiis, incredibili ſucceſſuum celeritate, creuit in immenſum, & ſuo quodam fato, & quia Deus ad puniẽda omnium gentium peccata, tam late graſſari ſæuam gentem voluit, ſicut in Prophetis, multis ſeculis ante, prædictum fuit, tale futurum eſſe regnum Gog, & Magog. Sed occaſiones inuaſionum, & victoriarum tantarum cauſſæ, extiterunt à diſcordiis, ſceleribus, perfidia, ignauia, auaritia, leuitate, diffidentia omnium ordinum, orbis Chriſtiani, ſummorum, & inferiorum. Nam ex defectionibus etiam Chriſtianorum ſpontaneis, plurimum potentiæ Turcicæ acceſſit, quòd ſubinde aliqui licentiæ militaris cupidi, & moti ſucceſſibus, ab Eccleſia, ad ſectæ Mahometicæ ſocietatẽ deſciuerunt: & quia licentia, per ſeſe, hominibus grata eſt, & quia, quò ſe fortuna inclinat, eò fit & voluntatum inclinatio, & omnibus ætatibus prophani, aut ſecuri, quorum ingens eſt multitudo in Eccleſia, iudicant de religionibus, ex Imperiorum ſucceſſibus. Etenim non ſolùm propter opinionum, ſed euentuum etiam & fortunæ diſſimilitudinem, in genere humano, quæſiuerunt, & quærunt multi, ſit ne aliqua Dei eccleſia, diſtincta à cæteris gentibus, & quæ, & vbi ſit: præſertim cùm & olim maxima pars generis humani quando floruerunt, ordine, quatuor Monarchiæ, ignara fuerit eius doctrinæ, quæ Eccleſię propria eſt, & nunc Mahometica barbaries complectatur præcipuam potentiam orbis terrarum. Quomodo autem conſentaneum eſt, pauculos, & miſeros, & crebris prælijs fractos, Deo curæ eſſe? Illos vero florentes fortuna, victo-

riis, Imperiis, à Deo abiectos esse, cùm quidem fateri necesse sit, Imperia diuinitus constitui?

Quanquam igitur potentia Turcorum est, & fuit, annis amplius ducentis, maior, quàm vllius Monarchæ orbis terrarum, non tamen existimemus, dignitatem Turcici tyrãni maiorem esse: quia dignitas Imperij nõ est in illa Barbarica tyrannide, sed apud eas gentes, in quibus sonat vox doctrinæ cœlestis, & coluntur aliæ disciplinæ, necessariæ Ecclesiæ, & communi vitæ: vbi leges diuinæ, & ex his extructæ aliæ honestæ leges, vigent, & regnant: vbi iudicia legitima exercentur, & virtuti habetur honos, ac tribuuntur præmia: scelera, voce diuina, prohibita, & pœnis publicis iudicij diuini vindicata, puniuntur: vbi locus est honestis congressibus hominum, & honestę familiæ conseruantur, ac iustis armis proteguntur.

Hæc apud Turcos hostes Ecclesiæ Filij Dei, & iustorum Imperiorum, non fiunt, quia doctrinas, cœtus docentium, ac discentium, honestam disciplinam, leges, societatis humanæ vincula, politias ad pietatis, & humanitatis cultum accommodatas, iudicia legitima, fœdera cõiugiorum, nobiles familias dissipãt, ac delent. Quid enim fuit aliud Turcicum Imperium hactenus, quàm aspera, crudelis, & perpetua militia, occupata in efficienda passim vastitate, delendis legibus, vrbibus, regnis, ac politiis bene constitutis, durissimo seruitutis iugo, ceruicibus captiuorũ imponendo, proferendis in infinitum limitibus dominationis, cuius adamantina vincula sunt, & fuerunt, ἀκ δύναια καὶ πεφυμία καὶ χάρις ἐγγεγραμμένη τοῦ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης, vt in iustis, & moderatis Imperiis, ἀλλὰ βίᾳ καὶ βίᾳ καὶ νεῶν πλήθους καὶ βαρβάρων μυριάδων φυλακαί. Quare, etiamsi potentia est magna, tamen, cùm nihil habeat simile illis antiquis Monarchiis, quæ deletis tyrannis, leges, & iustitiam restituerunt, & iniusta onera sunt moderatę, vix meretur Imperij nomen, pręsertim cùm & voce diuina, ante multa secula, tyrãnis illa sit damnata, quæ testimonia Deus extare voluit, ne pij, moti potentia, & successibus, deficerent à Filio Dei.

Non ergo quæramus Imperium in illa barbarie, sed grati agnoscamus ingens Dei beneficium, quod Imperij Romani rudera, nobis conseruauit, & assiduis gemitibus, ac votis petamus, ne sinat Deus Ecclesias deleri, & fieri talem barbariem, ac vastitatem, qualis est in magna parte generis humani, ac præsertim quam latè Mahometica tyrannis dominatur.

Hæc,

Hęc, de gente Turcica, poſtquam pręfatus ſum, nunc de ſingulis tyrannis pauca adiiciam, ex prolixis & cõfuſis hiſtoriis decerpta, quæ tamen, legẽtibus hiſtorias ipſas, laborem lectionis aliquantulum leuatura eſſe, confido, certè vt multi cognoſcant, reipublicę intereſſe iudico.

Optarim & principes ipſos, cùm in inquirendis hiſtoriis Turcicis diligentiores, tum in defenſione patriæ coniunctiores, & acriores eſſe, ac, ſi magis noſſent eam gentem, & formam Imperij ipſorum, & exempla ſæuitiæ, & militiæ genus, & pręliandi cõſuetudinem, magnitudo rerum, excitaret generoſos animos, ad maiorem curam defendendi patriam, Eccleſiam, leges, familias nobiles, honeſtas politias, diſciplinam, doctrinas. Quanquem enim, per ſe, bella etiam iuſtiſſima, ac mitiſſima, quid ſunt aliud, quàm tragicæ, & triſtes pœnæ, quæ nõ in ſingulos, ſed vniuerſos, in familias totas, magnas, & paruas, reſpublicas, leges, iudicia, horribiliter graſſantur? Τύραννος, νόμος ὁ βασιλεύς tamẽ Turcica longè ſunt triſtiora, quibus infinita, & perpetua efficitur vaſtitas in omnibus rebus. Et qualis ſit gubernatio Turcica, nomen, & euentus oſtendunt. Turca enim vaſtatorem ſignificat, & res oſtendit, partem terræ, quæ vrbes habuit plenas artium, Eccleſiarum, & aliorum ornamentorum, ita vaſtatam eſſe à Turcis, vt nunc barbarica ſolitudo ſit, ſine luce doctrinæ, ſine legibus, ſine iudiciis, ſine ordine vitæ.

OTTOMANNVS.

INter nobiliores Scythici ſanguinis familias, & vetuſtatis dignitate pares, quæ religionis ſimilitudine, & fœderibus ſeſe, aduerſus finitimos, ſuæ gentis, & alienos, cõiunxerunt, celebrantur Eureneſij ſeu Ebrenes, Thuracambi, ſeu Turacani, Michalogli, Malcocij, & Ogucij. Ex Oguciis, Orthogules pater, & Ottomannus huius filius, audacibus conatibus, & armis penè inuictis, tantum gloriæ, authoritatis, & potentiæ, præ omnibus aliis, conſequuti ſunt, vt cæteris citra inuidiam, & contentionem, principatu cedentibus, ſoli deinceps imperarint,

Traditur adhuc, harum familiarũ poſteritas, apud Turcos reliqua eſſe, & in honore haberi: ſed non admitti neque ad purpuratorum dignitatem, neque ad poteſtatem magiſtri equitum, ne ſcilicet, immodica virium freti potentia, ad Imperium aſpirent. Opulentiores tamen eſſe exiſtimantur cæteris, & prærogatiuis peculiaribus ornantur. Reditus magnos ex re pecuaria, fundis, & perpetuis

ſtipendiis,percipiunt. Nam his agros poſſidere cõceditur, cùm reliquis,ex Chriſtiano ſanguine,oriundis,ſiue militię adſcripti, ſerui ſint,ſiue incolę, liberi, non liceat alios habere fundos , quàm quos à principe, agrorum domino,ad annuum vectigal,impetrarunt.

Peculiariter autem Michalogli,in militia,voluntariis equitibus præficiuntur,quos Acanzes ſua lingua vocant,id eſt,anteuerſores , & plerunque centum millium equitum numerum implent. Reliquis commendantur præfecturæ: cúmque ex Aſiaticis,digniores , Imperatorum filiis deſtinentur:ſicut Amaſiæ,in Cappadocia , Iconij,in Lycaonia, Magneſiæ,in Ionia:ex Europæis,Peloponneſiaca,quęMorea dicitur, Turacanis:Boſnenſis, in Illyrico,Malcociis:Ebrenibus Samandrica,in Triballis attribuitur..

Primus autem Ottomannus , & regiam dignitatem, & Ottomannorum cognomentum , in familia Oguciorum, adduxit , quod ipſe nomen ſortitus eſſe creditur , à tenui Galatię oppido, Ottomanzicum hodie vocatur, & à Pruſia Bithyniæ metropoli , verſus Trapezuntum , diſtat ſex dierum itinere.

Sedem hic habuiſſe traditur,iuxta Myſiam,in vico Iteę, diſtante octo milliaribus à Ponto , quem vicum Soguta, patrio nomine vocant.Inde profectus , cùm Imperium Aſiæ,ingenti ſpiritu, ſibi deſpondiſſet, plurima munita loca Ponti,in deditionem accepit.

Sed cæteras victorias illuſtrarunt , edomitæ clariſſimæ vrbes Aſiæ, Natolia,& Ancyra in Phrygia:Sinope in Galatia, celebris ortu,ac ſepultura Mithridatis:& Sebaſtia Cappadociæ,quæ hodie Siua eſt. His ſucceſſibus,terrorem ingentem,& cognatæ gentis principib.& Gręcis intulit:Pruſiam,ab hoc etiá Bithyniæ metropolin, & Aſiatici Imperij caput, ad Olympum montem, fame expugnatam eſſe,aliqui referunt,quod Orchani filio,& alij tribuunt.

Græci tunc Natoliam vocabant , voce corrupta, ἀνατολὴς quicquid in Aſia, Græco Imperio ſubiectum vergebat in ortum:in Europa,circumiectam Conſtantinopoli Thraciam appellabant Romaniam,inde,quòd Conſtantinopolis Νέα ῥώμη, inſtituto fundatoris, ſeu potius inſtauratoris,diceretur.

Natoliam,ante Ottomannum, verſus Pontum,& Cappadociam,à prouinciis Turcicis,dirimebat Sangarius fluuius:verſus inferiorem Aſiam, Phrygia,Lycia,& Meander fluuius.Sed limites hos citò ſuperauit Ottomānus, Natoliæ

liæ tamen, & Romaniæ appellationes, Turci etiam retinuerunt, debellata iam Asia & Thracia.

Initia tyrannidis Ottomannicæ, collocantur in annum Christi, millesimum, trecẽtesimum. Ottomannum ipsum, cùm bellis assiduis, per annos octo, & viginti, potẽtiã auxisset, ac stabiliuisset, anno Christi, millesimo, trecentesimo, vicesimo septimo, fato functum tradunt, cùm non ita multò ante octo millia Turcorum, in Europam, transmisso ad Chersonesum Hellesponto, hostilibus animis, irrupissent, ducibus Meleco, & Hali: qui, vt dixi, initio Catalanis coniuncti: deinceps, cum sese præda opima ditassent, ab iisdem rursus discesserunt, & diuisi inter se quoque, alij ad Triballos sese contulerunt, alij impetrata facultate redeundi in Asiam, Chersonesum occuparunt: sed à Græcis inde rursus expulsi sunt.

Filios reliquit tres, quorũ minimus natu Orchanes, occupatis militum animis, regnum obtinuit, cæsis reliquis duobus, qui inter se quoque discordes erant.

ORCHANES.

DE tyrannide impatiente consortis, Plutarchus inquit, quod sicut geometræ αἰτήματα postulant: sic tyrannis sit concessum αἴτημα, καὶ αἰρεῖν τὰς ἀδελφὰς ὑπὲρ ἀσφαλείας. De ingeniis, & natura tyrannorum, idem inquit, quòd animam habeant conflatam ἐξ ἀπελγείας καὶ ὠμότητος. De affectione eorundem, erga respublicas, Demosthenes ait: ἐπὶ τὸν ἅπαντος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερία, καὶ νόμοις ἐναντίος. Harum regularum exẽpla, in sequentibus historiis Turcicis, considerabimus: cúmque bonorum, & salutarium principum omnis vita priuata, & publica, congruere debeat ad decalogum, quia νόμος ἔμψυχος ὁ ἄρχων: in his tyrannis Turcicis, cùm non congruat, quomodo, à decalogo, in infinitum discrepet, expendamus.

Nec propterea boni, prudentes, iusti, moderati, magnanimi, fortes prædicentur, si quid præstiterunt, his virtutibus, aliqua specie, simile. Bonus enim, sapiens, & iustus princeps is est, qui studium habet rectè, & iustè faciendi, & vt plurimùm rectè, & iustè facit: etiãsi quandoque labitur, & impingit, humana imbecillitate. Tales illi non fuerunt: sed è conuerso, astuti, subdoli, iniusti, ad immanitatẽ vsque sæui, audaces, ὑπερβολικοὶ, parricidæ, hostes legum ac disciplinæ honestæ. Discernantur itaque hæc in tyrannis illis, hyperbolica vitia, à veris virtutibus. Nunc ad Orchanem accedo.

Filiorum Ottomanni natu minimus, tyrannidem, cæsis fratribus, adeptus est. Hic acumine, & ferocia expediti ingenij, elati animi fastu, calliditate, & promptitudine consiliorum & victoriarum cursu, patri nulla in re inferior, liberalitate illum, & comitate superauit, qua, & militum animos sibi mirificè deuinxit, & ingentem multitudinem hominum cupidorum licẽtię militaris, ad se pellexit. Mysia enim, Lydia, Lycaonia, Phrygia, & Caria subactis, limites noui regni, ad Hellespontum vsque, & Euxini littora propagauit. Prusiam, vetustam sedem regum Bithyniæ: Niceam item, & Nicomediã expugnauit: Andronicis, auo, & nepote primum, deinde & Cantacuzeno, & Palæologo, in Europa, ciuili, inter se, bello implicitis: sed Cantacuzeno plus fauit. Huius eum filiam pro vxore habuisse, & auxilia ei contra Palęologum, & Triballos, duce Solimanno filio, misisse, Græcæ historiæ memorant. Alij filiam Caramanni Turci, qui Ciliciæ imperabat, nuptam illi fuisse tradũt, cui, ob potentię æmulationem, bellum mouenti, bonam regni partem ademit, filio insuper in acie iugulato.

De interitu Orchanis, dissimiles narrantur opiniones. Alij in oppugnatione Prusię, sagitta ictum, cùm spiculum humeti ossibus infixum, sine vitæ discrimine, reuelli nequiuisset: ex febre inde oborta, & sanie mortifera interisse, perhibent: alij conflictu, cum Tartaris, occubuisse, amissa exercitus bona parte, tradunt, cùm rebus Turcicis præfuisset annos duos, & viginti: anno Christi, millesimo, trecentesimo, quadragesimo nono.

AMVRATHES PRIMVS.

GRæci scriptores, Orchani duos tribuunt filios, Solimannum, & Amurathen: quæque nostri, ab Amurathe gesta, memorant, horum pleraque illi, Solimanno ascribunt, qui Amurathen, in Imperio, antecessit: & cum in Europa vitam finiisset, sepeliri in Chersoneso Isthmo voluit, prope filium, quem in hac expeditione amiserat, & ibidem terrę mandauerat.

In Amurathen referunt domestica bella, cum suę gentis principibus, & præcipuè cum Caramanno Cilice, post oppressas molitiones filij Sauis, qui in patrem conspirarat, cum Palęologi filio. Sed quomodocunque sese res habeat, id, quod referam, accidisse, & Amurathen, in Europa bellum gerentem, obtrunc[illegible]tum esse, constat.

Natæ inter Imperatorẽ Palæologum, & proceres Gręcię, discordię, quę in bellum ciuile exarserunt, coëgerunt [illegible] a-

lęologum

leologum, cùm viribus esset impar iis, qui subnixi opibus & auxiliis Bulgaricis, rebellarant, fœdere, & amicitia iũcta cum Turcico tyranno, siue is Solimannus fuerit, siue Amurathes, auxilia, iure fœderis, postulare. Huius belli sociętas, occasionem præbuit Turcis, traiiciendi in Europã, ipsi Gręciæ, & multis vicinis terris exitialem. Inde enim initium extitit, & ruinæ Imperij Constantinopolitani, & nostrorum vulnerum.

Factiosos Græciæ principes, instruebat Marcus Craiouicius, despota Mysyæ inferioris, quæ Bulgaria est. Amurathes duodecim millia delectorum Turcorum, in Gręciam, summa voluntate traiecit, vt qui iam dudum occasiones captarat, experiundi vires Græcas, & rationem belli explorandi: his, Palæologus maturè repressit audaces & seditiosos conatus Marci, ac cæterorum. Bello confecto, remissis septem millibus in Asiam, facile impetrauit, vt reliquos apud se, præsidij caussa, retineret. Nec ita multo post, seu Solimannus, seu Amurathes, captus, ex suorum commendatione, vbertate, atque amœnitate soli, & summis inuitatus occasionibus, obtinendæ regionis opulentæ, cum sexaginta millibus Turcorum, transiit in Europam, tanquam socius vel inuiti Cæsaris, ad reliquias belli persequendas, & pœnas expetendas ab iis, qui à Palæologo defeciissent. Is traiiciendi prætextus fuit.

Traduxerunt copias, duæ Ligurum onerariæ naues, accepto in singula militum capita, aureo nummo, anno Christi, millesimo, trecentesimo, sexagesimo tertio.

Hæ copię, mox Callipolin, in Chersoneso, & aliquot vicina Hellesponti oppida, vi expugnarunt, moxque, viribus confirmatis, & aditu ad Hellespontum præmunito, naues etiam construxerunt, quibus & supplementa exercitui, & res necessarias alias, ex Asia in Græciam transportarent, quoties opus esset. Arce belli constituta, mox, assiduis excursionibus, Thraciam peruagatæ, Philippopolin occuparunt; & quæ supra Hebrum est, Adrianopolin, ex ruinis Orestiadis instauratam; frustra Palæologo, initum cum infido hoste, fœdus, & res perditas, deplorante. Inde conuersæ in Marcum Bulgariæ, & Lazarum Seruię, in Mysia superiore, & Triballorum regione, despotas, & aliquot Albaniæ in Dalmatia, & Epiro proceres, qui vires coniunxerant: hos, quanquam victoris, ac successu hostium, consternatos, aperto tamen marte, congredi ausos, fuderunt, ac deleuerunt, Lazarus, eo prælio captus, vitam in carcere

finiit, cuius indignam necem, seruus, natione Triballus, eius olim cliens, vindicare ingenti animo ausus, quanquam se sciret certam mortem adire, Amurathen tamen, pugione transfodit.

Præfuit Amurathes rebus Turcicis, annis viginti tribus. Petiit anno Christi, millesimo, trecentesimo, septuagesimo secundo. Vir nequaquam, maiorum exemplo, vel animò ferox, vel manu promptus; sed bello, & pace simulator egregius: qui, εἰς μεσίδα ἀφετῆς καὶ δεινότητος τὸ ψεύσασθαι πιθανὸς, vt de Mario dicitur, religionem iurisiurandi, & fœderum, circumscribebat, & metiebatur ex occasionibus proferendi Imperij; nusquam, si qua sese obtulisset augendæ potentiæ opportunitas, firma fide, aut incolumi iuramento. Filios reliquit Iaccupum, quem Solimannum nostri nominant, & Baiazeten. Tertium Saueen, propter structas, regni caussa, insidias, excæcauit. Nunc ad Imperatores Occidentis redeo.

IMPERATORES OCCIDENTIS.

LVDOVICVS BAVARVS, CVI fuit oppositus, aliquorum suffragiis, Fridericus Austriacus, Alberti filius.

Post Henrici septimi mortem, Occidens, in mensem decimum quartum vsque, interregnum habuit. Prorogata enim fuit consultatio, de successore, in annum quartum decimum, supra millesimum, trecentesimũ. Moræ caussam attulit, duorum principũ, Ludouici Bauari, & Friderici Austriaci, æmula, de Imperio, concertatio inter sese; vtroque, magno conatu, in id incumbente; vt priusquam ad solennem deliberationem ventum esset, traduceret in suas partes, principes Electores; & alterum suffragiorũ multitudine superatum, repelleret. Ex hoc ambitu, cùm Electores & præoccupatos attulissent animos, & sese disiunxissent sententiis, bellum ciuile ortum est.

Anno itaque millesimo, trecentesimo, quarto decimo, ardente cometa, & minitante venturas clades, mense Octobri, Moguntinus, Treuir, frater Henrici septimi, Iohannes Bohemiæ rex, & Woldemarus marchio Brandeburgensis, elegerunt Ludouicum Bauariæ ducem. Cæteri, Colonienſis Henricus de Virnburg, Rodolphus Palatinus ad Rhenum, Ludouici frater, & Rodolphus dux Saxoniæ, opposuerunt Fridericum Austriacum. Viciſſe Bauarũ, suffragio

gio Boëmici regis, qui Friderico infensus erat, suspicio est. Nam Rodolphus Palatinus, consobrinum fratri prætulit. Erant .n. Ludouicus, & Rodolphus Palatinus nati ex amita Friderici Austriaci. Huius suffragationis, etsi, quas habuerit causas, ignoro: tamẽ quàm ægrè eã tulerit Ludouicus, pœna ostendit, quia intra biennium, post electionem patria eum expulit. Rodolphus pulsus, fugit in Angliam, vbi exul, post aliquot annos mortuus est. Coniunx eius Mechtilda, filia Adolphi Imperatoris cum filiis in Austria cõmorata est: vbi cùm in exilio mortua esset, Ludouicus, aliquanto post, fratris filios reuocauit ad se, eisque Heidelbergam: &, in agro Norico, Ambergam, cum aliquot vicinis oppidulis reddidit. Ita quod vsitatum est in ciuilibus discordiis initium belli fuit expulsio fratris.

Rodolphum Saxoniæ ducem, propter cognationem, & præstãtissimi aui Rodolphi Imperatoris memoriam, Fridericum prætulisse, consentaneum est, cùm esset consobrinus illius natus ex Hagne amita.

Woldemari marchionis suffragium, quod absens ille, per literas, tribuerat Friderico, legatum Nicolaum Boonium, dolo corrupisse referunt.

Sed, vtut sese res habeat, vicisse suffragiorum numero, Ludouicum constat: qui, mox post electionem coronatus est vsitato in loco Aquisgrani. Fridericus comitatu minore Bonnæ coronam accepit à Colonienſe. Neutro itaque cedente statim in partes duas discessit Germania. Vrbes Belgicæ & cæteræ, vsque ad Argentoratum adiunxerunt sese Ludouico & vicini principes: inter quos virtute & authoritate antecelluit Fridericus Burggrauius Noribergẽsis. Helueticæ, quæ tunc Imperio parebãt, & Rheticę, diuisæ erant. Nõnullæ Ludouico adhæserũt odio Austriacorũ principũ: quos & vicinos & amicos expertæ erant graues nimis. Cõtra has duxit exercitũ Leopoldus, frater Friderici. Cæteræ Fridericum receperunt, & inter Sueuicas, Vlma. Vterque etiam, externis auxiliis: sese confirmauit. Fridericus acciuit Vngaros: Ludouicus Iohannẽ regem Boëmorum, virum industrium & bellicosum, qui hunc, odio Austriaci magis adiuuit quam aduersarium Vngari.

Durauit discordia in annos octo, quibus variæ vices inciderunt. Dimicatum est quinquies, iustis prælijs sed exinteruallis, & inducię factæ, ac tẽtatæ sunt pacificationes, cùm honesti omnes dolerent, & principes cognatos sitire sanguinem cognatum, & cæteros pollui innumerabilibus

parricidiis. Pacificatio his conditionibus instituta fuit, vt, veteri more, Collegæ essent, pari authoritate, & vterque nomen haberet Imperatoris, & omnia edicta, omnes literæ ederentur cum approbatione, & inscriptione vtriusque; sicut M. Antoninus, & L. Verus Collegæ fuerunt; & deinde Valentinianus, & Valēs; & mox Gratianus, & Theodosius, & multi alij. Hoc æquissimum consilium, apparet à bonis, sapientibus, & doctis viris ortum esse; qui auertere dilacerationes patriæ, & mutuas ciuium lanienas, studuerunt.

Sed furiæ pontificiæ omnia pia consilia impedierunt. Pontifex Iohannes vicesimus secundus, contendit se iudicem esse huius controuersiæ: vt Luna à Sole lumen accipit, ita ordinatam esse hominum gubernationem, vt à summo Sacerdote Imperator authoritatem accipiat. Vel le Deum caput esse summum, in terris, Petri successorem; cui dictum est: Tibi dabo claues regni cælorū. Item, pasce oues meas. Hæc cùm pontificij oratores, in regū, & principum consiliis, Periclea eloquentia, impudenter detonarent, vtrique tamen assentando, & honorem, atque dignitatem à Pontifice parem vtrique deferendo, alebant dissidia, & acuebant odia.

Abiit biennium, post electionem, sine dimicatione. Cessit enim Ludouicus Leopoldo Austriaco, ad Spiram occurrenti cum instructo exercitu, quòd ad pugnam imparatior esset. Cedentem verò persequutus hostis, Bauariæ, incendiis, & direptionibus, magnas clades intulit.

Sed anno millesimo, trecentesimo, sexto decimo, Fridericus magnum exercitum, ad oppidum Sueuiæ, Esslingam, adducit, quæ, vt aliæ vrbes, infra Vlmam, Ludouico studebat. Accedit eò & Ludouicus, instructus copiis vicinorum principum, & auxiliis Boëmicis. Ibi cùm vtrique ad Neccarum acceduntaquatum, prælium, subita occasione, committitur; in quo, multis nobilibus viris, vtrinque partim captis, partim interfectis, æquo Marte discessum est. Hic conflictus dolorem sapientibus auxit, qui Cadmeam victoriam metuebant, si sæpius dimicaretur; & duces constantiores ad præliandum fecit. Itaq. Esslinga obsidione liberata, nullum magnum prælium, quadriennio, factum est.

Sed anno, millesimo, trecentesimo, & vicesimo, Fridericus Austriacus maiorem exercitum, ad Argentorati viciniam, adducit; vbi dissensio erat, inter Episcopum, & ciues. Episcopus Austriaco se adiunxerat: ciues Ludouico fauebant; qui, ne suis deesset, ducit & ipse exercitum, ad

loca

loca vicina castris hostium ; vbi, quia duces vtrinque nolebant haurire cognatum sanguinem, neutra pars ad dimicandum properabat. In his, quasi induciis, colloquuntur, etiam multi inter se, ex parte vtraque, de pace, & de coniugiis deliberant. Sed Ludouicus alienus à cruenta victoria, & mutua ciuium laniena; nec tutum existimans, temerè summam rei, vnius diei prælio committere, etsi prouocaretur, confirmatis suorum animis, Argentorato exercitum abducit, per saltum Haganoënsem, & ciuitates ad Rhenum munit præsidiis. Ita rursus biennium abiit, sine maiore prælio.

Tandem, anno millesimo, trecentesimo, vicesimo tertio, Austriacus decem millibus Vngarorum, viginti millibus Austriacorum, Bauariam inuadit, vbi, cùm castris locatis ad oppida Muldorff, & Ottingam, peregrinæ gentes agros deuastarent, oppida, & pagos diriperent, & exurerent, turbam imbellem, & inermem trucidarent, honestas mulieres, ac virgines raperent: & bellum non iam cum ciuibus, nec procul à patria, sed cum Vngaris esset, vastationem facientibus in media patria: Bauarus non cunctatur, vt antea, sed quantum potest, properat, contrahit auxilia vicina, armat suos. Accedunt ad eum Iohannes rex Boëmiæ, & Fridericus Burggrauius Noribergensis, & Henricus comes Hennebergensis, cum magnis equitum copiis, ex vicina Francia, & ora Rhenana collectis.

Austriacus expectabat fratrem Leopoldum, adducentem Rhetos, & Sueuos. Qua re animaduersa, Ludouicus magis festinabat, non eò tantùm, quia maius periculũ futurũ erat, si cũ Vngaris Rhetos, & Sueuos Leopoldus, rei militaris peritus, coniunxisset, sed etiam, quia adhuc securi, & populationibus, in terra vbere, occupati, ac hostem contemnentes, faciliùs opprimi poterant. πολλαχῆ γὰρ τὸ πάχος μᾶλλον τῆς βίας διαπεφήνεται τὰ δένδρα.

Cùm ergo venisset in conspectum hostium Ludouicus, nec cederet Austriacus, confisus Vngarico robore, opponit Ludouicus Hũgaricis legionibus, Boemicas, & equitibus Vngaricis, Fridericum Burggrauium, & Hẽnebergiũ, cum Francicis, & Rhenanis equitibus. Magna cædes vtrinque facta est, donec Vngari pulsi, & dissipati sunt. Postea equites Austriaci aliquantisper defenderunt Fridericum: sed, eo capto, reliqua multitudo equitum, & peditum dilapsa est. Fratres duo principes Austriaci, Fridericus Imperator, & Henricus capti sunt. Fridericus sese dedidisse di-

citur Burggrauio Noribergẽſi, adductus ad eum, per virũ nobilem è comitatu Burggrauij, cùm & labore prælij defatigatus, & ex equo deiectus, fuga diſperſis turmis ſuorũ equitum, fruſtra prælium inſtauraret. Leopoldus, audita fama cladis, magno cũ dolore, & ſuas copias, & reliquias, quæ ad eum confluxerunt, in loca tuta reduxit. Prælium factum eſt anno milleſimo, trecenteſimo, viceſimo tertio, anno octauo, poſt electionem vtriuſque, die penultima Septembris, quæ caſtis Angelis ſacra eſt. Quo die, annis quinquaginta ante, Rodolphus auus Imperium iniit. Hẽricus dux Auſtriæ, Iohanni regi Boëmiæ traditur.

Friderìcus triennio in cuſtodia retentus eſt, in arce vicina oppido celebri, ad Nabum fluuium, Naburg. Dimiſſum tandem ferunt, his conditionibus, vt liceret ei nomen Imperatoris, quoad viueret, ſed non ius, & poteſtatem vſurpare. Deceſſit philtro extinctus, anno milleſimo, trecenteſimo, triceſimo, decima tertia Ianuarij. Henricus frater captiuitate ſeſe exemit, reſtitutione aliquot oppidorum & arcium, in Morauia, quæ, hoc bello, Auſtriaci, Boëmis ademerant.

Leopoldus, etſi nec hoſtilem animũ depoſuit, nec quieuit: compeſci tamen facilè potuit, quòd maior pars Germaniæ, poſt victoriam, ad Ludouicum ſeſe inflexit: qui, bello confecto, id egit, vt moderatè vteretur victoria, & pacata Germania, confirmaret erga ſe beneuolentiam eorum, qui eum adiuuerant: cæteros, qui aduerſati fuerant, vt venia donatos, reciperet in gratiam. Sanciit ἀμνηστίαν omnium iniuriarum, & edicta de pace propoſuit.

Sed furiæ Pontificiæ, mox à capto Friderico, Eccleſias horribiliter diſtraxerunt. Ea calamitas maiorem dolorem & Ludouico, & omnibus viris honeſtis, attulit, quàm antea Principum bellum. Conſcientiæ enim, pontificiæ authoritatis ſpecie, in dubitationem coniiciebantur. Facit decretum Iohannes viceſimus ſecundus, qui antea vtrumque Imperatorem, ſimulato ſtudio, coluerat: in quo, Ludouico præcipit, vt deponat dignitatem. Nam victoris potentiam augeri minimè illi conducebat. Id verò niſi faceret, & ipſum, & omnes ei obtemperantes, eiicit ex Eccleſia. Incitat Fridericum Auſtriacum, vt, rupta pace, cum exercitu veniat in Italiam.

Initio obiecit Pontifex Ludouico, hęc duo crimina: Primũ, quòd Galeacio Mediolanenſi opẽ tulerit, contra Pontificios, miſſo in ſubſidium equitatu forti, & ſplendido, cuius

cuius virtute ille Guelphos, tota penè Lõgobardia eiecit. Secundùm, quòd nondum confirmatus à Pontifice ausus sit facere officia Imperatoris. Respondit initiò moderatè Ludouicus, se in electione iurasse, defensorem se fore iustitiæ. Ideò Galeacium, in caussa iusta, à se defensum esse. Deinde, eodem iuramento, se obligari, vt electus faciat officia Imperatoris. Ideò enim fieri electionem, vt certus sit defensor iustitiæ, & custos pacis, in omnibus regionibus: quarum defensio Imperatori cõmendata est, & cogi, mandato diuino, quamlibet potestatem, suo loco facere ea, quæ sunt sui officij. Nec potestatem gerendi gladij dari à Pontifice, sed à Deo, iuxta dictum: Reges gentiũ dominentur: vos non sic. Ideò affirmat, se nec posse, nec velle Imperium à Deo datum, deponere, donec Deus eum in hac militia seruire velit. Hæc responsio, si Pontifici non satisfaceret, prouocare se ad legitimam Synodum.

Hac respõsione edita, creuit contentio, his tantis disputationibus motis: Vnde sint Imperia: & quæ sit authoritas Episcoporum: quæ sit vis confirmationis Pontificiæ. Põtifex impudenter scribebat, Petro datam esse summam authoritatem: non solum in ministerio Euangelij, sed etiam in politica gubernatione. Quare nemo possit esse Imperator, nisi confirmatus à Romano Pontifice.

De hac quæstione, multa scripta, vtrinque, non solũ priuatorum hominum, qui, aut illustrare veritatem, bono cõsilio, studebant, aut Pontifici assentiebantur, sed etiam Imperatoris, & Pontificis edebantur. Pontifex Ludouicum atrocissimè damnat, ac nominat æreticum, sententia condemnationis publicata Auenioni, octauo Idus Octobris, anno millesimo, trecentesimo, vicesimo tertio.

Refutat sententiam Pontificis, & conuellit authoritatẽ, Ludouicus, grauissimis argumentis, & rationibus.

Extant scripta pro Imperatore Marsilij Patauini, Dantis Alligerij, Florentini poëtæ, Wilhelmi Occam Angli, è familia Franciscanorum, cuius fuit ea diligentia, vt quanquam Græcæ linguæ ignarus fuerit, tamen sumserit à doctis Græca testimonia. Recitat enim ad verbum sententiam Chrysostomi, quæ rectè discernit regiam potestatem, & ministerium Euangelij quod ait: Ministerium esse munus docendi doctrinam à Deo traditam, sine armis, nec esse potestatem cuiquam dandi, aut eripiendi Imperia, aut condendi leges, de politica gubernatione. Rectè dicit ad Pontificem, vt dixit è conuerso ad Constantinum Im-

peratorem,in Synodo, Leontius Lydorum Episcopus: ἐπεὶ ἐκ διέπειν ταχθεὶς ἑτέροις ὅπλοις χρᾶς.

Hoc dissidium durauit annos quatuor, & viginti, post Austriacum captum. Tam longo tempore, acciderunt,& crebræ voluntatum mutationes,& cùm alibi pōtificia au- 5
thoritas anteferretur Imperatori,& alibi defenderetur Imperator , dubitatio moderatos homines duriter cruciauit: & accedebāt seditiones,& latrocinia, quæ minus compesci poterant,cùm authoritas Imperatoris labefactata esset. Inter hos tumultus, tamē vtcunque,& Imperij fastigium 10
Ludouicus retinuit,& pacem in Germania defendit.

Leopoldus Austriacus,cùm passim excitaret tumultus, nec tamen Ludouico par esset, tandem mota mente, Argentorati extinctus est. Ita Deus acerrimos hostes Ludouici,singularibus exemplis,repressit. 15

Quarto igitur anno,post victoriam,Ludouicus in Italiā proficiscitur. Creuerat in Italia, ab Henrici Imperio,potentia Gibellinæ factionis: cuius caput erant Vicecomites Mediolanēses,fratres quinque,Galeacius, Iohannes,Marcus,Luchinus,& Stephanus,Matthęi Magni filijs: quibus, 20
Galeacius recèns & Placentiam , Alberto Scoto , vetere patris proditore,armis ejecto,captóque,suæ ditionis fecerat,& Iacobo Catalcaboue,Cremonensium tyranno , ad Bardum vicum,acie profligato,trucidatóque,Cremonam ferro,famēque subegerat. Marcus,aduersus Robertum re- 25
gem Neapolitanum,rem gerebat.Luchinus magistrum equitum Roberti regis, ad Tenari pontem,commisso prælio interfecerat.

His de causis,Pontifex,Robertus rex, & Florentini,qui à Castruccio Galeaciorum amico , exagitabantur, renoua- 30
tis inter se fœderibus,vt accisas in Hetruria,Guelphorum vires,& nūc,in Cisalpina Gallia, latè profligatas instaurarent,noua comparārunt præsidia è Narbonensi prouincia, Burgundis,Allobrogibus,atque Heluetiis. Quin & ipsum Fridericum Austriacum, vt dixi, permouerunt ad belli so- 35
cietatem,à quo præmissus frater Henricus , iam Brixiam vsque peruenerat. Sed Fridericus,proceribus Austriæ monentibus , ne violaret fidem datam Ludouico, mox eum reuocauit. Ex Gallia verò Philippum Valesium , qui postea rex fuit,euocarunt. Coēgerunt & suas, quantas potuerunt,copias. Contrà tantos coniurantium hostium exercitus, cùm sibi opus fore præsidio maiore,Vicecomites cernerent, Ludouico persuaserant , multis precibus,vt accelleraret

geleraret iter in Italiam.

Summa rerum Mediolani erat penes Galeacium, vt natu maximum. Hunc, cùm ferre dominum non posset frater Marcus, obuiam progressus Imperatori, Veronam vsque, Galeacium atrociter, apud eum calumniatur, quasi Mediolani, sublata libertate, & propinquis, amicisque veteribus planè contemtis, impotenter, ac superbè solus regnaret. Imperator, dilata cognitione caussæ, ac disceptatione inter fratres, Marcum, ceu ducem, Comum sequutus, inde, per Modoëciam, Mediolanum peruenit. Vbi Galeacij consilio, qui ab eo Comi discesserat, splendore regio exceptus, & Calendis demum Iuniis, in templo diui Ambrosij, ferreo diademate coronatus est, tradente insignia Guidone Tarlato Aretinorum antistite, qui in Italia Gibellinarum partium principem agebat.

Intereat & Canis scaliger, qui mille equites Galeatos, & delectorum peditum aliquot cohortes, ad ornandum Cæsaris comitatum, adduxerat. Huius & Marci, de quo dixi fratris Galeacij, accusationibus, & quod pollicerentur Mediolanenses se, quantam oporteret pecuniam ad persoluenda stipendia militibus, præbituros si rempub. in libertatem restitueret: denique, quòd captis Galeacij tabellariis, literæ repertæ essent, concepti cum Pontifice fœderis, indices. His causis ergo Imperator incensus, Galeacium cum Luchino Iohãne que fratribus, & Actio filio ac Guidone Tarlato, Modoëciæ dum custodiq; tradidit, creatisque viris viginti quatuor è singulis tribubus, regendæ reipub. & Guilielmo Monfortio, cum delecta Germanorum manu rerum summæ, publicóque consilio, ac tutelæ vrbis præposito discessit in Hetruriam: vbi cum pacem passim in vrbibus restituisset, & Castruccium, ob strenuè propugnatas partes Gibellinas, Pistorensium, Lucensium & Lunensium ducem creasset, Romam profectus, primò Cardinalium, & Episcoporũ cœtui, deinde Senatui, in quo cõsessus fuit virorum præstantium, ex familiis Columnienti, & Sabella, expositis iniurijs, quibus affectus erãt à Iohanne vicesimo secundo.

Nec prius coronari voluit, quàm intellexisset, eos probare & cauisum suam & voluntatem erga remp. séque ostendebat iudicium illis permittere, quos iudicaret tanquam Synodum esse, quia eruditione, virtute, & sapientia excellerent, & ipsorum sententias se piè secuturum esse. Affirmabat, se constanter amplecti, doctrinam catholicæ

Ecclesiæ Dei, & se maximè semper optasse, & optare communem concordiam.

Ad hæc, & Ecclesiasticum collegium, & Senatus responderunt, se quoque iudicare, Iohannem vicesimum secundum non recte feciſſe, quod ſine Synodo, & ſine legitima cognitione, in re tãta, & decreta fecerit, & ea ſit exequutus fulmine anathematis, cúmque ſcirent eum alienum eſſe à falſis opinionibus, velle ſe, cum ipſo, coniunctos eſſe.

Docti etiam addiderunt, manifeſtè falſum eſſe, Petro traditam eſſe ſummam poteſtatem politicam. Nec Carolum, propter authoritatem pontificiam, dici Imperatorem voluiſſe: ſed quia iam Italiam, Germaniam, & Galliam tenebat, reipſa Occidentis Imperium eum tenuiſſe. Et titulum tamen non voluiſſe admittere, niſi tranſactione facta cum iis, qui cò vſque titulum geſſerant. Deus Imperia ſtabilit, & transfert, vt ſcriptum eſt. Nec tranſlatio illa mandata eſt Petro. Denique etiamſi pontificiam confirmationem accedere velint Pontifices, tamen debeant habere iuſtas cauſſas, ſi hanc deneget.

Hac tota cõtrouerſia ſapiẽter diſputata, fiunt Senatuſcõſulta, & ab Eccleſiaſtico collegio, & a Senatu, vt coronẽtur Ludouicus & Margareta eius coniux, quę Phryſię, & Hollãdiæ domina fuit. Ita, die ſeptimo decimo Ianuarij, anni, milleſimi, trecenteſimi, viceſimi octaui, facta eſt coronatio, ritu ſolenni in Vaticano, tradẽte diadema Stephano Colũnio, qui & Princeps, & Cardinalis erat, excellens virtute.

Poſtea Romæ creauit Pontificem, Petrum Coruarium natum in agro Rheatino. Hunc è cœnobio Franciſcanæ familiæ eductum, pontificiáque tiara exornatum, Nicolaũ quartum appellauit, contra deſertorem ſedis Romanæ, & turpiter profugum Iohannem viceſimum ſecundum: qui conſcius ſibi, iniuſtæ, ac ſceleratæ tyrrannidis, relicta vrbe, Auenionem ſeceſſerat.

Hic rurſus diſputatum eſt: An ad Imperatorem ius pertineat adimendi dignitatẽ Pontifici, & alium cõſtituendi, & quo ordine hoc fieri debeat. Sicut Otto primus, Pontifici, cognita cauſſa, in Synodo, dignitatem ademit. Nec dubiũ eſt, Eccleſiam debere adimere munus docendi, falſa defendenti, idque ordine faciendum eſt, cauſſa cognita.

Sed Ludouicum præſtiterat fuiſſe contentum, iudiciis ſapientum, de iis, quæ ante egerat, præſertim cùm nouum Pontificẽ non eſſet defenſurus. Miſer ille Nicolaus, mox à diſceſſu Ludouici, Auenionem miſſus, in carcere vitam finiit.

niit. Sed animi irritati contumeliis, difficulter frenare iram, & vindictæ cupiditatem possunt, præsertim donec fortuna est indulgentior.

Nec deinceps Ludouicus vel in Italia, vel in Germania aliquid memoria dignum gessit, vtrobique impeditus aduersis, & insidiosis molitionibus Pontificum, quorum instinctu, plurimi ab eo deficiebant. In Italia, vt se muniret firmiore fide, & studio Gibellinorum, quem, in carcerem detrusis Vicecomitibus, offenderat Castrutium, accumulatis honoribus, Senatorem vrbis, Comitem Lateranum. & Cæsareæ aquilæ vexilliferum creauit. Vicecomitibus carcere eductis, & ad se accersitis Pisas, Castrutio intercedente, concessit, vt patriæ præsides vicarij essent, & appellarentur, pro quo beneficio, pecuniam illi promiserunt, ad summam quindecim myriadum.

Sed cùm, Italorum studiis mutatis, sui exercitus viribus, Saxonum, Cattorúmque defectione, accisis, belli sumtibus exhaustis, & Roma recepta à copiis Roberti Neapolitani, quem, si cursum indulgentis fortunæ secutus, processisset, facile inter initia oppressisset: Cùm ergo fidum nihil, tutúmve, vlla in parte, experiretur, magisque insidias fraudulentas, & venena, quàm virtutem inimicorum, aut vim manifestam metuere cogeretur, rediit in Germaniam, & cõuocatis Francofurtum principibus, cùm repetiuisset eadem, quæ apud Purpuratorum collegium, & Senatum Romanum testatus erat, contra Pontificum tyrannidem, de sua in Christiana religione, sinceritate, & fide erga remp. confirmauit eos, ne propter iniustas calumnias Põtificum, discederent à fide, & obedientia.

Ibidem Reinoldum Geldriæ, Wilhelmum Iuliaci comites, illum ducem, hunc marchionem, Imperij creauit, anno millesimo, trecentesimo vicesimo nono.

Etsi autem summè conatus est placare rabiem Pontificum, & qui Iohanni successit, Benedictus vndecimus, voluit videri æquior esse Ludouico, propter noua quędam, & tumultus atroces paritura postulata regis Francici, qui se Vicarium Italiæ volebat constitui, Pontificia authoritate: tamen, cur non posset eum eximere vinculis anathematis, prohiberi se, simulauit, regum Galliæ, & Neapolitani aduersationibus.

Fuit itaque, postremis annis, infelix multis modis, & nominibus. Turbabatur enim, & distrahebatur animo, exagitationibus Pontificum. Animi ægritudo, ad consilia eum

ducebat aberrantia. Errores in consiliis, vt fit, mutabant fortunam. Infeliciter implicuit se discordiæ duorum regũ, Philippi Valesij, & Eduardi Angli, quorum ille, tribus regibus fratribus, Ludouico, Philippo, & Carolo extinctis, sine masculo hærede, quorum patruelis erat, regnum Franciæ inuaserat, lege Salica: Hic contrà, ad se pertinere contendebat, propter matrem Isabellam.

Ex hac discordia, longum, difficile, & atrox bellum natum est, in quo, rex vterque, Imperatorem studuit in suas partes pertrahere. Sed Anglus prior occuparat animum Imperatoris, & vt Imperij vicarius declararetur, iniretúrque fœdus inter vtrumque, ad bellum, communibus sumtibus, contra Francum gerendum, confecit: qui & opera Ludouici marchionis Brandeburgici, vsus, lõgè, latéque, igne, ferróque, omnia mox, sub initium belli, depopulatus, magnũ terrorem Franco incussit. Quare Francus, cùm se vi nihil prosecturum esse, animaduerteret, rem dolo aggressus, vt erat vafro vir ingenio, & ad fallendum egregiè composito, nec vsquam fide certa, aut firmo iuramento, per expugnatam, amplissimis promissis, coniugem Imperatoris, immutauit eum, & ab Anglo alienatum, traduxit ad se; quæ mutatio, Ludouico exitiosa fuit. Defertus enim ab Anglo, quem, nulla iusta de caussa, prior ipse deseruerat: à Franco fraudulenter deceptus, in difficultates incidit maximas. Francus enim, etsi iureiurando confirmarat, se perfecturum, vt reconciliaretur Pontifici, tamen id deinceps ita egit, vt quanquam valde vrgeret, non dissimularet tamen se nihil minus velle. Accidit tamen vtrique regi, aliquantò post, hoc, quod dici solet: *τοῦς ἀλόντας μέγας ἀγὼν ἀπέλυσε, ἀλλ' ἔφυγε δίωκτον.* Et dedit imprimis pœnas perfidiæ Francus, qui decimo anno belli, septimo Calendas Septẽbris, anni millesimi, trecentesimi, quadragesimi sexti, magno prælio, ad Cressiacum, ab Anglo victus, florem nobilitatis Galliæ amisit. Desiderati perhibentur, ex omni numero, circiter triginta millia. Cecidit & Iohannes Bohemiæ rex, Franci in hoc bello socius, qui quanquam cæcutiret, pugnare tamen in hostem voluit, frustra prohibentibus cæteris.

Eduardus, ad expugnandum Caletum, cum exercitu victore profectus vndecimo obsidionis mense, tertio nonas Augusti, in deditione cepit. Post hanc cladem, etsi Gallia, vnius anni indutias ab Anglis impetrauit, quæ Philippo Valesio prorogatæ sunt, tamẽ renouatum est bellum, paulo post,

lo poſt, à Iohanne illius filio. Hunc verò Eduardus Walliæ princeps, dux belli, in Aquitaniam, à patre miſſus, in Pictonibus prælio ſuperatum, cepit, cùm filio Philippo, decimo tertio Calendas Octobris, anni milleſimi, trecenteſimi, quinquageſimi ſexti, cęſis circiter ſex millibus Gallorum.

Ita Deus, illuſtribus exemplis pœnarum, non in patre ſolo, ſed & filio, & nepote, oſtendit, nũquam manere inulta periuria: Ἀτὰρ ἐγὼ δ' ὀΐω μετόπισθεν ἀμείνων. Quarto demum à captiuitate anno, cùm Eduardus denuò populabundus, per Remorum fines, ad ipſam Pariſiorum vrbem vſque, peruaſiſſet, videretúrque tota Gallia potiturus eſſe, pax, inter reges, prope Carnutum oppidum, facta eſt, his cõditionibus, vt Aquitaniam Angli tenerent, & rex Iohãnes, tricies cẽtenis coronatorũ millibus redimeretur. Hâc, datis obſidibus, ſancita, rex demiſſus, rediit in Franciam.

Sed ad Ludouicum reuertor, cui Valeſius, eo etiam multum nocuit, quod ab eo, Iohannem regem Bohemiæ, abſtraxit, qui fuerat ante ἀρχηγέτης ipſius, in omnibus bellis. Nam ante bellum Anglicum, ſua, & Gallica pecunia inſtructus, cum exercitu valido deſcendit in Italiam, nondum quidem Ludouico planè hoſtis, ſed non tam fidus tamen, vt antea.

Expeditionis prætextus fuit, vt compeſceret tumultus, quos, excedẽs Italia, Ludouicus reliquerat maiores, quàm inuenerat, ruentibus in ſeſe mutuò, & de principatu ſummo contendentibus Longobardiæ tyrannis, quibus in potentioribus ciuitatibus, ſuas vices Imperator demandauerat. Magna autem celeritate Brixiam, Cremonam, Papiã, Parmam, Regium, & Mutinam, ſuperatóque Apennino, Lucam occupauit, copiis Florentinis, quæ, Beltramone Baucio duce, Lucam obſidebant, longè ſummotis.

Hoc ſucceſſu Iohannis, territi Gibelliui pariter, & Guelphi, cùm inſuper fama acceſſiſſet, Philippum Valeſiũ, cum Pontifice, occultè conſpiraſſe, vt, Boëmo duce, cũctas Italiæ vrbes ſubigerent, & partirentur inter ſe, quãquam inimici eſſent, tamen fœdus fecerunt, vt Actius Vicecomes, Maſtinus Scaliger, Paſſarinus Mantuanus, Obitius Ferrarienſis, cum populo Florentino, coniunctis viribus, bellum gererent. Hac conſpiratione, Boëmus cùm infeliciter, ad Ferrariam, prælians eſſet, ex magna parte Italiæ reiectus, Parmam, Regium, & Mutinam retinuit, earúmque cuſtodiam, Carolo filio commendauit.

Reuersus in Germaniam, pro hoste Ludouici, se manifestè gessit, eò quòd Ludouicus, in ducatu Carinthiæ, prætulerat Austriacos, filio ipsius Iohanni, cui eundem adserebat, propter coniugem, Henrici Carinthi filiam. Hac re grauiter offensus, quibus potuit occasionibus, oppugnauit, & impediuit Ludouicum. Sed nec ipse inultam hanc tulit fidei, & voluntatis mutationem. In acie enim, vt diximus, non ita multò post, interfectus est ab Anglis.

Pingit hæc historia, affectus regum, & pœnas quę sequũtur. Ludunt hi fœderibus, vt pueri astragalis, & pacis, ac belli, inducierum, ac fœderum leges, & iura metiuntur suis commodis, hoc iustum, hoc sanctum eis, quod ad augendã potentiam vtile. Sequuntur ergo pœnæ, quæ in totis gentibus vastitatem efficiunt.

Benedicto Pontifice mortuo, Clemens sextus, nõ multò clementior, erga Ludouicum, Iohanne, renouauit decreta Iohannis vicesimi secundi; quæ Ludouicus, confisus fœdere Francico, & in spem optimam erectus, grauissimis argumentis refutata, Francofurti, in consessu Principum, declarat irrita, anno millesimo, trecentesimo, tricesimo octauo. Orationis formula extat. Sed Clemens impellere, & vrgere non destitit Principes Imperij, vt de alio Imperatore deligendo, consilium caperent, donec id perfecit. Idẽ sacris interdixit Moguntino, Henrico de Virnbergo, quòd adhęreret Ludouico. Cũmque; nõ permissurus esse videretur, vt, eo viuo, de alio deliberationes instituerentur, Episcopatu eum deiecit, surrogato, in eius locum, Gerlaco comite Nassaẽnse. Sed Henricus nec fulmini Pontificio, nec designato successori cessit. Edixit & cæteris ordinibus Põtifex, vt qui fauissent Ludouico, eo relicto, expiatóque delicto, se conferrent ad successorem. Multa & alia passim in Italia, & Gallia tyrannicè imperauit, atque constituit Imperatoriis decretis contraria.

Disiunxit se ergo, à Ludouico, & Treuirensis Elector, qui antea, velut pectus eius, fuerat, & omnium consiliorũ gubernator. Idẽ deinde incitator est, & adiutor Carolo Boëmico, in petitione Imperij. Tales amicorum inconstãtiæ, etsi in quotidiana vita vsitatæ sũt, vt Plato inquit, ζῶον αὐτὸ ἐμπαθὲς καὶ φιλ[illegible] tamen, in dissensionibus ciuilibus, multò crebriores, & grauiores accidunt volũtatum mutationes, & alienationes. Non tantum deseruntur amici, sed etiam, ex coniunctissimis, fiunt hostes crudelissimi, vt dicitur, τὸ λίαν φιλεῖν, τὸ λίαν μισεῖν ἄγαν γάρ πολλάκις.

Tan-

Talibus temporibus, sit nobis in conspectu Epicharmi dictum:--Νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἀνδρα ταῦτα τῆς φρενῶν. Nec fiduciâ amicorũ, aut fœderum, res non necessarias moueamus, nec deserti ab amicis, frãgamur animis, in caussis iustis, & necessariis, sed à Deo petamus, & expectemus auxilium ac necessaria, & iusta, ordine, & legitimè faciamus, iuxta dictum: Quod iustum est, iustè persequaris.

Nec Ludouico, in hac mutatione, grauius quidquam accidit, defectione à se Treuirensis Episcopi, & Saxoniæ ducis: de quibus, vt crederet eos, hostili erga se animo esse, persuaderi diu non potuit.

Etsi autem, viuo Ludouico, & elegerunt, & coronarunt, Electores quidam, Carolum, Marchionem tunc Moraviæ Iohannis Bohemici Regis filium; tamẽ authoritas eius adhúc tanta fuit, & ciuitatum beneuolentia, erga eum, tãta, vt Carolus nihil nec auderet, nec posset. Aquenses, ad solennem inaugurationem, cum Electorum comitatu, aduenientem Carolum, in vrbem non intromiserunt: quare Bonnæ coronatus est à Colonienſe, quem, multa pecunia corruptum fuisse, fama fuit.

Manserunt in fide erga veterem Imperatorem & Sueuicæ, Helueticæ, ac Rhenanæ ciuitates. Cúmque ex Principibus, Spiram conuocatis, quæsiuisset, an probarent Caroli electionem; nemo repertus est, qui à Ludouico vellet sese seiungere.

Mortuus est, anno proximo, post electionem Caroli, quinto Idus Octobris:

Anno Christi, millesimo, trecentesimo, quadragesimo septimo:

Anno mundi, quinquies millesimo, trecentesimo nono; equi saltu excussus in terram, interuenandum; seu deiectus potius, corporis conuulsione, ex propinati veneni vehementia, quod, cùm frustra vomitu reiicere tentasset, agitatione, vel expellere, vel discutere voluit. Propinatum id illi à vidua Alberti Austriaci ferunt, qua cum familiariùs consueuerat.

Imperio annos triginta tres, inter maximas aduersationes, & crudelissimas exagitationes Pontificum, ita præfuit, vt in gubernatione iustus, & suorum defensor nequaquam lentus fuerit, &, quod mirũ est, in viro magnanimo, cùm tantis contumeliis irritaretur, nemini tamen vnquam bellum intulit, sed inferentes, armis depulit.

De nobilitate, & vetustate, stirpis Bauaricę, supra dixi,

quæ à Saxonibus in Bauaria oppreſſa, atque in anguſtum redacta, tandem Sueuis imperantibus, vires recepit. A primo Friderico enim Bauariam, ab altero Palatinatum ad Rhenum conſecuti ſunt, cùm Otto, Ludouici Imperatoris auus, duxiſſet in vxorem, Agnetem, filiam Henrici Palatini, qui frater erat Ottonis quarti Saxonis.

Pater Ludouicus plures habuit coniuges, ſed ex tertia Mechtilde, Rodolphi Imperatoris filia, nati ſunt Rodolphus Palatinus ad Rhenum, & Ludouicus Imperator, qui fratrem ditione expulit, ob negatum in electione ſuffragium, vt dixi: ſed filios reſtituit. Rodolphus Palatinam, Ludouicus Bauaricam familiā propagauit. Nati ſunt enim Ludouico, ex Beatrice Polonica, filij, Ludouicus, Stephanus cognomento Fibulatus: ex Margareta, Wilhelmi tertij comitis Hollandiæ filia, Wilhelmus, Albertus, Ludouicus, cognomento Romanus, quòd Romæ in lucem editus eſt, matre coronata, & Otto.

Inter hos, auctam acceſſionibus nouarum ditionum hereditatem, ex interitu familiarum aliquot, in hunc modum diſtribuit. Ludouico natu maximo, marchiam Brandeburgenſem attribuit; cui deinceps, à cōiuge, & comitatus Tyrolenſis acceſſit: quem ille, cùm adeptus eſſet marchiam, Ludouico Romano ceſſit, à quo tandem, in Ottonem deuoluta eſt. Stephanum Bauariæ, Wilhelmum Hollandiæ, Albertum parti Bauariæ impoſuit.

De marchia Brandeburgenſi, ſic res habet: Vltimus marchionum, è ſtirpe Alberti Vrſi, fuit Woldemarus; cuius, in Adolpho, mentio facta eſt. Hic, cum ſine ſobole eſſet, ſubditis certos dominos cōſtituit, agnatos ſuos, è veteri ſtirpe Aſcania, Principes Anhaltinos, in quorū illi verba iurarunt, ea cōditione; vt, ſe mortuo, hos agnoſcerent, ac reciperent dominos. Redierat autem, fatali quadam lege, familia tota, ad vnum hunc Woldemarum, in qua, non multò ante, decem & nouem, eiuſdē nominis, & ſtirpis, marchiones ſimul vixerant. Sed, cùm approbatio, & conſenſus authoritatis publicæ, non acceſſiſſet; quàm primum fama, de Woldemari interitu, percrebuit, Ludouicus marchiam Imperio vendicauit, & in ea filium natu maximum Ludouicum collocauit.

Intercidit, eodem tempore, proſapia ducum Carinthiæ, cui fuit cōiunctus comitatus Tyrolenſis: Ludouicus ergo, Carinthiam Auſtriacis adiecit, excluſo Iohanne Henrico Moraniæ marchione, Boëmici regis filio. Hæc, vt oſtendi,

non

non minima offensionis causſa extitit, quæ illis interceſſit. Etſi autem controuerſia cõpoſita fuit, nonnullorum Principum authoritate, vt Tyrolenſem comitatum retineret Bohemus doris loco: duxerat enim Henrici Carinthij filiam Margaretam: non ita multò poſt tamen, recruduit, cùm, Margareta pertæſa mariti, eo repudiato, tãquã minimè ad coniugium idoneo, in thalamum, & comitatũ adduxit Ludouicum marchionem, Imperatoris filium. Ex hoc Ludouico, cùm genuiſſet Menhardum, vtroque præmatura morte ſublato, mulier procax, & libidinoſa, tertio nupſit, Rodolpho Auſtriaco, Alberti ſecundi filio, ſimulque Bauaris ereptum comitatum, tranſtulit ad Auſtriacos.

Sed ad marchiam reuertor, in qua, Ludouico impliciro bellis Pomeranicis, & Megapolenſibus, tertium ſeſe hoſtẽ intulit, quidam Woldemari defuncti nomen, perſonam, habitúmque, & mores mentitus, quem fuxiſſe ferunt, minimè Woldemarum fato functum eſſe; ſed, religioſa peregrinatione confecta, rediiſſe incolumem. Hic quãquam nomine Woldemari, ſit falſo Woldemarus creditus, vt opinio habet vſitata, magno tamen populi applauſu, exceptus, adiutúſque opibus, & auxilis, vicinorum ducum Saxoniæ, & Anhaltinorum, bellis difficilibus Bauaros exercuit, toros annos nouem.

Ludouicus pertæſus bellorum, marchiam fratri Ludouico Romano reliquit, contentus agro Tyrolenſi. Romanus renouauit bella Pomeranica, de principatu Stetinẽſi, quæ, cùm prior Ludouicus aliquoties infeliciter pugnaſſet, pater dirimerat, limitibus inter Pomeraniam, & marchiam conſtitutis; ea conditione, vt Pomerani veteri loco, & dignitate, inter Imperij principes, feuda ab Imperatore ſolo acciperent, & ſuis terris liberè imperarent: ſed ſi ſtirps defeciſſet, hæreditatem illarum terrarum adirent marchiones Brandeburgenſes. Cirò autem deſtitit, ſuperatus acie à Pomeranis, auxilio Woldemari regis Daniæ, cuius filium, ſupra diximus, clauſiſſe vetus, & indigenum regum ſtemma. Idem, falsò creditum Woldemarum, exutum armis, & ditione vniuerſa, pepulit in exilium.

Incitabatur autem, & adiuuabatur hic Woldemarus, à Carolo quarto, odio Ludouici Bauari, quod is fratri ipſius, Iohanni Henrico, coniugem, cum dote, id eſt comitatu Tyrolenſi, ademiſſet. Etſi autẽ prę ſe ferebat Carolus, ſucceſſionem deberi Anhaltinæ familię, quam iniuſtè Bauari excluſiſſent: ita tamen oppugnabat Bauaros, & fouebat

Anhaltinos, vt si illos eieciſſet, hos non eſſet admiſſurus. Quare, etsi publicis literis, & Woldemarum armabat, & Anhaltinis ius ſucceſſionis confirmabat, & opem contra Bauaros ferebat: id tamen agebat, vt ſummotis vtriſque Marchiam coniungeret Sileſiæ, quam, ſimilibus artibus, Boëmiæ copularat. Idque partim aſtu, partim vi perfecit paulò poſt, cùm Ottonem Bauarum generum, qui in Romani fratris Imperium, illo defuncto, ſucceſſerat, coëgit, accepta ditione exigua, in confinia Boemiæ, ac Bauariæ, & pecunia non magna, cedere Marchia, & omni iuri renunciare. Ita exciderunt Marchia Brandeburgenſi vtrique; Bauari extruſi iiſdem technis, quibus hæredes proximos Anhaltinos ipſi depulerant. Anhaltini, quorum erat imbecillis potentia, ſimulatis promiſſis decepti.

Carolus Marchiam teſtamento deſtinauit Sigiſmundo filio, qui eam oppignorauit Iodoco, & Procopio marchionibus Morauiæ patruelibus: hi viciſſim Wilhelmo Landgrauio Turingiæ, à quo iterum redemit eam Sigiſmundus. Ab hoc, quibus conditionibus, & occaſionibus peruenerit ad Burggrauios Noribergenſes, ſuo loco dicetur.

E cæteris Ludouici filiis, Wilhelmus, auo materno, & auunculis è vita ſublatis, cùm maſculus hæres nullus eſſet ſuperſtes, præter vnum Iohannem, quem pater, ſacris initiatum Epiſcopatui Leodienſi præfecit; Wilhelmus ergo Hollandiã obtinuit, patre feudum tradente, circiter annum milleſimum, trecenteſimum, quadrageſimum tertium. Sed neque, hac hæreditate, poſteritas diu gauiſa eſt. Nam & Wilhelmus, erga matrem impius, bellum ciuile accendit, ex quo, Hollandia in factiones diſtracta, longo tempore ſeditionibus eſt conflictata, & cùm ex impio filio, Deus ſobolem nullam ſuperſtitem eſſe voluiſſet, Albertus frater, ius ſucceſſionis, teſtamento patris, excepit; ſed, cùm filiis huius, poſteritate extincta, Hollandiæ, Seelandiæ, Hannoniæ, & Phryſiæ terras occuparunt Iohannes, ex ſtirpe Gallica, Burgundiæ, & Wenceſlaus, ex patre Iohanne rege Boëmiæ, Lucelburgi, & Brabantiæ duces, qui Alberti filias duxerunt in vxores. In his mutationum vicibus, conſiderentur exempla regularum: Ἀεὶ νεκτὸς ἄπεις ἄδικος, &, de bonis male acquiſitis, non gaudet tertius hæres.

Sextus, inter Ludouici filios, Stephanus, cęteris ſuperſtes auitas terras poſſedit, & ſtirpẽ propagauit. Ex hoc enim, longa poſterorum ſerie, procreati ſunt, qui nunc ſunt in viuis, Bauariæ duces. Trãſegit, à morte patris, cùm Rodol-

phi

phi Palatini patrui filiis, ſoluta certa pecunia, in compenſationem detrimentorum, quæ, bello ciuili, à fratre, pater Rodolphus acceperat; quę, cùm minimè pretium iacturæ adæquaret, deinceps etiam Palatini, à Bauaris, ſatisfactionem vberiorem exegerunt; cuius denegatio non fuit nulla cauſa belli Bauarici, quod, aliquot ſeculis poſt, inter agnatos familię vtriuſque, extitit. Ad nepotes Stephani, cũ Hẽrici, patrui ipſius, magni, ſoboles intercidiſſet, in Bauaria inferiore, tandem dominium Bauariæ vniuerſæ rediit.

Cœpit, hoc tempore, Nemeſis diuina vlciſci parricidia Cunradini Sueui, in Caroli Andegauenſis poſteritate, parricidiis mutuis, & totius ſtirpis excidio; iuxta regulam talionis: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Carolo enim ſecundo, primi filio, qui regnum Cunradino eripuit, ex Maria Pannonia, Stephani regis filia, nati erant filij plures, & inter cæteros, Carolus cognomento Martellus; Robertus, qui, pro Pontifice, contra Imperatores Henricum ſeptimum, & Ludouicum, propugnauit; Ludouicus Dyrrachij; & Philippus Tarenti Principes. Carólum Martellum Vngarici acceiſiuerũt ad regnum; veterum regum maſcula ſtirpe, morte deleta. Huic, ex Carolo Roberto, nepotes nati, Andreas, & Ludouicus Vngarorum rex: Philippo Tarentino, natus eſt Ludouicus Tarentinus: Ludouico Dyrrachiano: Carolus Dyrrachij Princeps.

Robertus rex, cùm filium Carolum, in ipſo ętatis flore, amiſiſſet; ne regnum ad externos peruenirct, Iohannam neptem, ex Carolo filio, iungit Andreæ nepoti fratris, ex Vngaria euocato, atque huic ius ſucceſſionis impetrat. Hic cùm vxori procaci, & libidinoſæ parum gratus eſſet, impulſu eius, à coniuratis oppreſſus, ac ſtrangulatus eſt, anno milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo quarto. Iohanna parricidium inceſtis nuptiis cumulans, matrimonio ſibi copulat Ludouicum Tarentinum, Philippi filium, quocum antea conſueuerat. Andreæ frater igitur, Ludouicus Vngariæ rex, magni atque excelſi animi vir, bellicoſus ac fortunatus, quibus de cauſſis, ad regnum Polonię etiam fuit expetitus, hic ergo vlturus iniuſtam cędem fratris, & perfidiam flagitioſæ mulieris, magno cum exercitu in Apuliam ingreſſus, regno Neapolitano, non magno negocio, Ludouicum cum inceſta coniuge, & parricida expulit. Sed paulò poſt, eo domum reuerſo, Ludouicus conceſſa Pontifici Auinione, impetrat reditum in Apuliam, & auxilia, contra præſidia, quę Vngarus reliquerat, vbi, cùm recepiſ-

set amissa, moritur.

Iohanna, Ludouico mortuo, nupserat Iacobo Arrogonio, Calabriæ duci; & mox hoc repudiato, Ottoni Brunsuicensi. Sed cùm, ne hoc quidem defensore, se tutam fore cerneret; vt expleret odium, quod in agnatos conceperat, & manibus primi mariti parentaret, multa cæde; adoptat Ludouicũ Andegauensem fratrẽ Caroli quinti regis Franciæ, filium regis Iohannis. Inde noui belli materia extitit. Nam Vrbanus sextus Pontifex offensus importuna lenitate flagitiosæ mulieris, reuocat Ludouicum è Pannonia ad regnum. Hic ætatem prætexẽs armat Carolum, Ludouici Dyrrachiani filium, maritum Margarethæ, sororis Iohannæ; qui cum exercitu Italiam celeriter ingressus, Andegauensem anteuertit, & Ottonẽ Brũsuicensem acie victum, capit, atque in carcerem coniicit. Iohannam sponte sese dedentem iniecto super os puluino, suffocat. Etsi autem triẽnio post, Otto, è carcere elapsus, Neapolin recepit, tamen citò mortuus est. Ludouicus Andegauensis minimè negligendum ratus tam opulentum regnum, incitãte Clemente septimo, qui patronum quærebat contra Vrbanum sextum, adductis triginta millibus hominum, Carolum, assiduo totius biennij bello, fatigat, Tarentum, & Barẽsem ciuitatem occupat, & fuisset regno potitus inclinãtibus sese ad ipsum subditorum animis, si vixisset. Sed duce, ex potu fontis medicati imprudẽs morte intercepto, exercitus dilapsus, Carolo regnum concessit, sine cæde.

Carolus hoc modo, Neapolitano regno potitus, nõ multò post, reuocatur in Vngariam, contra Sigismundum, vbi, dolo reginæ viduæ obtruncatur, relictis ex Margareta cõiuge, liberis Ladislao, & Iohãna. Ladislaus, Romana Ecclesia, Pontificum schismate, lacerata, vrbem Romam secundò, vel, vt alij referunt, tertiò capit, & populatur ditionem Ecclesiæ longè latèque. Contra hunc euocant Ludouicum Andegauensem, priorisfilium, Alexander quintus, & Florentini. Etsi autem victus Ladislaus vno prælio, ab Andegauensi, tamen, mox refectus viribus, bellum redintegrat, tanto cum terrore hostium, vt Andegauensis bellum differret: Florentini, de pace facienda, vel iniquissimis conditionibus deliberarent. In eo belli apparatu, Ladislaus cùm iterum Romam teneret, moritur, veneno necatus, anno tertio decimo, supra millesimum quadringentesimum. Iohanna sotore, damnatæ libidinis fœmina, regni habenas excipiente. Nupserat hæc primo, Geldriæ duci, deinde

inde Iacobo comiti de Marca. Ex neutro marito grauida facta, metuit, ne regno spolietur à Põtifice, & Andegauensibus. Idcirco adoptat Alphonsum, Ferdinandi regis Arragoniæ filium, laudatissimum Principem: qui, cùm licentius pleraq; in regno, administraret, procax, & imperiosa mulier, pertæsa adoptionis, eo, ceu ob ingratitudinem exhæredato, regnum promittit Ludouico Andegauensi, primi Ludouici nepoti, qui alioquin vetera iura aui, & patris repetebat, ac prętendebat. Inde bellum exortum est, in quo, fortuna varia, certatum est, inter Alphõsum, & Iohannam coniunctam cum Andegauensi, vsque ad annum triceſimum quartum, supra millesimum, quadringentesimum. Etsi autem, penè toto Neapolitano regno, Alphõsus, inter initia, excidit, tamen ad extremũ victor possessionẽ regni transmisit ad Ferdinãdum filiũ nothum. Ludouicus Andegauensis.n. consensu Iohannæ, hæredem instituit fratrem Renatũ. Lotharingiæ ducem, qui nuper ducta in vxorẽ Isabella, Lotharingici ducis filia, ditione ea familiã Andegauensem locupletarat. Sed hic, mortua Iohanna, regnum retinere non potuit. Sequutus est Iohánes filius, qui, patre viuo, cũ exercitu iusto regnũ inuasit, sed ad Troiã, magno prælio victus, recessit. Pater Renatus, ius suũ, in fratris Caroli filium transtulit, qui solus ex Andegauensi stirpe reliquus cùm esset, id vicissim Ludouico vndecimo, Franciæ regi, testamento confirmauit. Ludouici filio, Carolo octauo, hoc ius persequente, recruduerunt bella inter Arragonios, & Gallos, vt suo loco dicetur.

Ad hãc modum pœnæ publicæ, iusto Dei iudicio, grassantur in familiis, propter scelera, vbi illa creuerunt, donec totas deleant, & extirpent. In has tragœdias, quæ sunt exempla pœnarum, congruentium ad comminationes annexas Decalogo, intuentes, petamus nos regi à Filio Dei & defendi aduersus Diabolorum furores, à quibus hæc scelera oriuntur.

Nec impunè tulit parricidiũ agnatæ Carolus, etsi iustas eius causas habuit. Vix enim quadriennio post, euocatus ad regnum Vngariæ, dolo viduæ Ludouici patrui, interemptus est relictis liberis Ladislao, & Iohanna, quorũ fata non multò fuerunt aut meliora, aut lætiora, quam maiorum. Sed & fatorum illis, vt sceleratorum consiliorum, & perfidiosarum molitionum fabri, atque architecti fuerunt, Pontifices Romani, quorum alij hos, illos alij inflãmarunt, & fouerũt, vt consumtis vtrisque, ius regni Nea-

politani & possessionem ipsi retinerent.

Suis verò ipsa quoque vrbs Roma concussa est motibus, assiduè dimicantibus inter sese, Columnniis, & Vrsinis. Sed & aliud quiddam accidit risu magis, quàm admiratione dignum. Cùm enim abessent Pōtifices; &, horum artificio, Imperatores excluderentur, extitit quidam Nicolaus, inter ciues Romanos, publicus scriba Senatus, vir magnæ apud populum authoritatis; qui fauore, & applausu stultæ plebis dementatus, & in stolidissimas spes instaurādæ veteris Monarchiæ elatus, cùm se, commutato nomine, Augustum, & glorioso titulo, Seuerum, & Clementem, libertatis, pacis, iustitiæque Tribunū, ac sacræ Romanę reipub. vindicem illustrem professus, armis occupasset Capitoliū, perfecit, vt non tantùm ciues Romani, sed ferè præcipui tunc Italiæ principes, successibus eius capti, causas cognoscētem & ius dicentem cognoscerent, séque illi, vel subiicerent, vel adiungerent. Huius amens, & vesana audacia eò vsque processit, vt & Pontificem reuocaret in vrbem, intra præfinitum tempus, intra quod, si non reuertisset, futurum, vt pontificatu priuaretur, & Ludouico, atq; Carolo, cæterisque Germaniæ principibus, ac præcipuè Electoribus diem diceret, quo, si non comparerēt, se aduersus eos, tanquam contumaces, acturum esse. Magnas omnino turbas dedit. Sed stolido, vesanæ temeritatis impetu, susceptа consilia, in cuius desierunt finem, vt altero ille anno, à factione pontificia, vrbe, totáque Italia pulsus sit, quod factum est anno Christi, millesimo, trecētesimo, quadragesimo octauo. Contulit se, ex fuga, ad Carolum, Ludouico iam mortuo, qui vinctum misit ad Pontificem Auenionē.

Incidit in hęc etiā tempora, memorabilis illa, & multorum celebrata monumentis, pestilentia, cuius tanta vis fuit, ac sæuitia, vt quinquennij spatio, in Europa tertiā hominum partem absumpserit: præcesserunt eam crebra, terráque, ac ceteris maximè infesta, luminum deliquia. In ipsum pestilentiæ tempus, incurrit congressus trium planetarum superiorum, Saturni, Martis, & Iouis, sub dodecatemorio Aquarij, vt consentaneum sit, fuisse, antegressis eclipsibus, orbem elementarem, ceu præparatum malignitati pestilenti, quā deinceps, infausta contrarij luminis cōmixtio effudit, atque impressit. Caussa in Iudæos collata est, quos, veneno fontes passim infeciisse, suspicio fuit.

Sed vt sese res habeat, minimè aspernor has, in natura, obuias caussas, quę sunt velut indices, ac nunciæ iræ diuinæ

uinę, & velut miniſtræ, atque executrices iudicij, ac ſententiæ diuinæ, aduerſus peccata generis humani. Similis cœli conſtitutio, circiter annum milleſimum, centeſimũ, viceſimum, Henrico quarto imperãte, illam peperit luem, quæ tertiam hominum partem extinxiſſe perhibetur. Coierunt enim, ſub Virginis dodecatemorio iidem planetæ, cùm anteceſſiſſent defectus crebri luminum.

DE HELVETICIS MOTIBVS.

A Ciuilibus diſcordiis, quas commemorauimus, extitit ἀφορμὴ & occaſio nouorum motuum: & hos, ſequutæ mutationis apud Heluetios, quos Suitẽſes, & Suiceros, vno nomine, vocamus, ab vrbe Suitenſi, quæ primæ confœderationis caput fuit. Sed cauſſæ anteceſſerunt, & coinciderunt, ab æ, inclementiora, ſcilicet, & iniuſtiora imperia illorum, qui, pro Imperatoribus, ea loca adminiſtrarunt; & ὕβρεις nobilitatis· ἃ μὴ καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε, καὶ Κολοφῶνα. Exitus verò is fuit, qui olim, in veteri Græcia, cùm ciuitates, regulis, qui ſuperbè & tyrannicè imperarent, vel ciectis, vel oppreſſis, vel in ordinem redactis, paſſim in Attica, Achaia, & Peloponneſo, ſeſe in libertatem vendicarunt. Regia enim poteſtate, vel abrogata prorſus, vt Athenis, Thebis, & alibi; vel ad eum modum, acciſa, ac circumſcripta, vt ſolo nomine agnoſceretur, vt Spartæ, ſummam poteſtatem vel in populum, vel in optimates, vel in vtroſque tranſtulerunt.

Fuit autem diſſimilis conditio ciuitatum Helueticarum, ante confœderationem. Suitenſes, Vri, reliquiæ Tauriſcorum; Syluani, ſeu Vnterualdenſes, etſi monaſticarum familiarum Abbatibus, certis pactionibus, ſubditi erant, tamen ſua quadam libertate gaudentes, præfectos accipiebant ab Imperio, quos Voitos appellamus, fortaſſe Græco nomine, quaſi βοηθὸς, prorſus vt olim præfecturæ Romanorum. Horum idem munus erat, quod in his terris Burggrauiorum. Penes illos enim ſumma iudiciorum publicorum, & vitę, necíſque poteſtas erat. Formam gubernationis reliquam manſiſſe, ex antiqua Romanorum monarchia, conijcio; in qua præfecturæ ſuis non viuebant legibus, neque, ex ſuorum numero creabant magiſtratus, ſed hos à Senatu, aut Monarchis accipiebant, & annuatim mutabãt.

Tigurum Solodurum, Baſilea, Schafthuſium inter municipia Imperij, & liberas ciuitates numerabantur, etſi Schafthuſium paulò ante ceſſerat Auſtriacis, conceſſione Ludouici, cui eam vrbem, cũ aliis tribus, Reinfeldo, Neo-

burgo, & Brisaco, bello ciuili, Leopoldus Austriacus extorserat.

Berna, & Friburgum in Nuicthonibus, colonię erant, cõditę, & deductæ à Bertholdo vltimo Zaringię duce. Sed, illo mortuo, Berna Imperatorem: Friburgum comites Kiburgios dominos sortita erat, à quibus deinceps vendita vrbs Rodolpho Imperatori, paruit Austriacis. Cęteras vrbes, vel Austriaci iam suis terris adiecerant, vt Tugiũ, Lucernam, Glariſſam, vbi illi, iam dudum, magnum principatum, animis conceperant, auita vt regna extollerent rursus atque amplificarent: vel potentes familiæ monachorum, vel comites vicini tenebant.

Nobilitas vel sui iuris erat, vel subserat Austriacis, aut comitibus, quorum non contemnendus numerus, in ea vicinia dominabatur.

Initium confœderationis fecerunt, Vri, Syluani, Suitenses, in horum oppido, quo factum, vt consuetudine, nomen Suitensium confœderatis omnibus sit tributum. Occasio, vt dixi, à bellis ciuilibus extitit Ludouici Bauari, & Friderici Austriaci. In his enim, cùm cæteræ adhærerent Austriaco, quem tota sequebatur nobilitas, hę tres solę adfuerunt Bauaro, odio magis vicinę nobilitatis, & metu potentię Principum Austriæ, quæ genti, natura horridiori & ad libertatem aspiranti, videbatur fore intolerabilis quam fide, & studio erga Imperatorem.

Cùm autem tentatæ multipliciter, & exagitatæ grauiter, non vellent relinquere Bauarum, & Leopoldo Austriaco prosperè deuicto, Bauaricis rebus, ea in parte, plurimùm cõmodassent, Bauarus, remunerationis loco, αὐτονομίαν eis concessit, cumulatam immunitatibus plurimis, & potestatem fecit, sese perpetuo fœdere, ἐπὶ συμμαχίαν, καὶ ἔπιμαχίαν defensionis causa, coniungendi. Exemplo inuitatæ paulò post, vrbes reliquæ, cùm inuitate eas, ac lacessere potentes vicini, non desinerẽt, idẽ fecerunt, & inita cum prioribus, atque inter sese societate, eáque arctissimis fœderum legibus deuincta, potentiam confecerunt vicinis facilè parem, quæ victoriis, & sociorum accessione, adaucta, tandem etiam formidabilis iisdem euasit.

Commemorantur duo insignia exempla ἔργων, vnum de Præfecto Suitensi, alterum de Vntervaldensi. Suitẽsis, collocato ad scopum honesti, eo in loco, ciuis filio, & supra caput pueri impositio pomo, coëgit patrem ad pomum, ceu metam iaculari, vt, si pomum non collimasset, transfigeret filium.

filium. Sed & patrem, cùm insigni ausu, rem tãtam feliciter peregisset, illæso filio, insuper vinctũ secum abduxit, in quo itinere, excussis compedibus, tyrannum trucidauit. Vxteruualdenſis, adulterio per vim, & contumeliam oblato coniugi cuiusdam eius oppidi ciuis, causſam coniurationi præbuit. Ita ἀπροσδόκητα mutationis proxima prouenit à pœna tyrannidis, & libidinum.

Etsi autem & excessit medicina modum, & defensionis metas egressa est, vt fere fit, cùm nixu, conatúque in cõtrarium ferociore, atq; insolẽtiore, fatales pœnas acceleramus, atque exasperamus, actius irritatis animis. Et vix vnquam victorię in bellis ciuilib. præsertim inferiorum de superioribus, si belli causſa sit ab iniustitia superiorum, modum seruant: tamen & causſæ, & exempla mutationum considerẽtur, & iustitia, honestate, clementia, moderatione fulciri, ac retineri Imperia cogitetur. Odit enim Deus nimis vehementes impetus: odere ciues, gratior est moderatio, secundum Euripidem. Hæc de initiis monuisse satis sit. Cætera sese dabunt in singulorum Imperatorum mentione.

CAROLVS QVARTVS, CONtra quem fuerunt electi,

Eduardus rex Angliæ:
Fridericus marchio Mijniæ:
Gunterus comes Suuarceburgensis.

CArolo quarto, Iohannis regis Boëmię filio, nepoti Hẽrici septimi, supra diximus, traditum esse Imperium suffragiis Moguntini, Treuiti, Colonienſis, Boëmi, & Saxonis, anno Christi, millesimo, trecentesimo, quadragesimo sexto, cùm id ademissent iidem, Ludouico Bauaro, Põtificij anathematis execratione oppresso, incitante Clemẽte sexto. Sed nec cessit Imperio Bauarus, dũ vixit, nec capessere id, illo viuo, Carolus fuit ausus: etsi, vt Bonnæ coronaretur, perfecit.

Ludouico mortuo, maiores ortæ sunt dissensiones. Maior enim Electorum numerus, repudiato Carolo, vt qui per fraudem esset intrusus, iniusto Ludouici odio, priorem electionem declarauit irritam, in qua multa alia etiam desiderabant. Quare vbi conuenissent Francofurti, anno Christi millesimo, trecentesimo, quadragesimo octauo, Mogũtinus, Palatinus, Saxo, & Brandeburgensis, qui Bauari filius erat, decretum fecerunt, de aduocando Eduardo Anglo. Hic, reces victoratum de Francis partarum fama, orbem

terrarum compleuerat,& in ſui admirationem commouerat. Sed Anglus,cùm ſapienter iudicaret, non fore conſultum rebus ſuis,ſi diſtractas regni vires,pariter in periculoſiſſimum bellum,cum Francis,& difficillimam Imperij gubernationem impenderet,quod, ea diſtractione, debilitato,euenturum proſpiciebat, vt iſtinc à Francis ſuperatus, regno,hic à principibus Germaniæ deſertus, Imperio excuteretur, contentus honorifica, de ſe Principum opinione,dignitatem non accepit.

Renouata itaque deliberatione, cõſenſerũt iidem principes in Fridericum marchionem Miſniæ, virum acrem, & bello ſtrenuum, qui vnus tunc,inter omnes, excellebat, prudentię,grauitatis,belli,& opum gloria,& videbatur allaturus eſſe ad Imperium omnia neceſſaria, belli, ac pacis tempore,præſidia à ſeſe,& à rebus,atque fortunis ſuis. Sed & hic,præter omnium ſpem,atque opinionẽ, ſpreuit Imperium,magno animo, quod priorem Caroli electionem, cum noua perturbatione Germaniæ,plus ſatis, his proximis bellis,afflictæ,non irritam faciendam,nec patriæ ſaluti,ac tranquillitati, ambitionem priuatam anteferendam eſſe,cenſeret,etſi videretur facilè,contra Carolũ ſummam rerum obtinere potuiſſe.

Carolus,qui ardens ambitione,corruptionibus,& fraudibus magis,quàm virtute pugnabat, idcirco honorario eum munere affecit,decem millium marcarum argenti.

Sed tamen, neutra quidem admiſſus eſt. Etſi enim, cum exercitu aliquam Germaniæ partem peruagatus,paucas aliquot ad Rhenum,& Danubium,atque in Sueuia,& Heluetia ciuitates,in deditionem accepit, ſub pactionib. certis,& Bauaris Ludouici filiis,damna dedit,incendiis,ac direptionibus,receptus eſt etiam à Noribergenſibus, & Ratisbonenſibus:tamen nuſquam certò, tutóque conſiſtere, nec confirmare ſeſe potuit,prohibitus conſenſu,atque cõiunctione potiſſimæ partis Electorum,Principum,ac ciuitatum.

Interea Electores ſuſtulerunt ad Imperium Gunterum, natum è familia comitum Suuarceburgenſium, in Turingia. Factum eſt id anno Chriſti, milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo nono,ſecũda die Februarij. Suffragatas huic ferunt,ad Imperium adipiſcendum,res ſub Ludouico fortiter geſtas,& amicitiam Moguntini,etſi prius aſſentiri Electioni noluit,quàm,publico decreto, teſtatum feciſſent Principes collocati ſe in ſedem Imperatore vacuam. Acceſſit

ceſſit autem ad vrbem Francofurtum, inſtructus exercitu, & caſtris ad vrbem poſitis, æmulũ præſtolatus eſt, vt litem bello decerneret. Carolus, etſi eodem ſuas copias adduxit, vim belli tamen experiri, & fortunam viri ſtrenui, ac bellicoſi, qui nitebatur ſtudiis, & auxiliis ſummorum ordinũ, irritare, denique vires vniuerſas, in vnius diei prelium impendere, non fuit auſus.

Quòd ergo vi, & armis, ſe nihil effecturum eſſe, cerneret, ad alias ſeſe conuertit artes. Tranſegit cùm Ludouici Bauari filiis, quibuſcunque conditionibus, etſi his pactis non ſteterit: ductáque in vxorem Rodolphi Palatini filia, diſiunxit Electores, & Bauaricæ domus auxilia æmulo ſubtraxit. Sed, cùm ne ſic quidem eum exarmaſſet, ſubornauit medicum pecunia corruptum, qui leuiter ægrotanti, venenum propinauit. cuius, etſi partem magnam vomitu reiecit, cùm medicũ authorem, ex præguſtato pharmaco, quod eum facere coegerat, paulò poſt collabi, atque exanimari conſpexiſſet, reliquiis tamen, ita eneruatus fuit, ac debilitatus, vt ad res gerendas euaſerit proiſus inhabilis.

Deſperata itaque vita Guntheri, interpoſuerunt ſeſe Rodolphus Palatinus, & marchio Brãdeburgenſis, quos, arte, à Gunthero Carolus auulſerat, rémque eò deduxerunt, vt Carolus, pro Imperio, Guntheri hæredibus, numeraret viginti duo millia marcarum argenti, in compenſationẽ impenſarum, additis duobus in Turingia oppidis, & Francofordienſibus redderet emporij, ac publici mercatus ius, quod tranſtulerat Mogũtiam. Ita ſexto, ab electione, menſe, Gunthero indignè perempto, ac regio apparatu, regióque monumẽto ſepulto Frãcoforti, in ædc diui Bartholomæi, Carolus Imperio multis largitionib & pecunia multa ſolus tandem eſt potitus, anno milleſimo, trecenteſimo, quinquageſimo: hic nonnulli, altiùs ordientes Imperium eius, à prima, contra, Bauarum deſignatione, addunt quadriennium præcedens.

Adoleſcens in Gallia educatus eſt, apud Carolum regem Francorum, vbi moribus Gallicis imbutus, deinceps multis in rebus, leges, inſtitutáq. & conſuetudines regni Gallici, præſertim in extollendis, & augendis ciuitatibus, quarũ opes, & robur didicerat eſſe opes, & robur regni, inde in Germaniam tranſtulit. Et quod addictior eſſet Gallico nomini, ex prima conſuetudine deinceps regibus iura regni Arelatenſis, alienata ab Imperio, conceſſit, in maximum detrimentum Imperij. Qua de re grauiter, & iure culpa-

tur. Prima etiam militiæ tyrocinia in Gallia fecit, sed quam primùm ætas cœpisset esse militaris, missus est, à patre Iohanne, in Italiam, ad præsidia, quæ occupatis vrbibus imposuerat, vbi fortiter pleraſque tutatus est.

A morte patris, cùm esset πλεονεκτικώτατος, adeptus occasiones, ex dissidiis principum Silesiæ, patris exemplo, totus in eam curam incubuit, vt principibus illis vel precio, vel bello, vel persuaſu domitis, accessione Silesiæ omnis, & huic cohęrētis Lusatiæ, Bohemiā amplificaret, &, vt acquisita cōfirmaret, Ciuitates, donatas immunitatib. plurimis, armauit contra principes, ne hi vires vnquam recipere, & molitii defectiones, mutatis voluntatibus, possent.

Erectus deinde in spem Imperij, animum etiam ad vicinas Imperij prouincias, marchiam Brandeburgensem, Bauariam, & Voitlandiam appulit. Marchiam, vt supra ostēdi, Bauaris tandem extorsit. In cæteris hoc effecit, vel emptionibus, vel pactis dotalitiis, vt quanquam nō obtinuerit totas, de singulis tamen decerpserit, quæ Boëmiam attingunt, vt vel subdita essent, vel feudorum legibus, regno Boëmię obstricta.

Multa multis, & ante confirmatū Imperium, & deinceps gratificatus est, vt obsequentioribus, & facilioribus vteretur in rem suam. Iohanni, & Alberto Henetorum principibus, ad litus Balticum, ornatis noua dignitate, tribuit locum inter Duces Imperij, anno millesimo, trecentesimo, quadragesimo nono. In vrbe Norica, seditionibus exagitata, reducto Senatu, qui furoribus insanæ plebis cesserat, tribuum iura sustulit, & abolenit, atque potestatem omnē in Senatum transtulit. Auxit, & ornauit eam vrbem plurimum, vel propter vicinitatem regni Boëmici, vel propter fidem ipsi præstitam, initio gubernationis.

Italiam, inuitatus crebris multorum literis, inter quas extant Francisci Petrarchæ, ad vindicandam vrbis Romanæ libertatem, & sopiendas bella, quibus tota passim flagrabat adiit anno Christi, millesimo, trecentesimo, quinquagesimo quarto: vbi similiter pleraque indulgendo, & largiendo principibus, multa ab Imperio, venditionibus, abegit.

Rebus Longobardicis constitutis, cùm Mediolani ferrea corona insignitus esset, Romam venit. Ibi postquam est consecutus, vt solenni coronatione declararetur Imperator, hac peracta, non diu moratus in vrbe, rediit in Hetruriam. Pisis properi reditus causas fuisse, aiunt, & propulsum

missum factum, ante coronationem, cardinalibus, Innocentij sexti mandato, quo, se, recipit, mox vrbe cessurum, non turbata aut impedita possessione tyrannidis, quam illi tenebãt: & metum inquietę plebis, longis seditionibus efferatæ. Florentiæ exulãtes Gibellinos restituit. Mediolani Vicecomites Galeacium, & Barnabam in Cisalpina Gallia, & Liguria Imperij vicarios instituit, sed absque dignitate ducali. Galeacius, cũ & delectaretur liberalioribus literis, & coleret, ac præmiis cumularet viros disciplinarum omnium, & nobiliorum artiũ studiis insignes, ex hisque præcipuè Franciscum Petrarcham, hortatu huius, bibliothecam condidit, cùm, paulò ante, munere beneficióque Caroli, Ticini celebre gymnasium instituisset, vbi deinceps, à filio Iohanne Galeacio, conducti liberalibus stipẽdiis, docuerunt aliquot præstantes viri, qui monumenta ingenij posteris reliquerunt, in iure, Baldus, & Raphaëles duo: in medicina, Marsilius à sancta Sophia: in literis Græcis, Emanuel Chrysoloras Byzantinus.

Reuersus in Germaniam Carolus, conuentum egit Principum celeberrimum, & frequentissimum, in vrbe Metensi, in quo, re sapienter, & multùm deliberata, ac disputata, cum præcipuis ordinibus Imperij, de contractis in vnum, atque digestis in ordinem institutis, ac moribus antiquis, & recentibus, ad Imperij decus, ac maiestatem, & singulorum pertinentibus, cõdidit legem Carolinam, Aureæ bullæ nomine notam ac celebrem, comprehendentem leges, ritúsque seruandos, in electione Imperatoris, ac consulentem atque cauentem potestati, authoritati, ac dignitati ordinum omnium, suo singulis loco, pro ratione circunstantiarũ. Quod operum eius præcipuum est, ac laudatissimum. Fuit enim hactenus pacis publicæ neruus firmissimus. Hac lege nixa, erexit sese vicissim, vtcumque, atque communiuit maiestas Imperij: hæc amputauit contentionum, ac dissensionum occasiones in electione, quarum fructum, cùm ipse expertus esset, consentaneum est, voluisse eum, hac cõstitutione, illas amoliri, & auertere: hæc singulis ceu metas suas, circumdedit, & inter sese Imperatorem & principes, ad eum modum deuinxit, vt iu reipublicæ, patriæ, Imperatoris, vicinorum detrimentum, aut perniciem nemini mouere, molirive quicquam, impunè liceret. Promulgatam hanc & sancitam esse deinceps ferunt, Noribergæ. De tempore, consentiunt omnes, qui fuit annus millesimus, trecentesimus, quinquagesimus

sextus,alter à reditu ex Italia.

In eodem Principum congressu, Wilhelmum marchionem Iuliaci,prouexit in ordinem ducum,& Wenceslaum fratrem, Lucelburgi comitem, producesse gerere iussit. Hic Wenceslaus deinceps, cum Iohanna Alberti Bauari filia,adeptus est Brabātiam. Dimisso conuentu,Vrbanum V.Pontificem Auinioni conuenit.

Reliquum tempus, iis rebus gerendis tribuit,quas in Silesia,Lusatia,& Marchia cōfecisse eum, memorauimus,& regno Boëmico dilatando foris, domi exornando collegiis canonicorum,& monachorum,institutione Academiæ Pragensis,ædificationibus,munitionibus.

Ottoni Bauaro, cui filiam desponderat,Marchiam ademit,circiter annū Christi, millesimum,trecentesimum,septuagesimum tertium,quòd sine masculæ esset sobole. Anno ab occupatione tertio, condidit in Marchia arcem, & templum,ad ostium Angriæ,seu Tanagri fluminis,qua scilicet in Albim effunditur Praga,ordinationeipsius,docere cœpit,circiter annum Christi, millesimum, trecentesimum,sexagesimum primum.

Itali scriptores,secundò, reuersum esse in Italiam, cum liberis,& coniuge,ac sedasse motus Hetruscos,perhibent, partim armis, partim iure,opera Bartoli Saxoferrati. celebris iurisconsulti, quem in honore, & precio habuit,anno Christi millesimo,trecentesimo,sexagesimo sexto. Nostri, profectionis illius,non meminerunt,sed id egisse eum,postremis annis,omni conatu referunt, vt ad Imperium Wenceslaum filium extolleret:cúmq; multum annixus esset,laboribus etiam, pro eo, Pōtifice Romano,& Cardinalibus:vix ægrè tamētandem suffragia elicuisse, sed non nisi Principum animis,multo expugnatis auro,quod de vectigalibus publicis diuenditis, atque ita reditibus Imperij venetis exhaustis, atque profusis in largitiones ambitiosissimas,confecit. Accidit hoc,anno millesimo,trecentesimo,septuagesimo sexto.

Eodem anno, Wenceslao coronato, desponsata est Iohanna,filia Alberti, ducis Bauariæ comitis Hollādiæ Hānoniæ,& Seelandiæ,&c. & a nouo rege,nouam consequatus est dignitatem, comes Bergensis, dux Imperij salutatus,quanquam à Carolo,beneficium profectum iudico.

Carolus voti compos factus, lætus de potentiato,quā ita amplissimum regnum, & summum Christiani orbis fastigium collocarat,anno sequente, Pragæ vitam finit,sexto

Calend.

Calend. Aprilis.

Anno Christi, milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

Anno mundi, quinquies milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo.

Imperij viceſimo octauo, numeratis annis ab obitu Guntheri.

Dignus fuerat laude, nî regnorum Boëmiæ, & Franciæ, quàm Imperij amantior: nî rei priuatæ, quàm publicæ, ſuæque poſteritatis, quàm maieſtatis Imperij amplificandæ, conſeruandęq; ſtudioſior: nî pecuniæ, quàm recti, iuſtíque fuiſſet auidior: & niſi maluiſſet ex diminutis potius paſſim, in Germania, & Italia, dignitatib. & opibus Imperij, alienatione regnorum, & publicorũ vectigalium, venditione immunitatum, conceſſione libertatum: niſi ergo ex his diminutis, & labefactatis potius, quàm adauctis, ac ſtabilitis, maluiſſet pernicioſa magis reipub. quàm ſuis vtilia, & tuta comparare præſidia, ad diuturnitatem, ac firmitatem: ſi denique, florente repub. ſuis etiam bene futurum, cogitaſſet. Quare ſequutum & hoc eſt, vt non tantùm in Imperio plurimis ornamentis, ac præſidiis ſpoliato, ſui non diu dominarentur, ſed poſteritas infortunata eſſet, & tandem intercideret.

Gratia tamen debetur conſtitutioni Carolinæ, cui acceptа ferantur plurima emoluмenta, quæ inde ad rempub. redierunt, neceſſe eſt. Excelluit ingenio, & doctrina, & multarum linguarum peritia, cõſuetudine doctorum delectatus eſt plurimum. In ſcholam Pragenſem, quam recèns fundarat, aliquando ingreſſus, cùm doctos audiuiſſet diſputantes in horas quatuor, ídque purpurati moleſtè ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent: Mihi, inquit, tempus eſt minimè: Nam cœna hæc mea eſt.

Vxores habuit plures: Primam Blancam, Valeſiæ comitem, filiam Caroli Valeſij, ſororem Philippi Valeſij, qui poſt in Francia regnauit. Hanc Carolus rex Francorum, vix ſeptennẽ, ei deſpondit, verſanti in aula. Ea mortua, nuptias contraxit cum filia Rodolphi iunioris, Palatini ad Rhenũ, quam Annam alij, alij Agnetem vocãt Sed coniugium fuit infœcundum, ac ſterile. Hęc maritum ſecuta eſt Romam, & ibidem coronata. Poſt huius mortem, tranſiit ad tertias nuptias, copulata ſibi, ſpe occupandæ Sileſię, Anna filia Bulconis ducis Suidnicẽſis, quę ad eum, dotis loco, Sileſiæ partem, conterminam montibus Boëmicis, attulit.

Ex hac natus est Wenceslaus. Postremam, tertia defuncta, coniugem sibi despondit Elisabethen filiam Bugislai ducis Stetinensium, consobrinam Ludouici regis Vngariæ, neptem Casimiri regis Poloniæ, qua cum celebrauit splendidissimas, & magnificentissimas nuptias Cracouiæ, cohonestantibus, publicos, ac solēnes ritus, regibus Poloniæ Casimiro, Vngarię Ludouico, Danię Woldemaro, Cypri Petro. Anno millesimo, trecentesimo, sexagesimo tertio. Hæc peperit ei Sigismundum.

Inter filios, hæreditatem, in hunc modum, est partitus, Vvenceslao regnum Boëmiæ, Sigismundo quinquenni puero, marchiam Brandeburgensem, Iohanni natu minimo, Gorlicium Lusatiæ attribuit, adiūctis aliquot vicinis oppidis. Sigismundo, mater confecit nuptias Elisabethæ, filiæ Ludouici regis Vngariæ, impetrato in dotem regno, consensu vtriusque regis, patris Caroli, & Ludouici, ne inferior esset opibus, & potentia Vvenceslao.

Filiæ Caroli recensentur plures, sed sine discrimine, vt non certò constet, quę quibus sint natæ matribus. Catharina collocata fuit Rodolpho quarto, Austriaco: Elisabeth Alberto tertio Austriaco, fratri Rodolphi: Margareta Ludouico Vngariæ, & Poloniæ regi: Elisabetha altera, Iohāni Galeacio Mediolanēsi: Margareta altera, Iohanni Burggrauio Noribergensi: Anna Ottoni Bauaro, marchioni Brandeburgensi: Helena, regi Angliæ.

In Geldria nominabatur, hoc seculo, Reinaldus comes, è prosapia Nassaëńsi, vt dixi, cui, Ludouici Bauari beneficio, contigit gradus dignitatis superior, inter principes, vt pro comite, ducib. assideret, & æquaretur honoribus. Sed posteritas mascula, ex eo, nō diu fuit superstes. Defecit enim in filio Eduardo, cuius sororem, Reinaldi filiam, Mariam, cùm duxisset in vxorē Wilhelmus, Iuliaci comes, & dotalium nomine, traxisset Geldriam ad sese, litem ei mouit Cluensis. Sed præcessit Iuliacensis possessione, & iure, & quia cum ipso, & fratre Reinaldo, stirps interit, noua mox contentio de Geldria, & Iuliaco exorta est, inter Arnoldum Egmondanum, & Wilhelmum ducem Bergensem, atque huius filium Gerardum. Bergensis, agnationis vinculo, attingebat fratres Iuliacenses Wilhelmum, & Reinaldū. Aui enim Gerardus, & Adolphus, copulatos à maioribus Iuliaci, & Montis comitatus, primi rursus diuiserant, vt ille Iuliaci, hic Montis comes esset, & diceretur. Egmōdani auia, eorundem soror erat. In hac contentione, vicit Wil-

Wilhelmus Montensis, seu Bergensis, potitus vtraque terra. Sed Gerardo filio, deinceps Geldriam rursus eripuit Egmondanus, cui cùm esset Gerardus impar, cessit ius suũ Carolo duci Burgundiæ. Hæc concessio attulit Burgundo aditum ad Geldriam, cum quodam iuris prætextu, quo vsus est Carolus V. Imperator, Egmondana stirpe, in Carolo duce Geldriæ, extincta, qui fuit Arnoldi nepos.

Cliuia, paulò post hęc tempora, peruenit ad comites de Marca, ex perantiquo sanguine comitum de Altena, & de Monte, quos in dignitate, & regione primus collocauit Henricus Auceps. Conditorẽ stirpis celebrant Adolphum, qui filios habuit Eberhardũ Montis, Adolphũ Marcæ comitem. Sed Eberhardo in monasteriũ ingresso, Adolphus comitatus iterum coniunxit. Eosdem diuulsit rursus diuisio nepotum, Eberhardo Marcæ, Engelberto Montis comitatum sortito. Engelberti stirps, in abnepote desiit, cuius soror, nupta comiti Iuliacensi, dotis loco, in eam familiam adduxit comitatum Montis, seu Bergẽsem. Eberhardus alter frater, propagauit familiam, de qua, qui hodie supersunt, terras Iuliacensem, Cliuensem, Bergensem, ducum titulo & dignitate, coniunctim possident, & gubernant, quod ita accidit.

Cõiunctos Iuliaci, & Montis comitatus, diuiserunt rursus abnepotes illius, qui primus coniugio eos copularat, scilicet Gerardus, & Adolphus fratres, vt ille Iuliaci, hic Montis comes esset. Gerardi nepotes Wilhelmus, & Reinaldus, quos Geldria etiã potitos diximus, mutato statu, in superiorum traducti ordinem, Ludouici Bauari authoritate, pro comitibus marchiones, & mox deinceps, Caroli quarti sentẽtia, pro marchionibus, duces Imperij esse cœperunt. Contigit idem beneficium Wilhelmo, & Adolpho, fratribus Bergensibus, Adolphi nepotibus, à Carolo, vel, vt alij volunt à VVenceslao, vt fierent duces Imperij. Fratre Adolpho, & patruelibus extinctis, rediit hæreditas omnis ad vnum Gerardum, de quo dixi, cui litem intendit Egmondanus. Huius Gerardi, ex filio VVilhelmo, neptis Maria, deinceps, cùm stirps masculina nulla superesset, hæreditatem eandem attulit, dotis loco, ad Iohannem Cliuiæ ducem, è comitibus Marcæ, patrem VVilhelmi, qui adhuc est in viuis.

Nunc ad Cliuiæ ducatum reuertor. Is numerat, longa serie, vetustissimos eiusdem familiæ maiores, inde vsque à Francicis temporibus. Postremi ex ea stirpe, Theodoricus,

Iohannes, & Otto, inciderunt in hæc Caroli quarti tempora. Extinctis illis, absque hęredibus masculis, contenderunt inter se de comitatu Cliuensi, tres familiæ, propter matres, & coniuges: inter quas, fuit & familia comitum Marcæ. In ea, comitatū ambierunt fratres duo, Adolphi filij, ex Eberhardo stirpis conditore, Engelbertus, & Adolphus, qui erat euocatus ad Episcopatum Coloniēsem: sed prouinciales, & fratri Engelberto, & cæterarum familiarum cognatis proceribus, prætulerunt Adolphū, Imperatore consentiente. Ita comitatus Cliuiæ, primò sub comites de Marca redactus, mox, annitente Imperatore Sigismundo, conditionem etiam mutauit, comite nouo, in locum exaltato eminentiorem, inter princeps.

Burgundia, Brabantia, Lucelburgum, & Hollandia in hunc deuenerunt statum.

Burgundiam tenebat Philippus audax, frater Caroli V. regis Franciæ, donatus ea à fratre, cùm antea esset dux Turonum, vt ea occasione conciliaret ei nuptias Margaretæ Flandricæ: peruenerat autem ad Iohannem, Philippi patrem, morte Ottonis ducis Burgundiæ: Flandriam Ludouicus comes vltimus: Brabantiam, & Lucelburgum Wenceslaus, Caroli quarti Imperatoris frater: Hollādiam, ac vicina loca, Albertus, Ludouici Bauari filius.

De Brabantia contendebant Wenceslaus Lucelburgensis, & Ludouicus comes Flandriæ; quòd vterque esset gener Iohannis tertij Brabantini. Etsi autem adiuuabatur a fratre Carolo Wenceslaus, vicit tamen Ludouicus, & retinuit Brabantiam: Wenceslaus, cum vita, ducatum amisit. Huius Ludouici filia Margareta, deinceps ad Philippū audacem attulit Flandriam, Artesiam, comitatum Burgundiæ, Niuernam, Rethelinum, Salinas, Mechliniam.

Philippo audaci, nati filij Iohannes, Antonius, Philippus, Iohanni, ex partitione, obuenerunt Burgundia, Flandria, & Atrebates: Antonio Brabantia, & Lucelburgum: Philippo Niuernia, & Rethelinum; Antonio prima vxor erat Iohanna, filia vnica, & hæres Valeriani Lucelburgensis. Ex hac nati ei filij duo, Iohānes dux Brabātiæ, & Lucelburgi, fundator Academię Louaniēsis, & Philippus comes S. Pauli, & Ligniaci. Altera eidem vxor erat Elisabeth, filia Iohannis ducis Gorlicensis, fratris Imperatorum Wenceslai, & Sigismundi, propter quam fœminam, iidem Imperatores reliquerunt, & confirmarunt ei possessionem ducatus Lucelburgensis, ea conditione, vt Antonius, & eius liberi eum possi-

possiderent. Ita sub Burgundos redactæ sunt Brabantia, & Lucelburgum, vbi olim, tempore Francorum, fuit ducatus ad Mosellam.

Inter filias Philippi audacis, Margareta nupta Wilhelmo Hollandię, Hannoniæque comiti, Alberti filio, peperit ei vnicã filiam Iacobam; quæ nuptui data Iohanni Aquitaniæ principi, Caroli sexti Franci filio, & post huius fata Iohanni Brabantino, Antonij filio, cùm nullo partu mater fieret, aditum patefecit propinquis suis Iohanni Burgundo, marito Margaretæ, filiæ Alberti Bauari, quæ VVilhelmi patris soror erat, atque huius filio Philippo bono, ad Hollandiam, Seelandiam, Hannoniam & Frisiam. Hæc monuisse hoc loco sufficiat.

VVENCESLAVS CAROLI quarti Filius.

BOëmorum annales, VVenceslaum natum esse, memorant, quarto Calend. Octobris, anno millesimo, trecentesimo, sexagesimo primo, Noribergæ. Ea enim vrbe delectatum ferunt Carolum patrem, quod monumenta ostendunt, inter quæ præcipuum est, vrbs ipsa, à Carolo restituta, in tranquillum, ex seditionibus longis, quibus penè funditùs fuit perdita. Mater doloribus partus extincta est. Ipsum & cùm baptizaretur, aquam baptismi, & cum bimus iam cingeretur diademate regio, aram cœno suo conspurcasse; & dum aqua adhibenda baptismo calefit, Pastoralem domum, ad D. Sebaldum, exarsisse, fama est: quod sapientes ita sunt interpretati, futurum eum stolidum, ignauum, voluptuarium, sordidum, luxuriosum, Imperio dedecori, & exitio. Norici annales, tempus natalium, ad diem decimam septimam Martij, referunt.

Anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo sexto, biennio scilicet, ante obitum patris, annos natus quindecim, successionem in Imperio obtinuit, cunctis, sed coëmptis multo precio, imo penè extortis, non liberis suffragiis. Adfuerunt electioni Ludouicus præsul Moguntinus, è stirpe marchionum Misniæ, Fridericus Colonienfis; Cuno Trenirensis, Rupertus Palatinus ad Rhenum, VVenceslaus dux Saxoniæ, & Sigismundi fratris, marchionis Brandeburgici, legati. Sexto ab electione die, coronato ei Aquisgrani, desponsata est Iohanna, filia Alberti ducis Bauariæ, comitis Hollandię, Hannonię, Seelandię, quæ, sexto anno post nuptias, interiit, consumta dolore, propter mariti flagitiosos, ac perditos mores.

Nihil fuit in eo hominis ſimile, præter ſpeciem, quanquam & ea fuerit diſtorta, atque deformis, Theſiti, quàm principi ſimilior. Ingenio fuit hebeti, ac ſordido, nullarum rerum, niſi voluptatum, intelligente: animo non à repub. tantùm, ſed penè ab omni honeſtate alieno, ac timido, & ad immanitatem vſque, ſæuo, ac truculento: ταῦ γὰρ ἦθος φοινικοῦ καὶ ψοφοδέες. Corpore iguauo, neque ad vllam aliam rem, quàm ad obſcenas, ac turpes crapularum, helluationum & libidinum voluptates, ſi modò his voluptas ineſt, idoneo.

Adminiſtrationem, & curam regni paterni, & Imperij, tanquam ad ſe non pertineret, ita neglexit, vt cùm latrociniis infeſta redderentur itinera, & graſſatoribus impleretur Boëmia, paſſim verò in ciuitatibus, ſeditiones exorirentur, inſurgente aduerſus magiſtratum, inſana plebe, ipſe tamen aliud ageret nihil, niſi volutaret ſe, porcorũ ritu, in cœno vitæ flagitioſiſſimę, qua, cũ neceſſe eſſet incurrere in odia ac reprehenſionem, & afferre contemtũ, addebat turpitudini crudelitatem, vt metũ iniiceret iis, quos ipſe metuebat, & amoliretur inſidias, quas ſtrui ſibi initio ſuſpicabatur, deinde reipſa experiebatur. Nec ſatis illi erat ſupplicio affeciſſe, quos metuebat, ſed ſua manu, vel ad menſam, iugulabat multos, quaſi per ludum, & iocum, præſidium ratus principi fi mius, barbarorũ ſtipatorum agmen, quàm beneuolentiam ciuium. Cúmque numeroſo ſe muniret ſatellitio, ex Germanis, Boëmiſque, hos ipſos tamen ſæpè mutabat, quod nemini ſatis fideret, inſidiarum metu, quas effugere tamen non potuit. Captus enim à ſuis, & in tetro carcere, totos mẽſes quatuor, cuſtoditus, vix multis regum ac principum interceſſionibus impetrauit, vt ſemel ei ad ſqualorem, & ſordes corporis abluendas, balneum ingredi concederetur, ex quo Ambubaiæ opera, ceu refrigerandi corporis cauſſa, ad vicinam ripam fluminis, quod Pragam interlabitur, traductus ex compoſito, conſcenſa cymba, Ambubaia remigante, euaſit.

Sed redit ad ingenium, & memoria carceris, ac vindictæ cupiditate, magis exaſperatus, ſæuiit in ſubditos atrociùs quàm antea, nactus etiam idoneos ſæuitiæ miniſtros. Hac tandem irritati ſubditi, acceſſuerunt Sigiſmundum fratrẽ, qui recèns extruſo æmulo, Carolo Neapolitano, ſeſe in regno Vngariæ, armis, & ſuppliciis aliquot infidorum procerum, confirmarat, ad quam rem cum ſumptus defuiſſent, oppignorarat marchiam Brandeburgenſem, patruelibus

busIodoco,&Procopio,Morauiæ marchionibus.Sigiſmũdus ergo præpoperè ingreſſus Boëmiam, regno occupato, fratrem abduxit, & cuſtodiendum dedit Alberto Auſtriaco: quòd cùm indignè ferrent Iohãnes frater,& Procopius patruelis, comparatis copiis,ad illum liberandum, irruperunt in Boëmiam, ſed illo fruſtra quæſito,cùm traductum eſſe Viennam,cognouiſſent,retroceſſerunt.

Euaſit tamen Wenceſlaus, adiutus opera,& conſilio piſcatoris cuiuſdam,& reuerſus Pragam,mendici habitu,arcéque recepta, mox regnum etiam recuperauit. Arcem tali ſtratagemate obtinuit. Mendici ſpecie,in arcem præſidio firmatam,irrepſit,móxque cuſtodibus conſilio patefacto,ope eorum, præfectum oppreſſit, & eundem coëgit, literis anulo ſuo obſignatis, præcipuos vrbis, ac regni proceres euocare in arcem, tanquam ad communem deliberationem, hos deprehenſos, crudelibus ſuppliciis interemit.

Receptoregno, vt diluceret conflatam inuidiam,affinitate noua, & res dubias ſtabiliret, duxit in vxorem Sophiam, filiam Iohannis ducis Bauariæ. Sed nihilo factus aut melior, aut mitior, aut excitatior, quo vſus eius in gubernatione nullus eſſet, Electores communi conſenſu, Imperium ei abrogarunt, anno viceſimo ſecundo, poſt Caroli patris obitum. Reliquum ætatis exegit in regno ſuo,iis moribus,quibus conſueuerat.

Peruenit ad annum ætatis quinquageſimum ſeptimum. Interiit correptus apoplexia,ex conſternatione, & excandeſcentia, cùm prandenti nunciatum eſſet, populum Pragenſem, obtruncato per ſeditionem, Senatu, ad arcem etiam accurrere; & præguſtator,ſe illius rei non ignarum eſſe oſtendiſſet.

Iohannem Galeacium Vicecomitem Mediolanenſem, nouo honoris titulo cohoneſtauit, & primum Mediolani ducem,ſceptro pileóque, eius dignitatis inſignibus,per legatos tranſmiſſis,appellauit;vrbe,ditionéque, grãdi pecunia vendita,in Imperij fraudem ac detrimentum, additáque poteſtate, vt in hæredes transferre poſſet; cùm ante Iohannem, vicarios præſides tantũ egiſſent, maiores eius, beneficio Imperatorum, quibus eam dignitatem,& adminiſtrationem tribuere,quibus vellent,liberum erat.

Incommoda neglecti Imperij ſenſit Germania,multis in locis turbata,& quaſſata bellis ciuilibus.Vrbes Heluticas enim duces Auſtriaci: Sueuicas Wirtebergenſes,& vicini

comites,hostiliter exagitabant; conatus hi principum,& comitum,necessitatem attulerunt vrbibus, ad faciendum, defensionis suæ caussa, inter sese fœdus. Helueticæ octo: Sueuicæ plures sese coniunxerunt.

Cõtra Heluеticas,Leopoldo tertio Austriaco,opem ferebant multi comites illorum locorum, vrbibus infensi, multi ex ordine equestri, quibus non expediebat ciuitates nimis esse potentes, aut opulentas, aut libertate nimia frui. Allegabat verò Leopoldus, quędam vetera iura domus Austriacæ, quæ integra, & inuiolata restitui, atque seruari sibi in illis ciuitatibus, postulabat; & paulò ante, Carolus quartus, componere controuersias tentarat, sed laborarat frustra.

Proxima belli ἀφορμὴ inde extitit, quud Leopoldus comitem Kiburgi armarat,& adiuuerat cõtra ciuitates. Leopoldus contemtu hostium, audaciùs,& incautiùs in prælium iruens, magna strage victus, ad Sempachium cecidit,anno millesimo, trecentesimo,octogesimo sexto,nona die Iulij.Hæc victoria, Heluetiis & animos & opes auxit, hostes fregit, qui & fortunæ & ferociæ ciuitatum cedentes, paulatim demittere sese, ad æqualia iura,ac coire cum eis,cœperunt.

Sueuicæ ciuitates, cum Wirtembergensi conflixerunt, ad Reutlingam vrbem, anno millesimo, trecentesimo,septuagesimo septimo, proximo scilicet ante Caroli quarti mortem, eo cuentu, vt victoria cesserit ciuitatibus, & ceciderint in exercitu hostili, comites tres: ex ordine equestri septuaginta duo, inter quos fuerunt aliquot Barones. Etsi autem altero à conflictu anno, bellum transactione sopitum fuit,tamen neque concordia esse diuturna potuit: ὁ γὰρ δυνατὸν λέοντα καὶ πρόβατα ἐμῶ ποιεῖσθαι πολὺ ἔπαυλιν, cùm vtriusque vtrobique omnia, quæ fierent,& acciderent, suspecta essent, & ex odio proficisci, opprimendi alterius caussa,censerentur.

Recruduit itaque bellum, Wenceslao Imperij curam negligente. Sueuicæ ciuitates,in societatem belli,traduxerant Rhenanas: Wirtembergẽses,Bauaros. Multum vtrinque datum acceptúmque damni est, donec tandem,congressis vtrisque, ad Villam oppidum, victoria rediit ad Wirtembergenses, sed cruenta admodum. Desiderati sunt enim in exercitu eius, quatuor comites, & ex ordine equestri,sexaginta, præter gregarios milites,quorum magnus numerus interiit.

Inuentum

Inuentum, hoc ſeculo, tradunt, in generis humani perniciem, illud ferale bellicorum tormentorum genus, quod bõbardas, à ſonitu, vocamus, Monacho miniſtro, & fabro, Diabolo architecto, vt cùm labaſceret paulatim authoritas inſanæ ſuperſtitionis, quæ, his authoribus, faſcinatas hominum mentes, præcipitarat in exitium æternum, ſuccederet, iiſdem authoribus, aliud mali genus, quod in corpora ſæuiret, ſed in mutuam perniciem, horribili furore hominum inſtructum, atque depoſitum.

DE ECCLESIA.

INcidit, in Vvenceſlai Imperium, annus milleſimus, quadringenteſimus, quo, inſtituto Romanorũ Põtificum, vt quouis centeſimo, pro ludis ſecularibus Ethnicis, qui Romæ, erant monumentum annorum, ab vrbe condita, celebratus eſt annus Iubilæus, ἐνιαυτὸς Iubilæi Iudaici, cuius finis erat politicus. Non enim hoc ſine inſtitutus erat, vt obſeruatio exiſtimaretur eſſe cultus Dei, ſed proderat ad docendos homines, de mundi temporibus. Singulari enim conſilio, diſtinxit Deus tempora, ordinauit dies, menſes, annos, & multa menſium, & annorum diſcrimina, quia vult intelligi diſcrimen inter æternitatem, & huius mundi tempora. Vult ſciri hunc mundum, liberrimo conſilio, conditum eſſe, nec ſemper fuiſſe. Vult in Eccleſia notam eſſe ſeriem annorum, vt ſciamus, quo ordine, quibus modis ſe patefecerit, & promiſſiones, ac legem ediderit, & quando venturus fuerit Meſſias, vt fieret victima, & quæ ſit vltima ætas generationis humanæ, poſtquam Filius Dei, in Eccleſia reſuſcitata, triumphabit.

At obſeruatio anni quinquageſimi, quẽ Iubileũ vocabãt, valdè illuſtris fuit, quia, ad colligendos annos, & centenarios, commodior numeratio eſt, per quinquageſimum, & ad memoriam firmior, quàm aliæ partes centenarij.

Doctrinæ cauſſa itaq; inſtituta erat, & addita erant beneficia politica, vtilia ad conſeruationem illius honeſtæ politiæ, quibus cauebatur, ne, ex nidulis ſuis, prorſus eiicerentur homines honeſti, quod, in qualibet politia, ad familiarum conſeruationem, vtile eſt. Nec ſolùm pauperibus conſuluit Deus, reſtitutione fundorum, ſed etiam reſtrinxit mutationes, & venditiones. Non poterant fundos prorſus transferre, homines prodigi. Erant igitur pauciores emtores. Nec multi dabant mutuò, cùm fœnus accipere à ciuibus non liceret.

Hanc Iudaici Iubilæi obſeruationem imitari Pontifices

similem introduxerunt in Ecclesiam, non alicui politico vsui seruientem, sed accommodatum superstitioni, & auaritiæ sedis Romanæ. Finxerunt enim indulgentias, vt vocant, quæ sunt relaxationes pœnarum canonicarum. Has se, professi sũt, vberrimas largiri, ac distribuere in Iubilæo. In hoc commento, cùm multa essent tetra mendacia, & impostura manifestæ, præbita causſa est, vt alio tempore, aliis viris bonis, & sincerę pietatis amantibus: ita, ea ætate, eruditionibus in Academia Pragensi quæ Caroli quarti consilio, & authoritate, velut colonia, ex Parisiẽsi, deducta, florebat omni doctrinarum genere, & eruditionum frequentia: his ergo causſa præbita est, de manifesta indulgentiarum vanitate disputandi.

Sed antecessit cæteros, doctrinæ, ac pietatis fama, & nominis claritate Iohannes Hus Boëmus. Hic à doctrinę, ingenij, & eloquentiæ adiumẽtis, cæteris instructior, acerrimè oppugnare eas, atque conuellere cœpit, ostendens, vnicam esse remissionem peccatorum, quæ accipiatur ministerio vocis Euangelij, & fide, quocunque tempore: & a fiduè Iubilæum esse, in conscientiis piorum, luctantium cum pauoribus, qui fiducia Filij Dei, vincunt pauores, & læti inuocant Deum, sperant, & expectant auxiliũ, & integram liberationem, ac restitutionem naturæ humanę, in statum pristinum innocentiæ perfectæ, quæ erit in vita æterna, in illa cœlesti patria, à qua, in hac vita, exulamus: Inchoari tantum Iubilæum nostrum in hac vita, & futurum integrum, in æterna consuetudine, cum Filio Dei, vbi prorsus liberi erimus à peccato, à morte, & omnibus miseriis.

Pœnas canonicas verò, nec remissionẽ culpæ mereri, nec pœnarũ æternarum, nec purgatorij, nec aliarum calamitatum, quibus Deus homines, in hac vita, punit. Fuisse initiò, in Ecclesia, spectacula quædam, quibus recipiebantur poluti manifestis sceleribus: sed hæc spectacula nil pertinuisse ad remissionẽ peccatorũ, coram Deo, sed fuisse instituta exẽpli causſa, ac deinceps, superstitione, creuisse statim, in veteri Ecclesia, ita, vt deinceps, cùm onus fieret immodicũ, oportuerit excogitari relaxationes, quas vocarunt indulgẽtias. At indulgentias præsentes, prorsus esse imposturas, siquidem relaxationes sunt rituum, alioquin extinctorum. Nam & satisfactiones fuisse superstitiosas, atque improbandas, & paulatim, per sese, tempore, consenuisse.

Ab his initiis, Hussus paulatim progressus, in tyrannidẽ pon-

pontificiam, velut caput cauſſæ; inuehi cœpit; detracto, ſedi Romanæ, titulo Eccleſiæ. Reprehendit auaritiam; luxũ; ſuperbiam ſacerdotum: reiecit vota, impurum cælibatum; ſuperſtitiones, commenta, omnem quotationem vitę monachorum, & quicquid fuit, in ritibus eccleſiaſticis, impium, atque à norma, & analogia fidei, diſſonum, ac diſcrepans, vt mutilationem Cœnæ Dominicę, cultum, & inuocationem ſanctorum; adorationem imaginum, & ſtatuarum; conſecrationes magicas olei, ſalis, aquæ, & rerum ſimilium, enumerationem omnium delictorum, in confeſſione priuata; ſatisfactiones, extremam vnctionem. Miſſarum celebrationem, & Miſſas, ac pſalmodias, pro animabus defunctorum, &c. ac plura alia.

His concionibus Huſſi, commotus populus flagitare cœpit emendationem Eccleſiarum, quam cùm rex ignauus nec vellet, nec poſſet præſtare, ſuſcepta illa fuit à priuatis: ſed, vt fit, non eo, quo conueniebat, modo, & ordine. Ad arma enim tandem deuentum eſt. Etſi autem euentum, Huſſus, præſtare non potuit, tamen piè, & rectè fecit, quòd demonſtrata impudentia, & vanitate impoſturarum pontificiarum, ſtuduit, populum liberatum a tyrannide ſuperſtitionum, reuocare ad fontes ſacros, & normam fidei veriorem, ac ſaniorem, traditam in ſcriptis Prophetici, & Apoſtolicis. Nec, quòd motus maiores ſequuti ſunt, culpa Huſſi factum eſt, ſed illorum ſcelere, & malitia, qui curſum renaſcentis doctrinæ purioris, vi, & armis impedire ſunt conati.

Initium diſputationũ harũ fecerat, paulò ante, Wicleffus in Anglia, circiter annum milleſimum, trecenteſimum, ſeptuageſimum ſecundũ, cuius exẽplo, Huſſus inuitatus, fontibus accuratiùs inquiſitis, & conſulta antiquitate ſinceriore, ita ſe confirmauit aduerſus tyrannidem ſuperſtitioſam pontificum, & ſuperſtitionem rabioſam monachorum, vt quidquid ab his produceretur, id omne; authoritate teſtimoniorum cœleſtium, protinus configeret.

Diſſipata eſt, his certaminibus, Academia Pragenſis, quãquã & aliæ acceſſerunt contentiones, natæ ex æmulatione, inter Germanos, & Boëmos. Carolus enim, Germanos honoribus, dignitatibus, immunitatibus, iure, & numero ſuffragiorum, prætulerat Boëmis. Ea res odia peperit, & diſſidia, vt hoſpites exagitarentur ab æmulis indigenis. Sed in certationibus, de religione, Huſſo cauſſa pariter, & patrocinio cauſſę, ſtudio ité, fauoréq. & applauſu populi, Ger-

mani,qui pro Pontifice propugnabant, lõgè erant inferiores. Idcirco cesserunt,seque,magnis agminibus,contulerũt aliqui Erphordiam,aliqui Lipsiam. Nam hæ duæ Academiæ,ex ruina Pragensis,prodierunt. De Hussо infra plura.

Pontifices Romani verò, vsurpatã,multis seculis, in Imperatores rabiem,tandem in semetipsos, & viscera sua, cõuerterunt,cùm dissidentes cõsiliis, & voluntatibus,purpurati plures Pontifices designarent,qui, quod armis nequirent , execrationum telis sese,inter se mutuo , sunt persequuti,concitatis simul regibus orbis Christiani, & mutuo odio inflammatis. Cardinales Italici,vt reductis in vrbem Pontificibus,amissum Imperium recuperarent, & incẽdia seditionum assiduarũ restinguerent, ad gubernacula collocarunt Vrbanum sextum,sed ea conditione,vt maneret in vrbe: Gallici,ne,de possessa annos septuaginta, dignitate,penéque in potestatem suam redacta,in discrimem venirent,huic Clementem septimum opposuerunt. Vrbano adhæserunt Italia,Germania,& Pannonia: Clementi Gallia,Hispania,& Britannia.

Certatũ inter hos est variè,sed diris præcipuè,& execrationibus,redituum interceptione,sęuitia in eos,qui aduersis partibus studuissent. Clemens,eò vsque truculẽtię processit,vt ne legatis quidem Imperatorum,& principum pepercerit qui missi erant, vt hortarentur eum ad concordiã. Quosdam enim carceribus , quosdam equuleo excruciatos,necauit. Non cessit Clementi æmulus Vrbanus,natura immitis,asper & turbulentus : qui periculo maximo Romæ ereptus,cùm saluus Genuam euasisset, quinque Cardinales,Nuceriæ captos,insui in culeos, & demergi in mare,iussit.

Vrbano extincto, datus successor Bonifacius nonus: Clementi,Benedictus tertius decimus. Hi,& qui vtrumque sequuti sunt,suo loco,nihilo mitiores , exercuerunt,inter se, inimicitias,donec & cardinales,congregato concilio Pisano,duobus,Gregorio duodecimo Italo,& Benedicto Gallo,pontificatum ademerunt,creato tertio, Alexãdro quinto,cui citò mortuo,suffectus est Iohãnes vicesimus tertius, vt,pro vno,tres essent,& magnitudo malorum,quæ,ex his contentionibus,redundarunt in orbem Christianum, cogeret Sigismundum Imperatorem quærere,& adhibere remedia,vt dicetur.

Hæc scilicet cura exercuit Pontifices,his postremis temporibus. Sed & Bonifacius nonus , primus onus annatarũ,

vt vocant, ordinibus ecclesiasticis imposuit, scilicet, vt qui beneficium Ecclesiasticũ consequeretur, dimidium annui prouentus penderet fisco Romano. Sunt tamen, qui institutum hoc, Iohanni vicesimo secundo tribuunt. Onus ipsũ etsi præter Anglos, recepere omnes: Germania tamen non nisi in ea beneficia admisit, quę immediatè pendent, & conferuntur à Pontificibus.

Sed aucupium fuit astutè cogitatum, ad emungendas, & exugendas orbis Christiani prouincias, & opes comparandas, quæ luxui, & splendori aulæ Romanę, quæ bellis ciuilibus accendendis, ac trahendis sufficerent. In eã enim curã solam intenta fuit, ac defixa omnis Pontificũ solertia, atque industria. Etsi autem Synodi crebrę coactę sunt, nunc Cardinalium, mox Pontificum factionibus: nullę tamen, in his, de doctrinæ repurgatione, de emendatione iniustarum legum, & vitiosorum morum, de instauratione disciplinæ collapsæ, fuerunt institutæ deliberationes, quas homines pij, vbique locorum, gemitibus, & votis assiduis, desiderarunt, sed tantùm de ambitione, opibus, & certaminibus inter se Pontificum.

IODOCVS BARBATVS, MARCHIO Brandeburgi, & Moraviæ.

IOdoco nulla res commendationem attulit, ad Imperiũ, quàm familia. Natus enim fuit, patre Iohanne Henrico, Caroli quarti fratre. Electum hunc ferũt fuisse, VVenceslao abdicato, non cunctis suffragiis. Palatinus enim, & Saxo accedere recusarunt: sed à solis Episcopis, & Sigismundo patruele, qui, per legatum Burggrauium Noribergensem, suffragium tulit. Coronatus non est, neque edidit aliquid memorabile, toto vitæ tẽpore, nisi quod Procopio, fratri minori, hæreditatem eripuit, ad quam armis repetendã, cùm, auxilio Sigismundi, & Alberti Austriaci, Procopius rediisset, frater, illis, veneno, in discrimen vitę coniectis, sese hoc modo, ex difficili bello, explicuit. Albertum enim, vis veneni sustulit: Sigismundum ita afflixit, vt abscedere, re infecta, sit coactus.

Eundem, cùm mox ab electione, VVenceslaum Boëmiæ regem, patruelem, visitatum venisset, abduxit rex in penitiorem ædium partẽ, atq. in hunc modũ allocutus est: Etsi scio non esse è dignitate mea, quòd Electores Imperij, me regno abdicarunt: solatio tamen est, quòd familiâ nostrâ hoc decus nõ excidit. Ego te libens, volénsque successorem mihi datum, accipio. Cúmque Iodocus, his verbis

territus, ad regis genua procubuisset, ac sibi nihil imputandum diceret, quod earum rerum omnium ignarus esset: Pone metum, inquit. Nam neque Imperium inuitus depono, neque, si retinere illud cupiam, iura sanguinis violare ausim. Bono itaq. animo esto, Imperiumque, tibi demandatũ, suscipe: mihi mea satis est Bohemia Viribus, armis, opibus regni mei, tanquam tuis, vt libet, vtere: lætúmque, & donatum nepotem à se dimisit. At ille sex tantùm menses superuixit, Brunę in Morouia, regio titulo, sub insignibus Imperij, conditus.

RVPERTVS BAVARIÆ DVX, comes Palatinus ad Rhenum; Imperij elector.

INauia Wenceslai, caussa extitit, magnorum malorum, domi, foriſque: auxit. n. licentiam, in vtrisque. Germanis, & Italis. Sed motib. fuit obnoxia maioribus. & pericula pertulit grauiora Italia, iam longo tempore, diris seditionibus & cruentis ciuilibus bellis, exagitata.

Iohannem Galeaciũ Vicecomitem Mediolanensem Wenceslaus Imperator, vt dixi, nouo honoris titulo honestatũ, ornatúmque sceptro, & pileo, eius dignitatis insignibus, appellarat ducem Mediolani. Erat is vir ambitionis inexplete, & sæuus, vt qui Barnabam patruelem, cum filiis, in carcere, fasclis veneno oblitis, necarat, & cùm opes possideret formidandas, subnixus fiducia aspirantis fortunę, nõ obscurè regnum totius Italiæ affectabat. Scaligeris enim Veronam, atque Vincentiam adempetat. Carrarien sib. Patauium, Francisco seniore, in Modoetianum carcerem cõiecto. Preterea Tarui sium, Feltrium, Bellunum, montanáque oppida, cum Tridento, in potestatem redegerat. Cęteris formidinem iniecerat tantam, vt Perusini, & Assisiates ad eum à Pontifice deficerent. Senenses, tædio incertæ libertatis, ad eius authoritatem, sequuti finitimos Pisanos, se contulerant, odio tamen magis, & metu Florentinorum quam studio erga ipsum. Nec Lucenses Imperium eius abnuerant. Quare Florentini, qui antea confisi auxiliis Pontificum, & Iohannæ reginę Neapolitanæ, Barnabam patruum, vario belli euentu, oppugnarant: hi ergo perculsi metu, non obscurè, contra potentem hostem, bellum, quacunque poterant, concitabant, Romæ & seditiones ingrapescebant, & nata, inter Cardinales, schismata, ex dissidiis, de Pontificum electione, gliscebant.

Quod ergo Imperatorem non bello tantùm acrem, sed &

& consilio promptum, & circumspectum, ac prouidum, vtraque prouincia requireret, & de Wenceslao, desidia, luxu, & voluptatibus obtorpescente, spes reliqua nulla esset: Principes Electores, rebus laborantibus succurrendum rati, quod necessitas id exigeret, Francofurti, mēse Maio, anni millesimi, quadringentesimi, deliberato consilio rebus communibus præfecerunt Fridericum ducem Brunsuicēsem, natum Magno Iuniore, & Catharina, filia Woldemari marchionis Brandeburgensis, postremi ex stirpe Ascania, principem bellicosum, & prudentem. Sed Moguntinus præsul, ex concepto quodam, erga illum, odio, cæteris aduersatus, ne arma, occupandi Imperij caussa, expedire posset, in reditu à comitiis, eum ad Frislariam, insidiosè, ac perfidiosè circumuentum, & oppressum, per comitem Waldeccensem, interemit, die quinta Iunij.

Fuerunt, in Friderici comitatu, Rodolphus dux Saxoniæ, & Sigismūdus Princeps Anhaltinus, qui pro se ipsis, & Imperatore, acriter puguarunt. Sed Rodolphus captus est. Sigismūdus, aliquot inuasoribus, sua manu, iugulatis, euasit.

Hoc atrox, & parricidiale scelus Moguntini, & in præsentia magnas concitauit turbas. quæ, necessarios Principum Electorum congressus, atque consultationes, aliquandiu remoratæ sunt: & renouauit, in irritatis animis, memoriam veterum molitionum, quæ ex hoc loco, authoribus Episcopis, structæ, in detrimentum, atque perniciem patriæ, subinde aliquid pepererunt mali, perfecitque, vt multa in præsulem Moguntinum, dira sed iusta iacerentur conuitia, mula inferrentur, subditis illius, damna, ab Henrico, Friderici fratre, & retexerentur, serie quadam, pene sopita vetustate crimina maiorum. Natum tunc ferunt, ac diuulgatum παροιμιακὸν illud: Moguntia ab antiquo nequam, his occasionibus. Repertum enim tradunt, ad limen Basilicę cathedralis, lapidem, cum hac inscriptione. Verte, & inuenies. Hunc lapidem, noctu, à quibusdam inuersum, mane, spectantibus, altera parte, illud Moguntiæ encomion, exhibuisse. Sed antiquius multo esse, docent repetita monumenta historiarum.

Feruentibus his moribus, Principes Electores rursus congressi Bopardiæ, summam rerum detulerunt ad collegam ipsorum, Rupertum, Bauariæ ducem, & Electorem palatinum ad Rhenum, virum ingenio acrem, corpore patuum, sed ingentem animo, Maiestatis Imperij, ac rerum publicarum perquàm amantem, ac studiosum, opinione iusti-

tiæ,& integritatis celebrem, bello exercitatum: hunc Aquisgranum deductum,inaugurationis causſa,cùm Aquēſes, prætextu iuramenti, quo adhuc VVenceslao obstricti videri volebant,non intromisissent in vrbem, Coloniēsis, reductum Coloniam,ibi diademate regio cinxit. Sed,de Aquensibus,Imperator pœnas sūpsit,& Germaniā pacauit.

Moguntini insidias, & molitiones effugere non potuit. Cùm enim ad expeditionem Italicam, permissu Bonifacij noui, exigeret a sacerdotibus decimas, Moguntinus, ne quid impetraret,effecit,& socios expeditionis,Leopoldum Austriacū, atque Colonienſem,ab eo auulsit. Non destitit tamen, ab instituta expeditione, quòd Florentinorum, & Pōtificis literis assiduè sollicitaretur, & vrgeretur,quibus, augescentem in dies,Iohannis Galeacij Mediolanensis potentiam,maturè retundi expediebat:sed cum huius copiis, quibus præfuit Facinius Canis,infeliciter congressus,in agro Brixiano, ad lacum Benacum, clade accepta non leui, retrocessit.

Galeacius,cuius aliæ copiæ,paulò ante excitos,à Florentinis,in auxilium, Gallos,ad Alexandriā superarant,interfecto eorum duce: Is ergo,cùm,ex his victoriis,euasisset formidabilis toti Italię,vehementer,successibus tātis,conterritæ,nemine obsistente, celeri progressu,in hostibus, omnes iniurias,ab illis perpessas,vindicauit: Franciscū Gōzagam Mantuæ obsessum,derivatis Pado,atque Athesi fluminibus, vrbéque penè summersa, pacis conditiones accipere coēgit. Idem,decertantibus inter se,Antonio Scaligero, & Francisco Carrarienſe, adiuuit Carrarienſem, & Scaligero acie superato, Veronam,ac Vincentiam eripuit, paulóque post,& Carrarium,capto Patauio,in potestatem suam redactum,detrusit in carcerem Modoëtianum.Iuxta Bononiam, ad Galaletium, Pontificis, Florentinorum,& Bononiensiū magno exercitu profligato, mox ab ea victoria,Bononia, pro qua,per annos quinquaginta, ferè fuerat dimicatū,potitus est,obtruncato Iohanne Bentiuolo,qui, in ea vrbe, tyrannidem exercuerat, etsi alij hunc,ab exulibus,in iusta concisum esse,perhibent.Inde,victricibus copiis,Apenninum transgressus, terrorem magnum Florentinis intulit. In cohortiere,febre correptus, interiit, tertia die Septembris,anno millesimo, quadringentesimo,secūdo,relictis filiis, Iohanne Maria,& Philippo,qui vltimi,ex stirpe Vicecomitum duces Mediolani fuerunt,& Valentina filia, quam baptui dederat Ludouico, Aurelianorum

Prin-

Principi, Caroli quinti, regis Francię, filio: quo coniugio, Asta colonia, dotis nomine, Valentinam sequuta est: Ad liberos verò hæreditatis titulo, Mediolanensis iura transierunt, quam, vbi fratres Valentinæ, sine legitima prole, decessissent, cum armis Franci repeterent, diuturnum, & atrox bellum exortum est, de quo suo loco dicetur.

Sed filij, & ingeniis, & fato, atque fortuna, fuerunt patri dissimiles, & luerunt pœnas patricidiorum, quæ immitis, sæuus, & ἀστοργος pater patrarat. Mox enim, ab obitu patris, recruduerũt, funestissimo, ac summè lugubri tumultu, latrocinia inter Gibellinos, & Guelphos Mediolani, vt cędibus, incendijsque, ingens efficeretur vastitas, cognatis, atque affinibus, feritate beluina, vis afferretur vltima, &, pro virtute haberetur rabies, atque immanitas summa.

Hæc dum Mediolani fiunt, interea reliqua etiam potẽtia omnis; alibi, multipliciter dilacerata, eadem prope celeritate defluit, qua cõflata fuit, atque coacta. Præfecti, atque duces Galeacij, subnixi validis præsidiis passim earum vrbium dominatus arripuerunt, quibus præerant Pandolphus Malatesta, Brixiam, & Bergomum: Gambrinius Fundulius, Cremam: Facinius Canis, Pamiã, atque Alexãdriam; Iohannes Vineatus, Laudem Pompeiam: Bẽzones, Cremonam: Areelli. Placentiam: Ottobonus tertius, Parmam: Franchinus Rusca, Comum: Brusatus, & Tormelli, Vercellas, & Nouariam occuparunt.

Bononiam Pontifex Romanus, ex ea direptione, obtinuit, itémque Assisium, & Perusiam, Vmbriæ vrbes. Pisas Florentini, magna pecunia emerunt, à Gabriele, notho filio Iohãnis Galeacij, ac vi domitas, in sua potestate retinuerunt. Senenses, obtrũcato Corregio præfecto, in libertatem sese vendicarunt, cruentis admodum seditionibus obnoxium. Nec defuerunt suis rebus Veneti, in his occasionibus, qui tunc Imperium ad forum Iulij, & Istriam vsque extenderunt.

Erat Nouellus Carrarius, Francisci filius, qui, patre capto, effugerat in Bauariam: hic recuperato, ope Venetorum, Patauio, mox immemor accepti beneficij, horum etiam sollicitare Imperium cœpit, & incensus cupiditate potẽtiæ maioris, cum VVilhelmum Scaligerum, ad repetendam Veronam, impulisset, ea recepta, hominem familiarissimum, quem consilio, & armis hactenus adiuuerat, veneno sustulit, & vt, concupito Veronæ Imperio, securè potiretur, filios eius etiam, Antonium, ac Brunonem, prodi-

tione,in ſuam poteſtatem redactos,necari curauit.

Nec Verona contentus,Vincentiam etiam appetiuit, ac tentauit. Hæc exoſa Carrariorum tyrannidem,in fidem ſe,ac patrocinium Venetorum contulit. Ita Veneti adepti quæſitam diu occaſionem, aduerſus Carrarium, ſuſcepta Vincentinorum defenſione,hoſtem, aperto bello , fatigatum,tandémque,intra mœnia Patauij concluſum,obſidione ad deditionem adegerunt. Nouellus pater, cum filiis duobus,Franciſco, cui tertio cognomen fuit , & Wilhelmo,venit in poteſtatem Venetorum, à quibus ſtrangulati ſunt.Reliqui duo,Vbertinus,& Maiſilius , ante vrbem deditam,fuga dilapſi,in Hetruriam abierant,vbi interierunt. Ex ea victoria,ceſſere Venetis,Verona , Vincentia, Colonia,Feltrium,Bellunum,Patauium.

Ad hunc modum,potẽtia Mediolanenſis,quæ pene omnem,cis Latium,Italiam erat complexa, diſcerpta eſt, Iohanne Maria,inuſitatæ immanitatis tyranno,& paternæ,& ſuæ ſæuitię pœnas luente, quę tamen in ipſius caput etiam redundarunt. Quod enim non vſitatis ſuppliciis contentus eſſet:ſed nouo,tyrannicæ rabiei,exemplo,dãnatos, aut ſibi inuiſos,voraciſſimis canibus laniandos, obiiceret, eóque tam atroci ſpectaculo delectaretur , & in deliciis haberet huius ſuæ ſæuitiæ miniſtros, qui eam carnificinam, & prægrandes moloſſos, humanis carnibus alerent , & in iiſdem cùm adueniſſet ſupplicii tempus,rabiem,longa fame,acuerent,à coniuratis,in templo diui Gothardi , duobus vulneribus confectus, diſſecta vſque ad oculos fronte, & dextro crure,ad ſuram,detruncato , non ingratum ciuibus,quibus ſummè exoſus erat,ſpectaculum præbuit.

Etſi verò deinceps,ſucceſſor Philippus, & fraternam cædem,& Tyrannos probè vltus,recepit Borgonium, & Brixiam,Malateſta pulſo:Laudẽ Pompeiam, Iohanne Vinea-to capto,& in furcam ſuſpenſo:Placentiam, Arcellis necatis,aut in exilium actis:Comum, Franchino Ruſca electo, certa præmij conditione:Cremonam , Gabrino Fundulio capto:Facinio Cane, in gratiam recepto , vt communibus viribus,in amiſſa recuperanda,incumberet: remotiora tamen,deſperatione neglexit. Ita Hetruria , Vmbria,Æmylia,& Piceno excidit.

De Fundulio referunt, quòd cùm Mediolani, in medio foro,iam ſecuri feriendum , Cucullati hortarentur ad pœnitendum,contortis in eos minacibus oculis, reſponderit, vt deſinant ſibi moleſti eſſe. Nam , tãtùm abeſſe,vt ſe horum,

gum, quorum cauſſa nunc plectatur, pœniteat, vt maximè etiam doleat, quod Papam ſimul, & Imperatorem, ad immortalis atrociſſimi facinoris famam, è media turri, non præcipitarit; intelligens Iohannem viceſimum tertium, & Sigiſmundum Imperatorem, quibus hoſpitio exceptis, in ſumma celebertimæ turris corona, peramœni proſpectus cauſſa, conuiuium inſtruxerat.

Nunc ad Rupertum redeo, qui reiectus ex agro Brixiano, mòxque à Venetis reuocatus Patauium, quod ſe exploratis diligenter atque conſideratis rebus Italicis, his, in tanta perfidia eorum, quos defendere, contra Galeacium, debebat, parum opis allaturũ eſſe cerneret, rediit in Germaniam, ac reliquum ętatis, in hac conſtituenda, atque exornanda cõſumpſit, ſinens Italos inter ſe digladiari, quibus mox ſeſe denuo admiſcuerunt aliæ gentes, quæ diſcordes inter ſe ciues deuorarunt. Nam certantibus inter ſeſe Pontificibus, factionibus diuerſis, Italicis, & Gallicis, Ladiſlaus rex Neapolitanus, qui videri volebat fauere Gregorio duodecimo, Romam, incertis ſtudiis, & dubiis voluntatibus fluctuantem, opreſſit, & plura alia Pontificis oppida, minitatus & Florentinis. Hunc contra, pro ſede Romana, cum Florẽtinis, & Senenſibus, ſe coniunxit Ludouicus Andegauenſis, excitus literis Pontificis, ſed ea conditione, ſi de regno Neapolitano, ei ſpes certa fieret, quam conſequutus, vrbem Alexandro quinto recepit, & Ladiſlaum depulit. Sed rediit ad arma Ladiſlaus, & Pontificis, atque auxiliaribus Gallorum copiis, repreſſis, ac diſſipatis, Romã iterum cepit, multam ciuium ſtragem edidit, muros diruit, molem Adriani, quæ eſt Caſtellum S. Angeli, vi expugnauit, plurima, ditionis pontificiæ, oppida ſubegit, quæ retinuit, ad mortem vſque.

Moriens, ſorori Iohannæ regnum, ſubditis perniciosa bella reliquit. Iohanna enim, quæ maritum, Iacobum Borbonium, Marchiæ comitem, repudiarat, vt contra Pontificem, & Andegauenſes, amicos compararet potentes, adoptauit Alphonſum, Arragonium regem, à quo, cùm ſibi videretur contumelia affici, mutauit voluntatem, illóque ſimiliter repudiato, accerſiuit natu maximum Ludouici Andegauenſis filium, patri ὁμώνυμον; cui mortuo, ſurrogauit Rhenatum fratrem. Inde inter Arragonios, & Andegauenſes funeſtiſſima bella erata ſunt, Pontificibus aliis Arragonios, aliis Andegauenſes fouentibus, & adiuuantibus. Euenit ergo, quod dicitur Græco verſu, γραῦς ἀλασκιρτήσα-

σὺν πολλῷ κατεσείσθη τὸν ἐγείρει His, iusto Dei iudicio, bellis exagitata est Italia, penè ad Carolum quintum vsque; etsi interuenerunt alia plura, quæ à ducibus Mediolanensibus, & Venetis extiterunt.

Rupertus Imperator Imperio præclarè, & laudabiliter gesto domi tranquillam mortem obiit.

Anno Imperij, decimo.

Anno Christi, millesimo, quadringentesimo, decimo.

Anno mundi, quinquies millesimo, trecentesimo, septuagesimo secundo.

Conditus Heidelbergæ, cum hoc vero elogio:

Rupertus dux Bauariæ, comes Rheni Palatinus, Romanorum rex, iustus, pacis, & religionis amator, dignus Deo visus, qui pro iustitia pateretur; huius sacræ ædis, & collegij institutor, hic, cum castissima coniuge Elisabetha Norici montis burggrauia, quiescit, vita functus, anno Christi, M.CCCCX. Cal. Iunij XV.

Natus fuit Rupertus, patre Ruperto, auo Adolpho, qui nepos erat Rodolphi, fratris Ludouici Bauari: matre Beatrice, filia Friderici regis Siciliæ. Vxores habuisse traditur duas. Ex priore, cuius nomen, & familiam non annotant, natum perhibent Rupertum cognomento Pipan, qui, sub Sigismundi signis, cum Iohanne Burgundiæ duce, à Turcis captus, post liberationem, vitam exegit Ambergæ, ducta in vxorem Elisabetha, filia comitis Spanheimensis. Altera vxor Elisabeth, filia fuit Friderici, Burggrauij Noribergensis: è qua sobolem sustulit numerosam. Filiorum enim, qui ipsi superstites manserunt, fuere quatuor. Ex his, Ludouicus, cognomento Canis, propagauit prosapiam Palatinorum ad Rhenum, Electorum, vsque ad Ottonem Hẽricũ: Iohannes alter filius, genuit Christophorum, accersitum ad regna Daniæ, Sueciæ, & Noruegiæ, cum quo stirps desiit. Tertius Stephanus, ex vxore Anna, filia comitis Veldentiæ, duas distinctas stirpes produxit: ex eo Friderico, Simmerensem, seu Spanheimensem: ex Ludouico Nigro, Bipontinam. Illa protulit Fridericum Palatinum, qui, ante paucos annos, posteritate Ludouici extincta, in Ottone Hẽrico, post annos centum, quadraginta octo, à Ruperti morte, extincta, dignitatem, & ornamẽta Electoris Palatini ad Rhenũ, hæreditaria successione, adeptus est. Quartus Otto, Mosbacenses principes genuit, sed posteritas in ipsius filiis defecit Suscepit & filias, quarum vna Margareta, Carolo Lotharingico, altera Elisabetha, Friderico Austriaco, tertia

tertia Agnes, Adolpho Cliuensi nupsit.

Anno millesimo, quadringentesimo, secundo, per dies aliquot arsit cometa ingens, lurida, & funebri, oblongáque cauda, versus eam cœli plagam, quæ in Corum ventum vergit. Hoc, minacis flãmę, vibratu, denunciatas esse consentaneum est orbi terrarũ clades nouas, quæ, paulò post, ingentibus motibus, passim extiterunt. Nam & Boëmia irrita iniusto supplicio Hussi, vicinos grauibus cladib. affecit, & contentionibus, inter se, Pontificum, non leuiter quassata est Italia, & infeliciter, cum Turcis, dimicarunt exercitus Christianorum.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

Sigismundum, Carolo quarto natum, adoptauit in filiũ Ludouicus Vngarię rex, adhuc puerum admodum, propter generosæ indolis conspicua signa, quæ spem de illo eximiam concitabant, promissis ei filiæ nuptiis, & regno in dotem. Sed decessit Ludouicus, priusquam annos pubertatis, Sigismundus attigisset. Quòd autem vidua Ludouici, à mariti morte, durius imperaret subditis; proceres, inita conspiratione, euocarunt ex Apulia, ad regnum, Carolum Dyrrachianum. Hũc, magno applausu, ac studio ab Vngaris exceptum, vidua Ludouici, veneno interimi curauit, genero futuro regnum vt traderet, sine certamine: sed necem Caroli vltus Iohannes Horuatius Banus, reginam, in aquam demersam, suffocauit. Huius facinoris fama cùm percrebuisset, Sigismundus, qui annum iam agebat vicesimum, Vngariam, ne regnum amitteret, cùm exercitu ingressus, susceptísque insignibus, & ornamentis regiis, ac nuptiis celebratis, de Horuatio parricida, & aliis triginta duobus, qui cum illo, de abrogando sponsæ suæ regno, consenserant, supplicium sumsit.

Hac seueritate irritati Vngari, captum Sigismundum, tradiderunt custodiendum, ad exquisitam corporis pœnã, fœminæ viduæ, cuius maritum, è nobili familia Garenorum, inter factiosos, supplicio affecerat. Ex ea custodia liberatus diuinitùs, cùm promissis amplissimis iratum viduę animum placasset, mox regno recepto, præsidiísque firmato, authorem captiuitatis, Stephanum Veiuodam, secuti fertur. Exemplo territi reliqui, quieuerunt.

Tanta cum difficultate regno potitus, quarto demum à primo ingressu, anno, postea, conatu omni, incubuit in bellum Turcicum, multis obtestationibus accitus à Palęologo, aduersus Baiazeten, obsidione vrgentem Byzantium.

Contrahit ergo validas copias, ex ſuis regnis, finitimiſque Germanis, quibus cùm Iohannes, Philippi audacis Burgũdi filius, Caroli Sexti patruelis impulſu, iunxiſſet lectiſſimas equitum cataphractorum turmas, quas multi præſtãtes viri, ex procetibus Sueuicis, Bauaricis, & Auſtriacis auxerunt, & ornarunt, directo in hoſtem itinere, penetrarunt ad Nicopolin vſque, Myſiæ vrbem, quæ monumentum eſt victoriæ, quam, de Dacis deuictus, retulit Traianus. Ad eã vrbem improſperè tentatam, hęrentibus exercitibus, ſuperuenit Baiazetes, attrahẽs ſexaginta equitum millia, ſéque ad tertium Cal. Octobris, noſtris in conſpectum dedit.

Pugnatum eſt anno milleſimo, trecenteſimo, nonageſimo quinto, ſumma noſtrorum temeritate, Gallorúmque præſertim, qui primi agminis decus depoſcentes, cùm tetineri non poſſent, quin vel inuitis, & fruſtra retentantibus ducibus, in primos hoſtium antecurſores, impetũ facerent, antequam Germanorum phalanges, & Hungari, Boẽmique equites appropinquarent, à Baiazete, lunata acie circumuenti, partim cæſi, partim capti ſunt.

Hoc infelici Gallorum caſu, territi cæteri, diffugerunt, trepidatione tanta, vt Sigiſmundus exutus caſtris, & omnibus ſpoliatus ornamentis, vix euaſerit, ex hoſtium manibus; Iohannes, cum paucis ducibus, viuus in poteſtatem hoſtium deuenerit, cui proiecto ad pedes, & ſalutem ſuppliciter deprecanti, reſpondit Baiazetes: ſe vitam ei libenter conceſſurum, ob id, quod iuuenis, & regio ſanguine editus eſſet: ſed reliquos captiuos, ad vnum omnes, præter quinque proceres, carceris comites, in conſpectu ipſius, trucidauit.

Sigiſmundus, parua nauicula, Byzantium delatus, incidit in claſſem Venetam, qua reductus in Italiam, cùm inde ſeſe in regnum recepiſſet, reperit animos ſuorum, clade Nicopolitana, non conſternatos tantùm vehementer, ſed & alienatos à ſe: quæ res, nouas illi difficultates obiecit, quas tamen explicauit celeriter.

Hæc infelicia belli iuſti, ac neceſſarij auſpicia, oſtenderunt, qualis reliqua eius militia eſſet futura. Non fuerunt enim, iterati conatus, proſperiores prioribus. Etſi enim deuictus, captúſq; à Tamberlane Scytha, Baiazetes, ſummas attulit occaſiones, ad res bene, felicitérque gerẽdas, aduerſus attritas ac laceratas Turcarum, in Europa, vires, & ad gentem barbaram, nominíque Chriſtiano infeſtiſſimam, radicitus excindendam; & Sigiſmundus, ne occaſionibus,

propc

propè cœlo demissis, defuisse sua aliqua ignauia, videretur, permouit Vngaros, ac Boëmos, ne, studio tuendæ religionis, ac libertatis, pia, ac necessaria arma induere recusarent: tamen, quòd Celebino, Baiazetis filio, qui è prælio elapsus, transmisso ad Sestum, & Abydum, Hellespontо, operа nautarum, pecunia corruptorum, in Europam, cum aliquibus fractarum copiarum reliquiis, euaserat; iisque vtcunque refectis, iam diu Triballos, Bulgaros, & Macedonas afflixerat: huic ergo, cùm seriùs occurrisset nõ clementiore fortuna, cum eo, quàm antea, cum patre, dimicauit ad Columbacium, Seruianorum oppidum, Triballis vicinum, iuxta Samandriam, non procul à Danubij ripis.

Non mouerunt tamen hi aduersi casus, Principes Electores, quò minùs, cùm Ruperto Imperatori successorem quærerent, Sigismundum, præ cæteris omnibus expeterẽt. Imperium quam primum iniisset, curã omnem, cogitationémque intendit, in eos tumultus sedandos, quibus orbem Christianũ perturbarat, & iam, aliquot annos, magno cũ discrimine reipub. concusserat, schisma Ecclesię Romanæ, scilicet, vt his sopitis, pacéque restituta, cõiungeret, aduersus cõmunes hostes Turcas, totius orbis Christiani vires.

Tres enim, eo tempore, Pontifices, inter se digladiabantur, mutuis cõdemnationibus, & execrationibus, & diuersarum gentium studiis: Petrus de Luna, Benedicti decimi tertij: Angelus Carrarius Venetus, Gregorij duodecimi: Baldasar Cossa, Iohannis vicesimi tertij cognomentis infames. Dimicabant autem, non de gloria Filij Dei, aut emendatione corruptæ doctrinæ, ac deprauatorum morum: sed de Principatu, Magnóque nouorum, vt inquit Lucanus, prouentu scelerum, quærunt vter imperet orbi. Iohannes Bononiæ, Gregorius Arimini, Benedictus Auenioni agebat.

Hæc mala, cùm Synodo rectiùs, quàm armis, tolli posse cerneret, percursis Italia, Hispania, Gallia, & Anglia, inexpectata celeritate, & admirabili laborum difficillimorum tolerantia, perfecit, vt regum consensu, cogeretur Synodus Constantiensis, quæ omnium orbis Christiani principum vel præsentia, vel legatis è Byzantio etiam ipso, ac Trapezunte frequentata, non tam illo diuersissimarum gentium concursu, quàm martyrio constantissimo duorum martyrum Boëmorum, vt dicetur, celebris euasit.

In ea Synodo Adolphum secundũ Cliuiæ, & Amadæum Sabaudiæ comites, insignitos ornamentis nouis, ac dona-

tos iuribus amplioribus, traduxit in ordinem sublimiorem ducum Imperij.

Marchiam Brandeburgensem, quam nuper redemerat à Wilhelmo Turingiæ Langrauio, cui eam patruelis Iodocus, Morauiæ marchio, oppignorarat, cùm ad Imperium aspiraret; illam ergo cum dignitate Septemuirali, vēdidit Friderico Burggrauio Noribergensi, spectatæ prudentiæ, magnanimitatis, fidei, & authoritatis principi, déque Imperatore, & repub. præclarè merito, quadringentis millibus aureorum, tali conditione, vt si nasceretur ipsi filius, huic liceret eam, soluto precio, repetere, quanquam in hac venditione, non tam pretium spectatum est, quàm remuneratio virtutis, ac meritorum Friderici, qui, pro Sigismundo, contra Vngaros, & Boëmos, & sapienter plurima consuluerat, & magna pericula fortiter adierat.

Fridericus, ex Synodo Constantiensi profectus ad marchiam, in fidem suam accipiendam, iuramentóq; obstringendam, cùm interea decessisset Albertus, Septemuir Saxoniæ, postremus ex Bernhardi posteritate, qui ducis Saxonię munus, ac dignitatem primus apud Fridericū Barbarossá, virtute promeruit. Quòd ergo ille decessisset, simul ditionem ducum Saxoniæ Electorū cuius est caput Witeberga, occupauit, impositóque præsidio muniuit, vt esset, & maneret in fide, ac patrocinio Imperatoris, qui negabat successionē Alberto patrueli, Erico Lauēburgensi, propter quædam, in ipsum contumaciter admissa delicta.

Eam ditionem, cum dignitate Septemuirali, Sigismundus transtulit in Fridericum, cognomento strenuum, marchionem Misniæ, excellentem, inter cæteros, prudentia, virtute, & potentia principem, pro nauata hactenus ac deinceps etiam præstanda opera, in bellis Boëmicis, próque sumtibus, quos impenderat, sed ea conditione, vt de iis, quæ in occupandam, Imperatoris nomine, regionem, insumsisset, Fridericus marchio, huic satisfaceret. Æstimatū id tradunt, viginti octo millibus marcarum argenti.

Hic est Fridericus, qui anno millesimo, quadringentesimo, nono, in profesto Martini, ex ruina scholæ Pragensis, condidit Academiam Lipsensem.

His rebus confectis, Synodóque dissoluta, Sigismundus rediturus erat sponte ad bellū Turcicū, vt, duplici clade, inustam Christiano nomini labem, elueret, & à limitibus Vngaricis, hostem longiùs summoueret. Nulla enim, de hoc bello, in Synodo, mētio facta erat, pōtificiis, vsitata rabie,

bie, intentis magis in reſtinguenda vi, & armis, initia incendij Boëmici, quam arcendum, aut reprimendum tantùm hoſtem. Sed & ingraueſcentibus in dies magis, magiſque motibus Boëmicis, & furiis Pontificis, retractus ex itinere, atque ab inſtituto depulſus, ex Auſtria deflexit in Moraniam, atque hac in fide confirmata, perrexit in Sileſiã. Ibi, cùm in ipſa regionis Metropoli, Vratiſlauia, ſupplicium ſumſiſſet de ſeditioſis ciuibus, qui, Senatu è turri præcipitato, rapuerant dominatum totum, ſeſe compoſuit, & contulit ad bellum Boëmicum, accitis ſubſidiis Saxonicis, ac Marchicis. Vrgebatur enim à Pontificiis, quorũ partes laborabant, inualeſcẽte potentia illorum, qui Huſſo addicti, & huius iniuſto ſupplicio inflammati, omnes ſacrificulorum, ac monachorum ordines, horũque patronos, ac defenſores, hoſtiliter perſequebantur, comprehenſos raptabant ad ſupplicia, fugientes pellebant in exilia, monaſteria exurebant, è templis, & ſtatuas eiiciebant, & idololatrias exturbabant, quas reprehenderat Huſſus.

Etſi autẽ aliquoties inter ſe, iuſta acie, vtique cõflixerunt, vicerunt tamen Huſſitæ, Ciſca duce. Imperator ergo, ad reprimendos eos, ingreſſus in Boëmiã, Pragam, caput gentis, inuaſit, & obtinuit, anno milleſimo, quadringẽteſimo, viceſimo, ſolitoque more, regio redimitus diademate, atque inunctus in Boëmiæ regem, copias, quas attraxerat, immiſit in Boëmicas, à quibus cùm illæ fortiter repulſæ eſſent, ac diſſipatæ, Sigiſmundus, aduerſitate fortunæ territus, receſſit in Moraniam, ad bellum redintegrandum.

Interea Martinus quintus Pontifex, per Cardinalẽ Vintonienſem Anglum, totam in Bohemos incenderat, & cõcitarat Germaniam, confectúmque fuit, vt tripartito exercitu peteretur Bohemia, quorum vnum, ex Saxonibus cõflatum, ducebat Saxoniæ Elector: alterum, ex Francobus, marchio Brandeburgenſis: tertium, ex Rhenanis, Bauaris, & Sueuis, Archiepiſcopus Trenirenſis Otto.

Ab his, etſi intra ſaltum Bohemicum ſeſe cõiunxerunt, tamen nihilo proſperius res geſta eſt, quàm antea. Copiæ enim, inopinato quodam, ſeu Panico terrore, perculſæ, diffugerunt, nondum viſo hoſte. Non remiſit tamen quidquam, de cruentis conſiliis, Põtifex, etſi, his reluctari fata, experiretur, ſed miſſo Iuliano Cæſarino Cardinale, rurſus coëgit ingentem exercitum, priore ornatiorem, & inſtructiorem, qui, ſimili pauore, ex improuiſo, antè congreſſum cum hoſte, diſſipatus eſt.

Quinquies tentatam tunc esse Bohemiam,& toties eos, qui contra Hussitas arma tulerunt, exutos esse castris,atque omnibus impedimentis, citra prælium,tradunt,vt dubium non sit,pro pio grege, amplexo sinceram doctrinam Filij Dei,pugnasse sanctos Angelos, qui hostes cõterritos, palantésque,ac trepidantes, sola consternatione animorũ, tota exegerunt Boëmia. Etsi autem in aliquot annos,hoc bellum pertractũ est,quibus,Põtifices Romani,nihil moliri,moueréque destiterant, quod faceret ad extinguẽdam hanc,Ecclesiæ Romanæ, fatalem facem,repurgatæ doctrinæ sacræ,tamen conatus hi eruperunt in neruum.

Secuta est Synodus Basilienſis. Ea durante,Imperator Italiam adiit, attractus magnificis pollicitationibus Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanensis, quẽ terra,marique Veneti,& Florentini coniunctim oppugnabant,& recèns, consspiratione earum ciuitatum, Bergomo etiam, ac Brixia,dominatúque Genuæ exciderat.

Venit Mediolanum,anno Christi, millesimo, quadringentesimo,tricesimo primo, deductus à Nicolao Picciuio, qui copiarum Philippi ductor erat, acceptáque,sexto Calend.Ianuarij,corona ferrea,Parmam profectus, reliquum hyemis ibi transegit.Inde primo vere, per Hetruriam,Romam delatus,vndecimo Calend.Iunij, ipso die Pentecostes,ab Eugenio quarto Pontifice,est coronatus. Nec diu inter infidos amicos,in vrbe, insidiarum plena, moratus, reditum,per agrum Picenum,instituit,vbi,ex itinere, Ferrariam, & Mantuam diuertit, ac Iohannẽ Franciscũ Gonzagam,Mantuę dominum, marchionẽ creauit.His confectis,Basileam, inde in Vngariam rediit, vbi vtrique principi Saxoniæ,& Brandeburgensi, insignia, ornamenta, ac iura Septemuiratus,solenni,& publico ritu,tradidit.

Ex Vngaria Boëmiam repetiuit, quæ aliquantò quietior erat,Boëmis, sententia Synodi Basilienſis, nonnihil placatis,ac dominum suum desiderantibus. Ibi,cùm, sanatis vtcumque vulneribus publicis, impetrasset à proceribus, vt Alberto Austriaco genero, egregio principi, & plerosque sui temporis præclariſſimis generosæ indolis dotibus, antecellenti,successionem in regno,se mortuo,promitterent, Znoimam Morauiæ vrbem, ad filiam deferri voluit, seu vt in sinu,& osculis, atque complexibus filiæ, quam impensè dilexit,moreretur,quæ ibi hærebat, seu quòd diffideret genti Bohemicæ.

In ea vrbe,tandem extremo virium defectu, ceu exolutus,

tus, vitam finiit; cætera magnus, & illustris, sed iniusta in viros innocentes, & sanctos sæuitia, quam adiuuit, belló- que, & coniugio infelix. Decessit autem quinta Iduum Decembris.

Anno Christi, millesimo, quadringentesimo, tricesimo septimo.

Anno mundi, quinquies millesimo, trecentesimo nonagesimo nono.

Imperij, vicesimo.

Regni Vngarici, quinquagesimo primo.

Regni Boemici, decimoseptimo. Ætatis septuagesimo septimo.

Cadauer, regio apparatu, Varadinum transportatum; & ibi honorificè sepultum est.

Conferri ipse cum veteribus Carolis, & Ottonibus posset, indolis præstantia, pietate, sapientia, magnitudine animi, industria, dexteritate in consiliis, patientia laborum, si optimè cogitatis consiliis, prouidéq; susceptis, & laudatissimis conatibus, respondisset fortuna, nec iustis, ac necessariis armis, cõtra Turcas, successus fata negassent. Nec rediit ad bellum Turcicum, cùm impeditus domesticis bellis, accensis rabie Pontificum, tùm abstertitus, vt opinor, memoria geminæ cladis, vt quanquam truces, & barbaros hostes persequi, atque vlcisci maximè cuperet, non auderet tamen fortunam periclitari tertiò, bis graui cum detrimento, rerum suarum, & publicarum, eluius. Nam, vt fere successus prosperi, inter initia, augent animum, sic contrà aduersi casus eundem sauciant, ac conterrent, vt rem eandem timidius deinceps aggrediatur, & vrgeat segnius.

Præterea in corpore ætate, & morbis enecuato, per sese languefiebat vigor animi, & à Synodo Cõstantiensi, multò magis fortunam belli, aduersari sibi, experiebatur, vt ne suos quidem, tot, tantísque amicorum auxiliis, compescere posset, cogeretúrque, pro iniustè, & nefariè permissu suo, exustis martyribus sanctis, Deo innocentiæ vindice, perpeti acerbas contumelias, & vim atrocem suorum.

Futurum itaque prospiciebat, vt quem sprouissent, ac repulissent sui, is multò magis despectui esset, tam feroci, & superbo, ac præpotenti victori, & vt multò magis, si quid in hunc moliretur, fortuna eum infesta persequeretur.

Ingenio fuit excellenti, & animo magno, ac heroico: delectatus est lectione historiarũ, iussit sibi, ex Græco, in Latinum conuerti Arriani historiã, per Petrum Paulum Ver-

gerium antequam Bartholomæi Facij translatio haberetur. Semper in ore habuit hæc dicta: Nescit imperare, qui nescit dissimulare: non oportere se omnia, pro suo iure, agere, significans. Item, assentatorem se odisse, tanquam pestem: quòd cùm quidã, ex astantibus, aliquando redarguisset, & Imperatorẽ assentatorum nutu regi, ostendisset, subiecit Imperator: Ita fit in aulis, vt quos oderimus maximè, & vitare cupimus, iis maximè parere cogamur, φεύγει γὰρ τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ, ὁ συκοφάντης τὰ δεύτερα: sed cùm à quodam, supra modum, laudaretur in faciem, & Diis prædicaretur similis: illi colaphum impegit, dicentíque, Cur me cædis? respondit, Cur me mordes?

De gubernatione, solitus est dicere: Mirum esse, cùm omnes recusent exercere artes, quas non didicerint, Imperare nemo recuset, quæ sit ars omnium difficillima. Beatos verò in terris fore reges, si exclusis à gubernatione fastuosis, mansuetudinis, grauitatisque cultores, in curiam ascisserent: denique regno aptissimos tales esse, qui nec secũdis rebus extollerentur, neque aduersis deiicerentur. Cùm accusarent, apud eum, Purpurati, maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ suo principi passim obloqueretur, subridens, respondit: An vobis graue videtur, illos malè loqui, cùm nos malè agamus? Percontanti cuidam, cur, apud liberas ciuitates, peculatus crimen adeò sit frequens, respondit: Quòd nudi honores ciuibus commendantur, populus autem ad lucrum inhiat.

Prima ætate, vehemẽtior fuit, & in vindicando asperior. Sed hanc asperitatem paulatim ætas leniit, & vsus rerum. Ideò cuidam expostulanti cũ eo, quòd, victis hostibus, nõ solùm vitam, & opes relinqueret, sed eos etiam inter amicos reciperet, atq; extolleret: Tibi, inquit, videtur vtile inimicum occidere, quia à mortuo periculi nihil. At ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo.

Constat & munificum fuisse, penè ad profusionem vsq;. Exempla enim munificẽtiæ eius commemorãtur aliquot illustria, festiuis condita iocis, in quibus lucet ingenij acumen pariter, & festiuitas. Cum, quodam tempore, illo flumen transeunte, equus, quo vehebatur, vrinam mitteret, prope equitãs vnus ex aulicis ministris, probatæ fidei homo, & qui diu seruierat, Equus, inquit, domini similis est. Imperator has voces audiens, causſam quærit. Respondit minister, Equum proiicere vrinam in locum antea abundantem aquis. Sic Imperatorem effundere beneficentiam

in

in eos,qui affluant opibus, negligere cæteros qui egeant. Intelligens Imperator, se festiuè accusari, quòd ministri bene meriti,rationem habuerit nullam,respondet: Voluntatem benefaciendi ipsi, nunquam sibi defuisse,sed ita fieri plerunque, vt fructus beneficentiæ publicæ regũ,ac principum, redeat nõ tam ad eos,quibus ex merito,quàm quibus,ex destinato fato quodam, debeatur : idque se illi declaraturum reipsa. Non ita multò post,ocium nactus,duas pixides, magnitudine pares, implet, vnam auro,alteram plumbo, vt & pondere fierent æquales: has ministro proponit,& vt eligat,vtram vellet,iubet. Minister plumbeam arripit. Viso plũbo,inquit Imperator : Agnoscis ergo,mihi non voluntatem,sed tibi fortunam defuisse:sapienter monens,bona,non sola, vel dexteritate iudicij,vel diligentia humana,acquiri,sed & distribui,atq; conferri diuinitus,& ad ea consequenda, & percipienda homines flecti etiam, ducique diuinitùs,& à Deo, tanquam authore præcipuo, peti,atque expectari debere. Neque id tantùm in his fugacibus,atque caducis fortunæ bonis, sed multò magis in aliis maioribus,locum habere,& vsu venire. Sapiẽtiam humanam enim, nihilo certius eligere, quod sit optimum, quàm si fortè aliquid ducatur,vt præclarè apud Xenophontem dicitur: Ἐγὼ μὲν θεοπέμπτου τοφίας οὐδὲν ὑψηλότερον οἶδε πὸ ἀμείνον αἱρεῖσθαι, ἢ τὸ ἐλπρέπεσθαι ὅτι λάχοι τῶν πὸ τῆς τύχης.

Coniuges, Sigismundus,habuit duas, prima fuit Maria, Ludouici Vngarici filia, quam amisit primo à nuptiis anno:altera Barbara,Hermãni, comitis Ciliæ filia,profligatissimæ pudicitiæ,& lasciuiæ procacissimæ mulier. Ex ea vnicam genuit filiam Elisabethen, hæredem regni, quam despondit Alberto Austriaco. Coniugem,propter conspirationes cum proceribus Boëmicis, de regno inuadendo, déque secundis nuptiis,factas, condemnauit ad perpetuos carceres,sed,à mariti morte, dimissa, Gretij in Boëmia,in vita turpi,& fœdis libidinibus infami, consenuit extincta tandem lue pestilenti.

De familiis marchionũ Misniæ,& Burggrauiorũ Noribergensium,quas ad Septemuiralem dignitatem,quę,post Imperatorem,summa est, Sigismundus extulit,supra dixi.

Ex Friderici marchionis Brandeburgensis, vita,cum alia referuntur memoratu digna, tum hoc in primis,quod,cũ, testamentum conditurus, aduocasset ad se filios quatuor, Iohannem,Fridericum,Albertum, & Fridericum alterum, natu maximum Iohannem, in hunc fermè modum,allo-

cutus sit: Primus ego dignitatem Septemuiralem acquisiui, cùm essem Sigismundo Imperatori admodum familiaris. Nunc, cùm ex hac vita euocer, curæ mihi est; ne decus tãtum, in familia nostra, vilescat: tibi, vt video, quietis, & trãquillitatis vnicum studium est: in munere Septemuirali, præter sollicitudines, & labores assiduos, nihil inuenies. Eam ob caussam, si tua voluntate possum, munus hoc, testamento concedã Friderico, qui tibi ætate proximus est, & te exercitatior, atque ad labores firmior esse videtur. Cui Iohannes: Existimaui, ante hoc tempus, cariorem tibi multò Fridericum, quàm me esse, cùm illi sæpius blandirere; neq; id non ægrè ferre potui. Nunc sententiam muto, & te, Pater amo, colóque, qui mihi ocium, illi negocium, suprema voluntate, dimittis. Exemplum illustre, in patre Friderico, non affectus paterni, sed sapientiæ, consulentis rebus publicis, ac priuatis: in filio Iohanne modestię, & obedientiæ, cedentis iudicio patris, de successione, citra morositatem, aut recusationem. Huius simile est in historia Dauidis, & Darij Hystaspis.

DE SYNODIS, CONSTANtiensi, & Basiliensi.

SYnodum Constantiensem, multo labore coegit Sigismundus, præcipuè propter certamina, inter se, trium Pontificum, quibus inuoluebatur orbis Christianus. Sed perfecit tamen, vt ibidem, sub fide publica, sisterent sese, Iohannes Hus, & Hieronymus Pragensis, qui vocati erant ad reddendam rationem fidei, & suæ doctrinæ, quam profiteri cœperant, Romanæ Ecclesiæ contrariam. Sed, quæ sit in illos institura, susceptáque inquisitio, quomodo refutata sint eorum dogmata, quo ordine accusati ipsi, & condẽnati sint, historia actorum, quæ extat, ostendit, & quæ hi dogmata, quos errores, & abusus Ecclesiæ Romanæ præcipuè taxarint, ac reiecerint, firmis, atque euidentibus doctrinæ sacræ testimoniis, supra commemorauimus.

Rectè fecit Sigismundus, quòd dissidiũ inter Pontifices, non armis, nec violentis modis, sed disceptatione legitima, tollere studuit, & quòd controuersias motas, ad Synodi iudicium, deduci voluit, vt consuleretur toti orbi terrarum.

Sed rursus, non rectè fecit, quod non id dedit operam, vt prius accisa, vel potius sublata prorsus Pontificum tyrannide, iudicia Ecclesiæ, ad exemplum cæterarum Synodorum, quas, sua authoritate, moderati sunt Imperatores, emendarentur, vt moderatione Ecclesiæ conuenienti, cognitio

gnitio & diiudicatio inſtitueretur controuerſiarum, ex ea norma, quam tradunt literæ ſacræ, & fieret emendatio vicioſorum morum, ac rituum, qui in Eccleſia hærebant, nec alligaretur quiſquam ad decreta Canonum, authoritatem Eccleſię Romanæ, commenta Monachorum, vitioſæ conſuetudinis antiquitatem, vt concederetur piis, & doctis, libertas dicendi ſententias, nec hi protinus opprimerentur, cauſſa nondum legitimè cognita, atque explicata.

Addidit ad hunc errorem alia atrociora, cùm homines innocẽtes, velut in manus tradidit hoſtibus immaniſſimis, idololatria, & parricidiis pollutis, ad certum ſupplicium, cum ſe miniſtrum fœuitię Pontificum, & Sacerdotum prębuit, cùm ciuile bellum accẽdit, cùm delere Eccleſias pias, trucidare Chriſti membra, & pios Euangelij miniſtros, extinguere literarum ſtudia, barbariem, & vaſtitatem in patria, efficere conatus eſt.

Etſi autẽ magnis excelluit Sigiſmundus virtutibus, tamen in hoc genere ingentia eius peccata diſſimulari non debent. Deteſtabatur ipſe veſanam Pontificum ambitionem, & Sacerdotum luxum, ſed cur non id agebat, vt harum rerum nerui inciderentur, qui patefacti iam, ac demonſtrati erant doctrina Huſſi?

Occaſio Synodi inde extitit, quod Cardinales in Piſana Synodo, anno milleſimo. quadringẽteſimo, nono, abrogatum Gregorio, & Benedicto pontificatum, commendarant Iohanni viceſimo tertio. Sed cùm authoritas Cardinalium contemneretur, Sigiſmundus alia via ſchiſma tollendum, quod iam annos triginta octo flagrarat, & factioſos Põtifices ad abdicandum ſeſe hoc Magiſtratu maiore authoritate cogẽdos eſſe cenſuit. Ita ſententia Synodi pontificatus ademptus eſt omnibus. Cauſſas, id eſt, ſcelera, & flagitia, quæ ſpurciſſimis iſtis, ac ſæuiſſimis beluis obiecta, & exprobrata fuerunt, non libet commemorare.

Succeſſor decretus eſt Otto Columnius, ex Columniorum familia, qui ſe Martinum quintum nominauit.

Quantum ad errorem in doctrina, abuſum, & diſciplinæ emendationem attinet, conſtitutum in hac Synodo nihil eſt, etſi non defuerunt monitores, & inſtigatores boni viri, & pij, qui fœuitiam iniuſtam in innocentes, & pertinaciam obſtinatam in errorum defenſione, vehementer improbarunt, & emendationem ſeriò flagitarunt.

Petrum de Aliacõ Cardinalem conſtat multa grauiter monuiſſe, de corruptiſſimis moribus Pontificũ curiæ Ro-

manæ, omnium ordinum in Ecclesia Romana, de abusiua magnitudine in festis, & cultu sanctorum, in precationibus, ieiuniis, discrimine ciborum, & similium traditionum humanarum, de tyrannide, superstitione, & multitudine Monachorum.

Constat & Gersonem cancellarium Parisiensem Synodo articulos septuaginta quinque obtulisse, quib. emendatione sit opus. Sed nec auditi tales sunt, nec quæsita sunt remedia, quibus sanarentur vulnera ecclesiæ, & consuleretur conscientiis fascinatis superstitione, & laqueo traditionum humanarum nimium irretitis.

Condemnauit hæc Synodus dogmata Iohānis Wiclessi Angli, digesta in capita quadraginta quinque: condemnauit adrogum, & duos Martyres Boëmos, viros sanctimonia vitæ, & doctrina fidei Christianæ analoga antecellentes, violata fide publica, qua ab Imperatore præmuniti accesserant.

Causæ condemnationis his ferè capitibus duobus continentur, vt articuli ostendunt, quòd Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, & toti colluuiei Sacrificulorum ac Monachorum dentaxerint Ecclesiæ titulum, & authoritatē quòd derogarint iisdem potestatē omnem, quam sibi in Ecclesia Christi arrogant, pratextu authoritatis diuinæ, in abolendis, mutandis, cōdendis articulis fidei, ritibus, ceremoniis, legibus Ecclesiasticis, quòd ademerint iisdē omnē politicam potestatem, opes, splendorem, potentiam Monarchis parem. Deinde quòd reddendum populo cer suerint Sacramentum integrum ex instituto Christi, quòd commētum transubstantiationis repudiarint, quòd nonnulla alia requisuerint congrua Prophcticis, & Apostolicis scriptis, & testimoniis Catholicæ Ecclesiæ Christi puioris, ac salutaria piis cōscientiis, sed dissona decretis, & legibus Romanæ curiæ, & huic aduersa, ac perniciosa.

Vtrumque & Iohannem Hussum, & Hieronymum Pragensem, postquam Synodus pronunciasset Hæreticum, Hussum vsitato ipsis ritu exutum dignitate sacerdotali, tradidit exurendum Magistratui ciuili. Hussus eductus ad locum supplicij, gestans mitram chartaceam, Episcopali similem, in qua tres fuerunt depicti Cacodæmones cum hac inscriptione: Iste est Hæresiarcha, subinde inter eundum has voces repetiuit: Iesu Christe Fili Dei viui, qui passus es pro nobis, miserere mei. Tādem rogo impositus, quincente flamma, cum hac ipsa inuocatione, spiritum emi-

emisit. Factum id est octauo Idus Iulij, Anno millesimo, quadringentesimo, quintodecimo.

Fertur ante mortem ceu præsagiens vatidico Spiritu sequuturam inclinationem regni Pontificij, dixisse, nascituru-
5 rum esse ex suis cineribus olorem, quem non ita exusturi sint, sicut anserem torrerent. Significat autem Boëmica lingua Hussius anserem.

Sunt & hæ ex eo auditę voces: Post annos centum vos Deo & mihi respondebitis: quę verba Boëmi in ambitu
10 monetæ cuiusdam, signatæ imagine Hussi, expresserunt. Vaticinij fidem comprobauit euentus. Interceserunt enim inter finem Synodi Constantiensis & initia disputationũ Martini Lutheri, anni cẽtum. Crematus est deinceps similiter Hieronymus Pragensis quinta Iduum Septembris.

15 Renouatum est in hac Synodo & decretum de altera tantùm parte Cœnæ Dominicæ Laicis cõmunicanda, horribili furore & audacia, & constitutum inter alia est, vt anno ab huius exitu quinto alia, & septimo deinceps iterum, in posterum verò decimo quouis anno post prioris
20 exitum, Synodus indiceretur, quæ constitutio præcipua & vtilissima fuisset, si Synodi quæsiuissent repurgationem doctrinæ. Ex hac constitutione Papiensis Synodus conuocata, & inde propter pestem Senas fuit translata. Hãc cùm dissoluisset Martinus quintus, metu Alphõsi regis Arrago-
25 num, qui odio Martini, Petrum Lunẽsem pontificatu Cõstantiæ abdicatum, restituere conabatur, Basileam futuræ post septennium Synodo designauit, & Iulianum Cardinalem misit in Germaniam, vt bellum Boëmicum promoueret, & Synodum cogeret, atque gubernaret.

30 Sequuta est itaque Basilienſis Synodus, anno millesimo, quadringentesimo, tricesimo, primo. Iniit die septima Septembris. Fuerunt cò inuitati etiam, & admissi Boëmi, adhibiti, ad deliberationes de controuersis dogmatibus, viri eruditi. Certatũ est acerrimè de authoritate, ac potestate
35 Pontificia, tandémque decretum, Synodi authoritatem maiorem esse, quàm Põtificum: posse Synodorum iudiciis Pontifices, à gubernaculis remoueri: tribuenda esse suffragia non solis Episcopis, sed etiam cæteris doctis, & piis: de quo articulo, cùm esset magna contentione disputatum,
40 vicit tamen hæc sententia propter locum in actis Apostolicis, vbi memorantur adhibiti in diiudicanda controuersia de Circumcisione, non soli Apostoli, sed etiam cæteri Seniores.

Hos articulos etsi leuiores erant, tamen quòd Eugenius quartus Martini successor videret labefacturos esse Pontificum potentiam, & memor præcepti veteris : Μὴ παρᾶγε τὸ ἀρχαῖον ὅριον, existimaret nulla in re quamuis leui, exemplum violandæ authoritatis Põtificiæ concedendum esse, Synodos enim paulatim plus libertatis sibi sumturas esse, præcepit Synodum transferri Bononiam. Quòd, cùm grauiter ferrent Sigismũdus Imperator, & cæteri, qui conuenerant, citaréntque Eugenium Basileam, & si non compareret, minitarẽtur ei diras, atque execrationes, abdicationémque à Pontificatu, territus Eugenius confirmauit acta Synodi. Sed mox adeptus occasionem nouam, ex aduentu in Italiam Iohannis Palæologi, Byzãtini Imperatoris, qui venerat petitum auxilia, contra Turcas, rediit ad prius consilium, promulgato edicto de Synodo, Ferrariam traducenda, vnde mox Florentiam transiit.

Etsi autem dum in viuis esset Sigismundus, acriter restiterunt Patres Synodi Basilienses, his conatibus Eugenij, & Græcos, si de consensu Ecclesiarum deliberari quid atque constitui vellent, Basileam vt accederent, hortati sunt, vicerunt tamen artificia Eugenij, Sigismundo mortuo, qui cùm authoritate non posset, armis Synodũ dissipauit. Nã cũ esset sanctissimus humani sanguinis, incitauit Delphinum Galliæ, qui postea fuit rex Ludouicus vndecimus, vt ingentibus in Germaniam copiis adductis, Basilea eos, qui conuenerant, pelleret. Hæ, cùm inauditam crudelitatem in Alsatia exercuissent, Basileam petiuerunt, ibi exiguæ Heluetiorum copiæ fortiter totum exercitum Gallicum represserunt, etsi ipsę occubuerunt propemodum, vt trecenti Lacedæmonij ad Thermopylas.

Etsi autem fuit virtute Heluetiorum liberata terrore Gallico Basilea, tamen in his tumultibus paulatim dilapsi sunt regum legati, qui conuenerant. Interea in Florentino cõgressu, Eugenius persuasit Grẹcis, vt sentẽtiam Romanæ Ecclesiæ, de processione Spiritus sancti, amplecterentur, vt recepturos se in suas Ecclesias vsum panis azymi promitterent, vt fabellis de purgatorio, vt commento de Pontificia potestate, assentirentur, quod factum est anno Christi millesimo, quadringentesimo, tricesimo nono.

Sed quæ Imperator, & Patriarcha coràm approbarant, & amplexi erant, ea cæteræ Ecclesiæ Græcæ domi repudiarunt, ac refutarunt tanta vehementia, vt quotquot cõsensissent, iis negarent officia Christianæ sepulturæ, figmentum

tum tamen de transſubſtantiatione reiecerunt. Nec multo poſt, vt dictũ ſupra eſt, & repetetur deinceps, vi expugnata Conſtantinopolis, venit in poteſtatem Turcarum.

Synodus verò Baſilienſis ſe diſturbari, & loco moueri paſſa non eſt, ſed authoritate ſua vſa, contra Eugenium ſententiam tulit, qua illum Pontificatu deiecit, ſurrogato in eius locum Amadeo, Sabaudiæ duce, qui ſe Fœlicem quintum nominauit. Inde nouum extitit ſchiſma, quod morte Eugenij diremtum, ac ſopitum eſt, cedente Pontificatu ſua ſponte Fœlice quinto. Etſi autem, vt hic neruus, tyrannidis Pontificię, Synodi authoritate confirmaretur, Eugenius furenter contendit, ſcilicet vt quemadmodum Stratocles Athenis decretum fecerat de Demetrio: παν ὁ,τι ἀν ὁ βασιλεὺς σημήνειε Θ- κελεύσῃ, τῦτο καὶ τοῖς θεοῖς ὅσιον κὴ τοῖς ἀνθρώποις ἔιναι δίκαιον: Sic quicquid ſtatuiſſent Pontifices, id ſimiliter pium erga Deum, & iuſtum eſſet erga homines: tamen Synodus Baſilienſis non aſſenſit.

Quod ergo vtraque Synodo, Conſtantienſi, & Baſilienſi, Pontifices de authoritate ſua plurimum decerptum eſſe, atque diminutum ſentirent, poſtea arte cauerunt, ne vlla amplius ita coiret, vt libertas eſſet piis dicendę ſententiæ. Sed reprimi veritas tyrānicis, imo Diabolicis artib. & conſiliis diutius non potuit, quibus cùm colluctata illa ſequentibus annis ad Lutherũ vſque, tandem tamen, Chriſto duce, Luthero Miniſtro perrupit, & Pontificum tyrannidem telo anathematis exarmatam, ac vehementer enerũatã proſtrauit, aſſerta ac reſtituta Filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, ſua gloria, doctrinæ partibus omnibus repurgatis, & illuſtratis, iugo traditionum humanarum detracto de ceruicibus hominum, atque proiecto. Quod vero Synodos in Germania, vt ſibi maximè infeſtas, Pontifices amplius celebrari noluerint, præſagium fuiſſe ſentio euentuum, qui ſequuti ſunt, vt tandem à Germanis tyrannis hæc conuelleretur, atque euerteretur.

ALBERTVS AVSTRIACVS.

POſt fata Sigiſmundi, Albertus Auſtriacus gener, cum Imperio Romano ſimul duo potentiſſima regna, Vngaricum, & Boëmicum anno vno obtinuit, qui fuit annus Chriſti milleſimus, quadringẽteſimus, triceſimus octauus. Boëmicum non ſine armis poſſedit. Nõnulli enim ex proceribus addicti Thaboritis, quod oppidum extruxerat, & munierat Ciſca, vltor, & vindex necis Huſſi, attraxerant in ſpem regni Polonos, quibus Imperator oppoſuit Albertũ,

marchionem Brandeburgenſem. Hic Polonos, aliquot leuibus, ac tumultuariis prælijs, fatigos, coegit, pace facta, regni limitibus excedere.

Sed altero mox anno, Imperator diſſenteria correptus; ex peponum eſu nimis aſſiduo, interiit in Vngaria, non procul à Strigonio, cui vrbi confluens Iſtri, & Grani, coactis in vocem vnam dictionibus geminis, nomen dedit.

Deceſſit ſexto Calend. Nouembris, anno milleſimo, quadringenteſimo, triceſimo nono, relicta Eliſabetha, quæ Sigiſmundi filia erat, coniuge grauida, & ex ea duabus filiabus, Anna, quæ deinceps, Wilhelmo duci Saxoniæ copulata eſt, & Eliſabetha, quæ data eſt in matrimonium Caſimiro Poloniæ regi.

Ex hoc præmaturo regis obitu nouarum diſtractionum ſemina, & ceu belli noui materia exarſit. Non quieſcebant enim Turcæ priores bello laceſſiti à Sigiſmundo, & infelici, irritóq; huius conatu, animati, atque in ſpem potiundæ Vngariæ erecti. Albertus, vt clades priores vlciſceretur, & depelleret hoſtes Vngariæ imminentes, arma parauit. Sed in ipſo apparatu è viuis exceſſit.

Quòd ergo Vngaria eſſet ſine rege, Amurathes, qui nuper Georgio Seruiæ Deſpotæ Principatum, & liberos eripuerat, protinus ex vicina Seruia in Vngariam incurſiones crebras, atque incolis maximè funeſtas, fecit. Pannones diffidentes rebus ſuis, vt vires augerent ſocietate Polonorum, conſilium iniuerunt de nuptiis Ladiſlai Poloni reginæ grauidæ conciliandis, quanquam de partu quid futurum erat, eſſet incertum.

Regina etſi initio à nuptiis non abhorruit, argumentis neceſſitatis perſuaſa, tamen vbi filium enixa eſſet Ladiſlaũ, nuptias prorſus recuſauit, cupiens filio regnum auitum cõſeruare. Ea res in bellum erupit graue admodum, ac perniciоſum, cum ex proceribus nonnulli, qui res ad Ladiſlaum inflexerant, hunc depoſcerent, & ad vindicandam repulſæ contumeliam incitarent: nonnulli reginæ, & regis poſthumi partes tuerentur. Ingreſſus in Vngariam Ladiſlaus, ſtudio, fauoréque proceru citò ob vrgentem belli Turcici neceſſitatem, bonam regni partem occupauit. Nec rebus ſuis deſuit regina vidua, amiſſa recuperando, & aſtu atque inſidiis Ladiſlaum oppugnando.

His inter ſe conflictantibus, Amurathes celerrimè copias vniuerſas per Myſos, Triballóſque Belgrado admouit, quę Tauruni nomine veteribus celebrata, & ad Saui, Danubiique

que confluentem opportunissimo loco, & natura, atque arte munitissimo posita, regni propugnaculum erat. Præcipua apud Ladislaũ valebant authoritate, Iohannes Hunniades, & Georgius Seruiæ Despota exul. Horum alterum Hunniadem, Ladislaus Transsyluaniæ, quæ veterum Dacorum sedes fuit, præfecit, vt se intestino bello distento, arceret ex ea parte Turcos: alterum Georgium ad limites contra Belgradum collocauit, cum præsidiis, ad prohibendas ibidem Turcarum excursiones, ac populationes.

Magnitudinẽ periculi cùm intellexissent cæteri Europę Principes, id dederunt operam, vt dissidia inter reginam viduam, & Ladislaum componerentur. Res ita transacta est, vt regina ambas filias certis conditionibus desponderet fratribus duobus, Casimiro, & Ladislao.

Interea Hunniades multos Turcorum exercitus deleuerat, & Seruiæ partem, ac Muldauiam totam receperat. Aduersus hunc Amurathes ingentes copias coegerat. Sed Hunniadi subsidio venit Ladislaus, qui sui Achatis consilio progressus, superatis, profligatísque Turcicis copiis aliquoties, citò maximam partem Seruiæ, & Bulgariæ victricibus armis percurrit.

Hunniades, eo bello, vno die quinquies cum Turcis aperto Marte congressus, quinque victoriis partis, vt colophonem prioribus adderet splendidissimum, sub noctem Anatoliæ Bassam, Amurathis affinem, ingenti ausu temerè, & improuidè Hunniadis fortunæ sese obiicientem, ita contriuit, vt triginta Turcorum millia ad internecionem ceciderint. Ad huius cladis famam, etsi trepidare Amurathes cœpit, tamen ne timiditate, & sese, & maiorum audacia ac quisitum Imperium destituisse diceretur, nouis ex Asia copiis accitis, factóque supplemento, Carambeium Bassam Phrygiæ, virum impigrum, & manu, consilióque promptum, in quo spem omnem positam habebat, denuo instruxit. Hunc, in Hæmi montis vallibus nimio vindictę desiderio, incautius irruentem, Ladislaus, Hunniadis prouidentia, ita excepit, vt inexpectata celeritate obrutum, ac circundatum ceperit, copiis illius vniuersis partim iugulatis, partim disiectis.

Eares tantum fertur Amurathi incussisse terrorem, vt de morte, sibiipsi ex desperatione conscisscenda, consilium habuerit. Sed præsentia, ac magnitudine animi, expeditísque consiliis Halibæi Bassæ, hominis astuti, & vafri, quem Carãbeio successorem destinarat, rursus confirmatus, eo-

dem monitore, aliam iniuit belli gerendi rationem, vt præ-
cluſis, obſeptíſque ad Rhodopen montem anguſtiis, elu-
deret cunctando, circumducendóque Fabij Maximi, con-
tra Hannibalem ſtratagemate, artes & conatus Hũniadis.
Ladiſlaus, ea re animaduerſa, cùm bellum videretur futu-
rũ longius, ac difficilius, propter anguſtias infidarum val-
lium, contentus aliquot victoriarum gloria, exercitum,
quanquam aduerſante, & reclamante Hunniade, reduxit
triumphabundus Belgradum, oſtentans inter prædas hoſti-
bus ereptas, captiuum Carambeium.

Harum cladium fama exciuit Caramãnum, Cilicię Prin-
cipem, vt Pontum, & Bithyniam, Turcorum in Aſia pro-
uincias inuaderet. Amurathes igitur, cùm acciſas tot præ-
liis copias, vtrique bello non ſuffecturas eſſe cerneret, ſed
Europęum hoſtem, atque exercitum magis, quàm Aſiaticũ
reformidaret, legatos miſit ad Ladiſlaum, petitum pacem,
iis conditionibus, quibus vellet victor. Ladiſlaus non diffi-
culter aſſenſit, tulítque conditiones, vt Amurathes tota ce-
deret Seruia, deductis præſidiis ex iis arcibus, & oppidis,
quæ adhuc tenebat, redderet Georgio Deſpotæ liberos,
redderet fortunas, & abſtineret ab iniuriis in poſterum,
non repeteret Moldauiam, nec amiſſam Bulgariæ partem.
Ibi cùm Amurathes ſolam ſibi Bulgariam relinqui peteret
integram,, annuente Ladiſlao, pax concluſa eſt in annos
decem, & iureiurando ſancita.

Sed pacis leges, cùm vix Amurathes ex Europa in Aſiam
traiecíſſet, violauit Ladiſlaus, iuuenis, alacer & ferox, in-
certæque belli gloriæ, quàm ſecuræ pacis auidior, & ex A-
murathis abſentia, blanditiiſque arridentis, atque ad ge-
nium ipſius alludentis fortunæ prioris, in non dubias re-
cuperandi Imperij Byzantini ſpes illectus. Rupit autem fœ-
dera, perſuaſus ex Eugenij inſtinctu, Iuliani Cardinalis in-
ſanis, & exitialibus conſiliis, qui Pontifici licere iuramen-
ta, præſertim hoſtibus Chriſtiani nominis præſtita, reli-
gioſa authoritate reſcindere, contendebat, & ſpem regi fa-
ciebat futurum, vt Pontificis, Philippi Burgundię ducis, &
Venetorum claſſis ad Helleſpontum Amurathi ſuppetias
ſuis laturo, reditum ex Aſia in Europam intercluderet. Se-
gedino egreſſus Ladiſlaus, cum vniuerſis copiis, & Wala-
chiam, Bulgariámque omnem magna celeritate emenſus,
ad Varnam, Bulgariæ oppidum, quæ antiquitus Dionyſio-
polis vocata eſt, ſubſtitit, morbo detentus.

Amurathes vbi rem comperit, mox omiſſo Caraman-
no,

no, quantis potuit itineribus ad Helleſpontum reuerſus, Aſiaticas copias trāſmittit in Europam, qua fretum arctiſſimum eſt ad Calliopolin, claſſe Italica, ſeu flagitioſa timiditate, ſeu ſcelerata perfidia, ociosè ſpectante. Corruptos enim fuiſſe ſpeculatores, tradunt nonnulli, qui timiditati gentis patrocinantur. Tranſportarunt autem copias Genuenſium naues, quibus de ſingulis capitibus, ſingulos aureos nummos ſolutos eſſe perhibēt, ſcilicet, vt quadam quaſi euentuum conſpiratione in hoc etiam tam acerbo, ac funeſto caſu palàm fieret, quæ ſit, & fuerit Satellitij Pontificij in periculis Chriſtianæ reipub. & quidem Pontificum arte commotis, atque accerſitis, cōſtantia, magnanimitas, ac fortitudo, & quæ Ligurum fides.

Amurathes, cùm Aſiaticas copias inter Europęos non procul ab Iſthmo Cherſoneſi Thracici diſtribuiſſet, promotis inde caſtris verſus Adrianopolin, incredibili celeritate, die ſeptimo contra Ladiſlaum, adhuc ad Varnam hærentem, & nihil tale opinantem, caſtra poſuit. Deuentum eſt ad pugnam, ad quam eductæ ſunt acies vtrinque quarto Iduū Nouembris, Chriſtianam ſtruxit Hūniades, maturo, deliberatóque conſilio, vt latus vnum ad paludem quandam, alterum ad currus, valli inſtar, aut muri concatenatos, tergum exercitus ad montes conuerteret.

Certatum eſt totos dies, noctéſque tres, diu fortuna anceps, ſed tanto animorum ardore vtrinque, tantóq; impetu, vt cæſorum ſanguine cāpi ſtagnarint. Victoria tandem ad Chriſtianos inclinare viſa eſt, ob primos Turcorum ordines diſturbatos, atque in fugam dilapſos, confuſéque palantes, & Imperatorem ipſum trepidantem, ac deſperabundo ſimilem. Cùm Antiſtites, quos in templis, & in ſcholis, quàm in acie conſpici ſatius fuerat, ac decentius, ex ſtatione ſua hoſtem fugientem inconſultò proſequuti, aditu ad nudatos ordines patefacto, victoriam, & vitam regis, totiúſque exercitus, ac regni Pannonici, imo Europæ ſalutem hoſtibus prodiderunt. Mox enim ab ea parte in legiones Chriſtianas, immiſſi Turcorum ſagittarij, ordines ruptos diſſiparunt, & vrgente occaſionem Amurathe, reliquum exercitum, magna ex parte circumfuſis legionibus ſuis, vndique concluſerunt.

Rex iuuenis cùm pugnādo ad prætorianos vſque penetraſſet, ex equo, lethaliter ſauciato prolapſus, multis vulneribus confoſſus eſt. Antiſtites in turpi fuga, turpi interitu, Pœnas dederunt perfidiæ ſtolidęq; audacię, nimirum cœ-

no in paludibus ſuffocati. Hunniades vix euaſit. Pars copiarum, cui belli fortuna pepercerat, fuga quidem ex hoſtium manibus erepta eſt, ſed partim paludibus, ac lacubus abſorpta, partim fame, frigore, vigiliis, enecta in ſyluis miſerabiliter interiit. Iulianus rumpendi fœderis author, ſ nudus repertus in via, ſed multis vulneribus ſaucius, iudicatus eſt à ſuis fuiſſe iugulatus.

Ita rex inuenis, Pōtificum hortatu, ad fidem fallendam impulſus, & ab iiſdem rebus motis deſertus, ac proditus, ínque ipſa acie Satellitij Pōtificij imperita audacia, & tur- 10
pi fuga, in diſcrimen extremum adductus, cum exercitus ſæpe victoris parte maxima miſerabiliter trucidatus, rebus Chriſtianis detrimentum ſummum, hoſtibus ad acquirendum, ac ſtabiliendum Orientis Imperium, opportunitatem ſummam attulit. Adeo conſenſu experientiæ 15
perpetuæ certum eſt, nulla fuiſſe vnquam felicia, & ſalutaria, vel fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de horum conſilio ſuſcepta, & adminiſtrata, præſertim vbi cauſſæ fuerunt, aliqua religionis ſpecie veſtitæ, aut cùm fuit ſpectata, & quæſita dignitatis, aut potentię Pontificię am- 20
plificatio. Dimicatum autem eſt anno milleſimo, quadringenteſimo, quadrageſimo quarto, in profeſto Martini, ſcilicet, die decima Nouembris.

Erat Iohannes Hūniades natione Semidacus, ſeu Walacus, Comes Biſtriciēſis, Ducum omnium, qui cum Tur- 25
cis arma contulerunt, illo tempore clariſſimus, ſolers, ac ſagax in proſpiciendis, patiens in expectandis, celer in arripiendis, acer in perſequendis rerum occaſionibus, atque in ipſis rebus vrgendis pertinax, conficiendis felix, ac fortunatus. Aduerſus duos enim audaciſſimos, ac feliciſſimos 30
Turcicos tyrannos, Amurathen, & Mahometen, diuina ope Pannoniam defendit: Sitque propterea appellatus fulmineus terror Turcorum. Fuit enim non modò, vt de Achille Homerus inquit, Achiuorum, ſed totius reliquæ Europæ murus, cuius vnius virtus, & felicitas tyrannorum 35
impetus repreſſit, velut obiecta moles, exundans flumen. Nec quiſque regum, aut ducum, res maiores, & Europę vtiliores aduerſus Turcos geſſit.

In hoc Varnenſi bello, quod non ipſius, ſed Iuliani & Epiſcoporum conſiliis regebatur, non fuit ἀκων ὑπὸ rege 40
Ladiſlao non iuſta arma capiente. Ideo infelix fuit dimicatio, ſed Deus texit eum, vt ſupereſſet Vngariæ, ac hoſtem poſt victoriam progreſſurum reprimeret, turbaráſq;

regni

regni res atque rationes constitueret, quod egregiè præstitit. Mahometem enim Amurathis successorem, à Belgradi obsidione, fortissimè depulit, fusis circiter quadraginta millibus Turcorum, vbi victori continuis præliis duorum dierum vehementer defatigato, conjectóque ex laboribus, & ardore animi in lethalem corporis ægritudinem, & commendanti sese, ac patriam piis votis, Domino nostro Iesu Christo, atque adhortanti filios qui aderant, ad virtutem, Deus concessit exitum placidum, & glorioſum: anno millesimo, quadringentesimo, quinquagesimosexto, quarto Idus Septembris.

Ladislaum, Alberti posthumum educauit Fridericus Imperator, nec, reposcẽtibus Vngaris, eum reddidit, nisi postquam eousque adoleuisset, vt ætas capessendo regno esset idonea. Regni curam cùm suscepisset adolescens, totum se dedidit Vlrico Ciliæ Comiti, suo propinquo, ita vt nisi de ipsius consilio, & voluntate decerneret, & faceret nihil, quæ res ipsi regi inuidiam apud Vngaros conflauit, odia erga Vlricum vetera in proceribus vehementer auxit. Nã Vlricus cum Hunniade capitales exercuerat inimicitias, offensus sola magnitudine virtutis eius, & gloriæ. His odij caussis impulsus, dignitati, & vitæ eius fuit insidiatus. Nec odij crudelitas in eo placata est, vel meritis tantis, vel interitu Hunniadis, sed erupit aliquanto post in filios. Vt enim patri Hunniadæ insidias struxerat, ita filios Ladislaũ & Matthiam calumniis oppressos, conatus est tollere: de quibus, cùm Ladislaus venisset expostulaturus, cũ Ciliano ortarixa est, quæ in pugnam exarsit, in qua Cilianus prior feriens à Ladislao repulsus, & confossus est. Etsi autem Ladislaus, postquam regi exposuisset facti caussas, impetrauit fidem publicam, & rex matri supplici affirmauit, se filio ignoscere, & obliuionem facti, atque ἀμνηστίαν sanciuit, donauit etiam Ladislaum purpurea veste, cui aurum erat intertextum: tamen paulò post rex nouis inflammatus calumniis, fratrem vtrumque cepit, & de Ladislao supplicium sumpsit, in quo innocentiæ testimonium Deus, mirando exemplo, tribuit. Productus enim Ladislaus in ea veste, qua donatus erat à rege manibus vinctis, dum inter vota ad Deum, procumbens in genua, forti animo ceruice erecta, ictum expectabat, ter à lictore percussus, atque ex ictu prolapsus in terram, suopte annixu, quãquam ligatus esset, sese rursus à terra attollit, & clara voce Deum innocentiæ suæ testem inuocat. Quarto demum icta capite

præfecto, vitam profundit.

Rex cum ex ſupplicio Hunniadis, creſcere odia procerum Vngaricorum didiciſset, ſéque ſine periculo diutius ibi non verſari poſse perſpiceret, ſeceſſit in Boëmiam, abducto ſecum Matthia, altero Hunniadis filio, vel ne Pannonij eius liberandi cauſsa, ſi apud ipſos relinqueretur, tumultus mouerent, vel vt extra Vngarorum oculos de eius ſupplicio, quem metuere oportebat, conſideratiùs, ac liberius ſtatueret. Sed regem, ante latam de capite Matthiæ ſententiam, nuptias Pragæ parantem cum ſponſa Gallica, Margareta Caroli ſeptimi Francorum regis filia, veneno intra paucas horas ſublatum eſse tradunt, regnum arripiẽte Boiebracio, procerum potentiſſimo, vigore animi, clientelis atque opibus.

Hic Boiebracius, Vngaris repoſcentibus, Matthiam ad regnum, memoria virtutis, ac felicitatis paternæ, inſtinctu auunculi Micaeli Zilagi, mox cum reddidit, non ſolùm catenis detractis, ſed inſuper ad certiſſimum amicitiæ pignus, filia deſponſata, ac tradita, additiſque regij cultus muneribus, vt eo beneficio Vngaros, & ſibi obſtringeret, qua re, nihil erat, opportunius ipſi ad regnum nouum confirmandum, & Boëmis conſociaret.

Ita ex carcere, ad regnum Matthias eductus eſt, nõ per ſeditionem, & ciuilem cruorem, ſed ſingulari conſilio Dei, & magno conſenſu omnium procerum, & ordinum, grata mente recolentium memoriam beneficiorum patris Hunniadis, quam Ladiſlaus rex, ceu miniſter odij, & ſæuitię alienæ, intempeſtiua crudelitate in altero filio obruerat. Etſi autem ſingulari clementia, & protectionis diuinę exemplo, ac Boiebracij iuſtitia, ac prudentia, quæ laude digna eſt, ad regnum, Matthias eſt ſeruatus, tamen hic non viciſſim, quam debuit gratiam, benefactori reddidit, cùm ſe ad arma Boiebracio inferenda Pontificum furiis impelli paſſus eſt, etſi, vt non neceſsaria, nec iuſta, ſic infelicia illa fuerunt, & reip. Chriſtianæ noxia. De Matthia verò, & Imperio Occidentis, infra plura. Nunc de rebus Turcicis pauca ſubiiciemus.

D E

DE TVRCICIS REBVS, QVIBVS MISCENtur Scythicæ seu Tartaricæ, Persicæ & Ægyptiæ.

BAIAZETES PRIMVS, ET Tamerlanes Scytha.

QVibus occasionibus, initiis & progressibus extulerit sese rursus potentia Turcorum in Asia, cùm esset oppressa à Scythis Tartaris, atque inde quomodo sese in Europam effuderit, supra ostensum est. Erat autem iam tum valida potentia, in Europa, Turcorum, quando post Amurathis cędem Baiazetes filius, summam rerum occupauit, regnum auspicatus à cæde fratris, vt solutus metu æmuli, animo liberiore vrgeret propagationem Imperij aduersus Christianos.

Relicta Prusia, Bithynię vrbe, sedem Imperij fixit Adrianopoli, quæ loco opportuniore est ad magnum Imperium, & ad conũgendas cum Asia vires Europæ. Inde mox cum infesto exercitu profectus in Mysos, Triballósque, secundum Isttum ad mare Ponticum extensos, quos Bulgaros, Seruiósque à nouis colonis nominamus, occurrentẽ Marcum Despotam, cum vniuersa Bulgarorum, & Seruiorum nobilitate, deleuit, totáque ea ditione subacta, hinc in extremam Illyrici regionem, quæ pars est regni Bosnæ, & interiorem Macedoniæ, atque Epiri partem, quæ Albania est, adeóque ad ipsam Vngariam vsque, terribilibus excursionibus populabundus, nemine resistente penetrauit, & impune recessit, onustus ingentibus spoliis. Abegit enim ex his regionibus, innumerabilem captiuorum multitudinem in Thraciam, præter auri, argentíque vim, & res pretiosas, circiter annum Christi millesimum trecentesimum, septuagesimum sextum. Anno, ante mortem Caroli quarti, penultimo.

Nec multo post, peruastata Thessalia, Thraciáque, ad Bosphorum vsque, & deletis Byzantinorum suburbanis, vrbi castra admouit, cum tanto Græcorum metũ, vt Iohannes Palæologus Imperator, diffisus rebus suis, ad imploranda Europæa auxilia, in Galliam vsque nauigare, cogeretur.

Galliæ regnum, vt dixi, administrabat tum temporis

Carolus sextus. Is cum periculi magnitudinem intelligeret, Iohannem comitem Niuernensem, patruelem, qui postea Burgundiæ Principatum consequutus est, cum equitatu exquisito in Pannoniam misit, vt Sigismundo regi, in communes hostes arma paranti, iungeretur. Comitati sunt Iohannem præcipui Germaniæ & Galliæ Principes, atque ad Sigismundum delati, arrepto itinere, per Seruiam, coniunctisque copiis post leuiculas aliquot in itinere victorias adeptas, Nicopolin peruenerunt. Eius vrbis oppugnatio infeliciter tentata, spatium dedit Baiazeti ad cogendas copias, qui sua celeritate vsus, cum sexaginta equitum millibus, ad tertium Calend. Octobris nostris sese obiecit. Ibi quo euentu pugnatum sit, supra in Sigismundo expositum est.

Victor Iohannem cum captiuis quinque (reliquos enim in horum conspectu omnes, in frusta concidi iussit) Prusiam deduci, ibique custodiri præcepit. Sed redemtis ducentorum millium aureorum precio, reditum concessit, pecuniã Iacobo Mytilenarum Principe soluente. Reuersus domum Iohannes in memoriam captiuitatis, familiã militarẽ instituit, certis inter se legibus, & officiis deuinctam, cuius qui socij sunt, pro symbolo gestant torquem aureum concatenatum non annulis rotundis, sed angulosis nexibus, formatis ad eam speciem, quę ferramenti est quo ignis ex silicibus, excutitur: sed transuerso positu inter se coaptatis, vt figuram crucis S. Andreæ exprimãt, silicéque annexa, & subtus aurei velleris effigie dependente, scilicet, quod iis in locis exulasset, in quibus fama doceat, aureum vellus ab Iasone quæsitum, & S. Andream, Petri fratrẽ cõcionatum esse, & quod ante id bellum ab Astrologo alludente, ad insignia ferri excussorij cum silice, prædictũ meminerat, Turcarum fore victorem Principem, qui ignem in pectore gestaret. Incidit autem hic conflictus in profestũ diui Micaëlis, anni millesimi, trecẽtesimi, nonagesimi quinti. Gallici Scriptores tradunt, ordinem aurei velleris institutum esse à Philippo bono, Iohannis filio, symbolum vero aurei velleris, ideo ab eo assumptum esse, quod pręcipua vectigalia haberet ex lanificio.

Baiazetes à victoria, ad obsidionem Constantinopolitanam reuersus, penè non dubia spe expugnandæ vrbis, suburbia omnia, dirutis ædificiis, euastauit. Nec resistere diutius tam feroci, & valido hosti, attritæ Græcorum vires potuissent, nisi interpellata obsidione, in Asiam eum procul abstra-

abſtraxiſſet Tamerlanes Scytha, cùm centum myriadibus equitum, & peditum torrentis inſtar è Scythia effuſus, eodem itinere, quo Hielon, & Aſabaga, Chriſtianis, de Hieroſolymitano regno, cum Ægyptiis certãtibus, cẽtum ferme annis ante aduentum Tãbernalis in Syriam penetrarũt. Hũc Tamberlanem, quem Græci Scriptores, Temyren nominant, tradunt Samarcandę vrbis, quę metropolis eſt Zagataiorum Tartarorum ad Iaxartem amnem, Sogdianę regioni finitimum, infimæ ſortis ciuem fuiſſe, & ex humili loco, belli ſucceſſibus, ad ſummũ Imperium aſcendiſſe, finitimis Sogdianis, Aracoſiis, Bactrianis & Hircanis, quos vno nomine omnes hodie, Tartaros Zagataios, nominant, edomitis ac ſubactis ad Perſiam vſque. Nec de origine plura addam.

Bellum cum Baiazete quo euentu geſſerit, paucis referã. In aditu Aſiæ anterioris, aliquot Armeniæ vrbibus captis, & Sultania Perſarum olim regia, quæ veteribus eſt Tigranocerta, direpta atque incenſa, dextrorſum iter flexit, Euphratéque ad Arſengam ſuperato, in Cappadociam tranſiit. Ibi expugnata Sebaſtia, quæ hodie Suias appellatur, Orthobulẽ, Baiazetis filium, cepit, & paulo poſt interemit. In captiuos ſæuitiam exercuit tantam, vt omnem promiſcuè multitudinem, quam affirmant penè numerum duodecim myriadum æquaſſe, equis conculcandam obiecerit. Ibidem moranti obuiam factus Baiazetes, cum ingentibus copiis caſtrametatus eſt ad Stellam montem, Pompeij Magni de Mithridate victoria celebrem, cui ab Antitauri radicibus exporrecta planicies ampla ſubiacet, campis ad acies commodè ſtruendas, ac diſponendas vndique latè patentibus, qui Turcarum lingua Caſſonaſi, id eſt, anſerum cãpi nominantur, inde, quod id genus volucrum, ſtatis anni tẽporibus, eò cõueniat, vt totis agminibus in Europam commigret.

Dimicatum eſt inter hos anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, nonageſimo ſeptimo, ſecundo poſt Nicopolitanam cladem anno, eo exitu, vt circiter centum quadraginta millia hominum ceciderint, & Baiazetes equo plurimis ſagittis cõfixo, captus, atque ad Tamberlanem perductus, miſerabile fortunæ ludentis ſpectaculum toti Aſiæ præbuerit. Nam catenis vinctus aureis, inque cauea ferrea cãcellata per Aſiã circũductus, & paſſim oſtentatus, victori equum aſcendenti dorſo ſubdito ſcabelli vſum præſtitit, exemplo fortaſſis Saporis, Perſarum regis, qui Valerianum

Romanum Imperatorem, similibus iniuriis insolenter exagitatum, ad mortem adegit. Sed & inter conuiuandum acerbissimè insultantem, exprobrantémque venationis studium barbarico, truculentóque fastu, assidue audiuit, & coniugem Lazari, Despotæ filiam, quam vnice dilexerat, pocillatricis loco ad mensam famulãtem spectauit. Aiunt Tamerlanem cuidam pro Baiazete deprecanti, & claritatem nominis ex tot præclaris victoriis commemoranti, respondisse, se non regem rebus gestis, aut nobilitate clarum, sed hominem improbum, & nefarium, fratris natu maioris parricidam punire.

Post victoriam Tamerlanes Taurum montem trasgressus in Mesopotamiam, peruasit, tanto illato incolis terrore, vt ad maris Syriaci oram vsque signa protulerit, & Sultani Memphitici copias non procul a Pelusio, per duces suos profligarit, nulla nec in Mesopotamia, nec in Comagena, nec in Syria ciuitate impetum eius sustinente, Damasco excepto, quam tamen vi tandem cepit. Prætoriis vsum ferunt in conspectu vrbium, primo die cãdidis, altero rubentibus, tertio atris. Horum colorum candidus mox dedentibus sese clementiam, ruber cunctabũdis gladiũ, ater repugnantibus flammam & cineres denunciauit. Ad Ægyptum, arenosis solitudinibus detentus, victoriis suis finem imposuit, cumque exercitum sæua pestilentia depopularetur, diues spoliis redit Sarmacandam, vbi fato functus est, anno millesimo, quadringẽtesimo, secũdo. Arsit ante mortem eius ingens, & luridus Cometa, ille ipse, cuius, paulo ante facta est mentio.

Baiazeti huic miseriarum mors attulit, altero à captiuitate anno, cùm bella Turcica administrasset annos viginti sex. Præter ingentem & expeditam vim consilij, & animi ad res gerendas, commendatur in eo incredibilis in negociis omnibus celeritas, propter quam Turcica lingua Hildrim, Græca κεραυνὸς, id est, Cœli fulgur, eum cognominarunt, vt Tamerlanem, Temir Cuthlum, quę vox Tartaris, fortunatum ferrum, significat.

Ex conflictu, cum Baiazete ad Angorium, quod oppidum ex veteris Ancyræ ruderibus supersit, filij eius aliquot euasserunt, de quibus alij alia scripserunt. Plures recensentur in Græcis historiis Iesus, qui & Iosua natu maximus, Mulsumanes Moses, Mahometes, quẽ Cyriscelebẽ & Cyrum & Celebinum nostri vocant, Iesus iunior, Mustaphus, Hali.

Iesua

Iosua, procerum, & copiarum, quæ superfuerunt, consensu, principatum adeptus, a Mulsumane fratre, quem adiuuerunt Græci, acie victus, quarto, à clade patris, anno, regnum, & vitam perdidit.

Idem Mulsumanes dimicauit, cum altero fratre Mose, quem, Tamerlanes, cum patre captum, dimiserat, & vicit eum, auxiliis Ismaëlis, principis Synopę, ex vetustis Turcorum familiis. Sed tandem, propter ignauiam, & voluptuariam vitam, Imperio excidit, traditus ab exercitu, fratri Moysi, qui eum necauit, circiter annum Christi, millesimum, quadringentesimum, duodecimum.

Contra Moysen, duxit exercitum Mahometes, adiutus opibus Caramanni è Cilicia. Hic exercitum, infensum Moysi, propter tyrannidem, & truculentiam, cùm ad se pellexisset, deserto illi à suis, captóque guttur chorda arcus elisit, vsitato, genti barbaricæ, supplicio. Idem & Mustaphá ambientem Imperium, ac Turcos sollicitantem ad defectionem, tandémque desperatione concedentem ad Græcos, his eum dedentibus, non supplicio quidem affecit, sed ad perpetuos condemnauit carceres.

Iesum minorem, baptismo Christianis sacris initiatum Byzātij, paulò post è vita excessisse tradunt. Hæc hoc modo referuntur à Græcis, à quibus cæterorum narrationes, paululum discrepant. Solus ergo superfuit, seu Mahometes, seu Celebinus.

Casus Baiazetis, & discordiæ præliantium inter se ab illius interitu filiorum, cùm attulissent Christianis ad excindendam gentem Turcicam, occasiones summas, & optatissimas, quid fecerint, proh dolor, euentus ostendit. Sed fatales pœnæ vrserunt orbem Christianum.

CELEBINVS BAIAZETIS filius.

NArrationes Græcorū, de filiis Baiazetis, diuersæ sunt, a nostrorum hominum scriptis. Hi enim duos ei tribuunt, Celebinum & Mustapham, hósque ex prælio Tamerlanis, præcipiti fuga, ad Hellespontum delatos, à Byzātinorum Mioparonibus, interceptos esse, memorant: sed ea sorte, vt Mustapha, à Palæologo Imperatore, sit in carcere asseruatus ad mortē vsque: Celebinus vel astu suo, vel, quod verisimilius est, Græcorum nautarum auaritia, adiutus, quod fato vocaretur ad Imperium, feliciter euaserit Hadrianopolin, vbi veteranis, qui in Europa supererāt, vndique ex præsidiis deductis, receptisque, qui è Scytharum

manibus elapsi, in Europam traiecerãt ad Sestum, & Abydum, quæ loca castellis vtrique littori impositis, præsidio firmissimo à Turcis tenebantur, cito copias cõtraxerit tãtas, vt tumultuario progressu, inualidas vicinorum Bulgarorum, Seruiorum, & Macedonum vires, facilè represserit.

De nomine, etiam hoc, nostri monent, Celebinum hũc, Mahometen, Lustrico die, appellatum: in quo cum Græcis consentiunt, alterum nomen inde tulisse, quod impuberes regum, procerũmque filios, Turci, Celebinos, sua lingua, vocitent. Sed & nomina apud nostros variant. Cynum enim, & Celebinum, & Cyricelibem eum appellant.

Græcis, Celebini nomen ignotum est. Mahometen illi memorant, qui post mortem patris, Prusiæ, apud priuatum quẽdam hominem, latuerit, & datis occasionibus, ad Aluium Caramannum, Ciliciæ principem, confugerit, atque huius, & aliorum Asiæ, atque Europæ principum ope, fratribus regnum eripuerit.

De rebus, ab hoc, in Asia gestis, nostri nihil commemorant, vt de Europæis, nihil Græci, excepto bello Veneto, quod de ea regione motum fuit, quę spectat mare Ionium. Hi enim tradunt Mahometen, amicitia iuncta, cum Emanuele Byzantio, bellum in Asiam transtulisse, aduersus Ismaëlem, Synopæ principem, qui Moysen fratrẽ instruxerat, & huic, bello facto, ademisse prouentus annuos, quos ex venis metallicis illorum locorum, habuit vberrimos. De Veneto bello, narrant, Mahometen deuictũ esse à Petro Lauretano Veneto apud Callipolin, & classe munitissima spoliatum esse, cum multa Turcorum clade: Emanuelem Palæologum verò, interea Isthmum, vt olim Peloponẽsij, Xerxis tẽpore, fecerant, ne pateret ea parte irruptionibus Turcorum, muro cinxisse, quem hexamilum nominauũt, eo, quod in iis angustiis, quæ Ægeũ mare, Ioniúmque disterminent, inter sinus duos, Corinthiacum, & Megaricum, in sex milliarium spatium, fuerit porrectus, ac Peloponnesum totam (hodie Moream vocant) ita incluserit, vt eam velut insulam effecerit. Perfossionem enim Isthmi, antea, à Demetrio rege, Iulio Cæsare, Nerone, & Herode Attico, aliquoties frustra cœptam, tentare denuo, irrito conatu, noluit.

Nostri, eum, perhibent, ignauia, & cũctatione principũ Europæ, dissidiisque inter se Græcorum, ac vicinorum cõfirmatum, Bulgaros, Seruios ac Macedones diu vexasse, vsque ad Sigismundi, regis Vngariæ, aduentum. Nondum enim

nim ad Imperium peruenerat. Hunc enim, quod arripiendam censeret occasionem, quam Scytharũ victoria ad nomen Ottomannicum nõ ex Europa solùm: sed & Asia vniuersa pellendum delendúmque aperuerat, & vt cladem Nicopolitanam vlciscereturexcitis studio tuendę, propagandæque religionis, Vngaris & Boëmis, valida magis, quàm felicia arma in Celebinum suscepisse, certò constat. Concurrisse eos infestis armis, ad Columbacium, Seruianorum oppidum, iuxta Samandriam, non procul à ripis Istri, supra dixi. In ea pugna, quam anno Christi, millesimo, quadringentesimo nono, proximo scilicet ante Sigismundi Imperium anno, commissam esse retuli, Christiana acies, equitatu impar, sed peditatu, qui in medio constitutus erat, superior, iniquissima ratione cum barbaris congressa, cecidit, peditatu omni, post equites Hungaros, & Boëmos loco depulsos, circumfusi equitatus Turcici sagittis confixo.

Græci huic Mahometi tribuunt annos duodecim, quibus, si iungantur reliqui, à captiuitate Baiazetis, quibus inter sese filij decertarunt, efficientur anni septemdecim, quos vsitatè, nostræ historiæ, Celebino adscribunt: sed de numero annorum, valde dissentiunt plerique Scriptores.

MAHOMETES PRIMVS.

QVæ post captum Baiazetẽ, de rebus Turcicis, memoię prodita sunt, cõfusissimè narrantur. Græci enim, vt nullius Celebini meminerunt, sic plures, vt monui, recensent Baiazetis filios, qui inter se, euentu belli vario, de successione in Imperio, certarunt eousque, donec ad vnum Mahometen summa rerum fuit redacta.

Nostri & de Baiazetis filiis, & de successione inter se eorũdem dissident: alij tribuunt Baiazeti, filios duos, Orchanem cognomento Calepinum, seu Celebinũ, & Mahometen, qui, fratre intra biennium obtrũcato, regnum occupauit, & huius Mahometis filium faciunt Amurathen secundum. Alij plures Baiazeti adscribũt filios, sed etiam ratione & commemoratione diuersa. Alij rursus duos tantùm, vt dixi, Celebinũ & Mustapham, & vicissim Celebino filios tribuunt, Orchanem & Mahometen primum, de quibus hoc commendarunt posteritati, Orchanem adhuc paruulum, auxilio ducum quorundam Imperium assumere annitentem, à Mose patruo interfectum esse. Sed Mosen, rapto principatu, non diu potitum, rursus pœnas dedisse patricidij Mahometi Orchanis fratri. Apud Græcos Orchanis mentio nulla est.

In hac tãta varietate, & diſcrepantia opinionum, mihi rectius videtur ſequi Græcos, & Mahometem hunc, quem primum aliqui ſtatuũt, facere filiũ Baiazetis, ſiue idem ſit, qui Celebinus, ſiue alius, qui, cæteris fratribus ſublatis, ad vnum Muſtapham vſque, ſolus dominatu potitus eſt.

Walachos aſperrimo bello attriuit, & profectus in Aſiam cùm recepit loca, à Tamerlane, occupata, tùm verò plurimos Turcicæ nationis principes in Galacia, Ponto, Cappadocia, Cilicia, partim pulſos fũditùs extirpauit, partim compeſcuit. Sedem Imperij habuit Adrianopoli, quæ Thraciæ caput eſt, & conflixit cum Sigiſmundo in campis Columbacenis. Nam ad Mahometem, quàm Celebinum, hæc verius congruere, non Græcæ hiſtoriæ tantùm, ſed ipſa tempora oſtendunt.

Mortuum tradunt, anno Chriſti, milleſimo, quadringẽteſimo, decimo nono, cum rebus Turcicis præfuiſſet annos quatuordecim, qui numerus, ab annotatis, tãtùm differt biennio. Cæteri, qui annos decem, & ſeptem tribuunt Mahometi, eam ſequuntur rationem, quam proximè, in Celebino, explicaui. Quæ verò antecefſerunt, Luiſ: Mahometis Imperium, dimicationes, interfectiones, inteſtinæ, filiorum Baiazetis, quas ſupra recitaui, de his rectius perſpicuis Græcorum, quam confuſis, ac diſſonis noſtrorum narrationibus credimus. Etſi autem vtilius fuerat, & commodius, ſeriem à Græcis traditam ponere, in qua minus eſt obſcuritatis, aut perplexitatis, tamen vſitatum, noſtris Scriptoribus, ordinem, ſeruare, & rationem diuerſitatis oſtendere volui.

AMVRATHES SECVNDVS.

FRanciſcus Philelphus, Amurathẽ ſecundùm Celebino, Laonicus Chalcõdyles Mahomete patre natum, refert. Hic, cùm primùm adiiſſet Imperiũ, in eam ſe curam totum contulit, vt clade aui, bellóque inteſtino filiorum inclinati, ſed audaci conatu, ſucceſſuque patris erecti, iterum ac nonnihil confirmati, Imperij fines longè, latéque proferret, & Chriſtianos regulos, aſſiduis bellis vrgendo, inde ſummoueret, penitúſque deleret.

Id eius conſilium cùm animaduertiſſent Byzantini, quibus cum Mahometes pacẽ coluerat, Muſtapham patruum eius, è cuſtodia dimiſſum (Aſſeruabatur enim is tũ in Lẽ 4
no non admodum arcta à Græcis cuſtodia, in quorũ manus inciderat, elapſus è carcere fratris) dimiſſum illum ergo, quantis potuerunt auxiliis, inſtruxerunt contra Amu-

rathen

rathen, cum quo parum prosperè congressus, deserentibus Turcis, qui ad eum ab Amurathe transierunt deuenit vi-uus in potestatem hostis, cui moti belli pœnas exoluit, supplicio gutturis chorda ex arcu elisa fracti, tertio, à moto bello, anno.

Aduersitate fortunæ, territi Græci, supplices pacem petiuerunt, qua non impetrata, accersiuerunt Mustapham, Amurathis fratrem, annum agentem tertium decimum, & tunc apùd Caramānum Cilicem exulantem, sub cura Alibæi Bassæ, cui filium impuberem, Mahometes moriens, commendarat. Hic, armatus à Græcis, Niceam Bithyniæ vrbem cepit. Sed in ea oppressus ab Amurathe, proditione sui curatoris, simili, quo alter Mustapha, supplicio, vitam perdidit.

Sublatis, ad hunc modum, Imperij æmulis, Amurathes, vim belli omnē, conuertit in Græcos, à quibus incitatos, & adiutos esse æmulos suos, norat, & peragrata Thracia, acceptisque in deditionem vrbibus, quæ Byzantino Imperatori reliquæ erant, mox Thessalonicam, quæ tunc in fide, & potestate Venetorum erat, vrbē antiquitate, amplitudine, pulchritudine, amœnitate loci, religione, artibus, & studiis, opibus, situs opportunitate, terra, mari q; ad sinū Thermacium, in extrema Macedoniæ ora, frequentia populi, ciuium dignitate, insignem maximè, vi expugnatam, & captā, penitus diruit, inóxque inde Tomaro, & Pindo montibus transcensis continuo victoriæ cursu, Phocidem cum Attica, Bœotiam, Ætoliam, Acarnaniā, & omnē, citra Peloponnesum, regionem, vsque ad sinum Corinthiacum, incredibili celeritate perdomuit.

In Epiro & ea parte Macedoniæ, quæ ad Adriaticum vergit, Albaniæ nomine hodie celebris, eo tempore regnabat Iohānes Castriotus. Hic, vt vim belli Turcici, quam se non posse sustinere prospiciebat, eluderet, his legibus ab Amurathe pacem impetrauit, vt cederet Croia oppido non ignobili, & obsides daret filios tres, Constantinum, Reposium & Georgium, inter quos Georgius cum indole regia animi, & forma corporis emineret, neque obscura summi futuri ducis indicia, vultu, gestúque corporis præberet, tantam apud Amurathen iniit gratiam, vt eum in aula regia liberaliter educari, instituíque moribus, & moribus Turcicis, ad Mahometanæ legis disciplinam curauerit, & propter ingenij præstantis, atque expediti consilij vigorem, qui in certaminibus ludicris conspiciebatur, miràm-

que vim corporis proceri, atq; robusti, quo superabat cunctos æquales, Scanderbeium, id est, Alexandrum Magnum, cognominarit, & propemodum ante ętatem militarem in Asiam, aduersus Caramannum Cilicem, miserit, quo bello cum aliis rebus fortiter gestis, tum deuictis, atque prostratis duobus, ex hostili exercitu, prouocatorib. singulari certamine, vno Scytha pedestri, altero Persa equestri, eam consequutus est celebritatem, vt deinceps bellica laude, & singulari Amurathis gratia, facile cæteros vicerit.

Hac fretus deinceps, mortuo patre, petiuit sibi ditionem paterni Imperij concedi. Petitioni, etsi annueret Amurathes, tamen, cùm rem astutè duceret, Georgius, se ludificari sentiens, dedit operam, vt perfidum hostem, falleret vicissim, cúmque insigni calliditate, solertiáque, in Epirum eua sisset, & per adulterinas literas, Croiam, spontanea deditione, reliquos Epiri, & Macedoniæ populos recepisset, coactis copiis non magnis, sed summa voluntate militantibus, fines sui Imperij, ita tutatus est, vt per multos annos Amurathis, & Mahometis, penè inuictos exercitus, profligarit. Sed ad Amurathē redeo Hic Epiro his conditionibus, quibus dixi, in suam potestatem redacta, Illyride deinceps, Albania, & Bosna peruastatis partim, partim subactis in Bulgaros mouit, Walachos, & Seruios, spe occupandæ Pannoniæ.

Georgium Despotam Seruiæ in superiorum Mysorum & Triballorum veterum sede pacem suppliciter rogantem, & filiæ nuptias vltro promittentem, cùm his potitus esset, mox, rupta pace: bello adortus, regno expulit, ademptis ei vrbibus Scopia, Nouomonte, Sophia, captísque duobus eius filiis, quos barbara crudelitate admota pupillæ candenti æneæ pelui, oculorum vsu priuauit. Georgius in Vngariam profugit ad Albertum Austriacum: qui exercitum oppositurus, in ipso belli apparatu, vt dixi, dysenteria extinctus est.

Seruia potitus, cùm Vngaria, euocato Ladislao Polono, post Albetti mortem, arderet intestinis discordiis, tentauit oppugnationem Belgradi, sed infeliciter. Multis enim suorū amissis, cùm insuper exercitus laboraret fame, & minitaretur defectionē, recipere sese coactus est, re infecta.

Interea Iohannes Hunniades duos Bassas Amurathis, quorū alter vicina Belgrado loca depopulabatur, ac deuastabat, alter assiduas maximéque incolis funestas incursiones faciebat in ipsam Transiluaniā, multis prœliis deuictos fudit,

fudit,fugauit,cecidit,Seruiæ bonã partem recepit,Moldauiam totam. Hoc Hũniadis successu,irritatus Amurathes, bellũ Pannonicũ totis viribus vrgere cœpit,ac persequi. Id quo euentu gestũ sit, supra in Alberti Austriaci, & cladis Varnensis historia cõmemoraui. Hoc bello primùm iniquiore fortuna vsus,pacis leges à Ladislao accepit, Georgio Seruiæ despota restituto, & in Caramannũ arma mouit. Inde euocatus in Europam noua Ladislai regis expeditione,qui,violatis decennalibus induciis,impulsu Iuliani Cardinalis absẽte Amurathe, prouincias Europæas inuaserat,castra ad Varnam posuit, cõmissoque prelio, & rege trucidato,exercitu fuso,detrimentum rebus Christianis summum attulit. Tempus pugnæ suprà annotaui. Dimicatum est enim anno millesimo,quadringẽtesimo,quarto, pridie eius diei,qui Diui Martini memoria celebris est.

Tantæ victoriæ prosperitate elatus,vt Græcos vlcisceretur, à quibus accitum animatúmque esse Ladislaum cognorat,rectà Peloponnesum petiit, effractóque ad sinum Corinthiacum hexamili muro, Constantinopolitani Imperatoris fratrem, qui ea loca tuebatur, cum omni Græcorum exercitu repentina clade obruit. Murum refecit Constantinus Palæologus Imperator, sed mox iterum mandato Amurathis diruit. Secundò dirutum instaurarunt Veneti, vt dicetur.

Muro expugnato, Amurathes ingressus in Peloponnesum agmine bipartito(vnum enim ipse,alterum Turachanes Thessaliæ præfectus duxit)captis,direptísque aliquot oppidis,vt Sycione,quæ Basilica hodie dicitur, & Patris in Achaia,reliquam bellum deprecantem tributariam fecit,& exercitum reduxit in hyberna.

Anno sequenti bellum Epiroticum cœpisse Græci referunt,quod à Georgio Castrioto Scanderbeio, Amurathis alumno,gestum est,qui cum insigni astu regnum paternũ Amurathi abstulisset, in hoc defendendo occupatus, septem Ottomannici nominis experientissimos rei bellicæ duces è purpuratorum Bassarum ordine, missos cum instructissimis,& exercitatissimis veteranorum militum copiis ad se opprimendum,acie deuicit,castris exuit, & tota Epiro depulit, tandémque Amurathen ipsum cum ingentibus copiis,& mirifico,tormentorum bellicorum apparatu, tentantem oppugnationem Croiæ vrbis, detrimentis maximis affectum coëgit obsidionem soluere.

Post hunc infelicem conatum,aiunt Amurathen ex vo-

to, quod in prælio Varnensi fecerat, si vinceret, fastidita Imperij proferendi cura, ac religione simulata, ita se regno abdicasse, vt gubernaculis rerum Hali purpurato Mahometis filij nutritio commendatis, ipse sese in nemorosum Bithyniæ specum, cum paucis sacerdotibus, ad rerum cœlestium contemplationem abdiderit.

Sed citò eum è vita solitaria ad arma, & certamina noua retraxerunt Hunniades, & Scanderbeius, quorum ille vt damna clade Varnensi Christiano orbi, & regno Vngariæ illata vindicaret, maiores quàm antea armarat copias ex Vngaris, Boëmis, & Germanis: Hic digressum ab obsidione prosequutus Macedoniam omnem subegerat, & suos Bosnensibus, Rasciis, Illyricis despotas reddiderat, ejectis præsidiis Turcicis, quæ Illyricum & Istriam ad Euganeos vsq; depopulata erant magna cum trepidatione Venetorum.

Etsi autem Hunniadis consilio, perfidus vicinus Georgius Despota Seruię beneficiorum perceptorum, præstitęque ab Vngaris defensionis immemor, hosti prodidit, quo factum, vt bis ille infeliciter pugnarit cum Amurathe, seruatus est tamen diuinitùs, vt ex duorum Turcorum manibus, cum non agnosceretur, sese eriperet, altero iugulato, altero in fugam conjecto, & cùm ab eodem Georgio interceptus esset, reposcentibus Vngaris redderetur. Quæ res causam nouo bello aduersus Georgium præbuit, in quo Hunniades, gratitudinis ostendendæ caussa, penè oppressum iam acriter turatus, Turcicos exercitus fortiter profligauit, & procul à Seruia depulit.

Hanc Græci postremam Amurathis, expeditionem fuisse memorãt. Incidit autẽ in annũ Christi, circiter millesimũ, quadringentesimũ octauũ. Alij reuersũ affirmãt, ad bellum Epiroticũ, opem flagitantibus Purpuratis pro recuperata Macedonia, quam pene totam Scanderbeius subiugarat. In ea expeditione, etsi Epirũ omnẽ ferra populatione ad Adriã vsq; grauiter afflixit, nullũ tamẽ insigne oppidũ cepit, sed cum itineribus ab Epirotis interclusis, in reditu dimicare coactus, iactoram virium suarum, insignẽ fecisset, iam senex ab hoc infelici, & irrito inceptu, vsque adeò acerbum ex metu & animi dolore morbum concepit, vt, è castris, Hadriano: olim relatus, paucissimis diebus, deliranti, vesanóque similis, vitam reliquerit, cum quartum, & tricesimum regnasset annum, vitæ verò septuagesimũ quintum compleuisset, ac Mahometem filium, regni hæredem constituisset, ea lege, si perpetuus ἀκοίμητος: Christiani nominis

nis hostis foret. Græci, apoplexia extinctum, scribunt. Interitus eius refertur in annum Christi millesimum, quadringentesimum, quadragesimum nonum.

Primus is autem, ex Ottomannis, ordinem militum Prętorianorum exemplo, phalangis Macedonicæ, instituit, quorum opera incumbentem hostium equitatum, reprimeret, & audentius, oppidorum oppugnationes, aggrederetur. Hoc militum genus, vt in Ægypto Mamalucorum, Christianis parentibus ereptum, delectúmque, cum iudicio, & accuratè exploratum, iisdem sacrorum legibus imbuitur, & in iisdem exercetur belli artibus, quibus Turcos, à prima statim pueritia, eruditi mos est. Ianizaros Amurathes, id est, vt vocabulum interpretantur nonnulli, nouæ gentis milites, appellabat, educatósque in aula, & ascitos in cohortem prætoriam, perpetuos corporis sui custodes, stipatoresque efficiebat. His pro galea erat, peculiare capitis tegumentum, quod Exarcolam vocant, colore album, ex coacta crassiore lana, densatum adeò, vt gladiis sit impenetrabile. A tergo, latior cauda demissa, ceruices muniebat, à fronte ornabatur aureo, vel argenteo cono, qui cristas sustineret. Sagittis, hastísque, & paruis securibus rẽ gerebant. Sed ætate nostra, hastis, arcubúsque abiectis, imitatione nostrorum, sclopetis vtũtur. Fuerunt ab initio, in ea phalange, non plus, quàm octo millia, sed eam post successores, animaduersa vi, atque industria peditum, duplicato fere, adauxerunt.

Hæc tristissima, omnium seruitutum, seruitus est, quam sub Turcis, Christiani perferũt. Quid enim potest piis mẽtibus accidere acerbius, quàm spectare, vt liberi, iã per baptismũ, Christo inserti, & ad æternam, cum Deo, consuetudinẽ, sanguine filij Dei redempti, rursus abeo auellantur, & imbuti, blasphemo Mahometis dogmate, fiant ex professo truces, & immanes hostes Christi, & Ecclesiæ, & cum cœlo bellum gerant, atque in æternum pereant? Denique, vt nostrorum, & ex nobis natorum manibus, hostes nostri, hos iugulent, nostra euertant, ac deleant? Hæc animorum seruitus, lõgè maius malum est, morte ipsa, quod si multi intelligerent, maiore impetu ferrentur, & incumberent, in bella Turcica.

Filios, reliquit Amurathes, tres, Mahometen, ex Despotę Seruiæ filia, annum agentem vicesimum; alterum, Tursinem; tertium Calepinum, natum ex Filia Sponderbei, nobilis, in Penderatia, satrapæ. Tursinem, agentem mensem

decimum octauum, Moſes Baſsa, iubente, & immotis oculis atrocitatem facinoris inſpectante Mahomete, multa vi aquæ obrutum, ſuffocauit. Hanc immanitatem, cùm pueri mater horribili vlulatu, planctúque deteſtata, tyrannum præſentem, diris deuouiſſet extremis, tyrannus, placaturus nouercam, mox in vltionem parricidij, ei authorem depoſcenti ad ſupplicium, in manus vinctum tradidit, huic ipſa, tyranno aſtante, cor cultro transfixit, & rimata, in diſſecto cadauere, epar, id inde extractum, canibus lanijādum obiecit. Talibus auſpiciis, & ſpectaculis, Turcici Tyranni, Imperia inuerunt.

Tertium filium Calepinum, ſextum menſem agentem, commendarat Amurathes, Halibaſſæ, magni, apud eum, nominis purpurato, è cuius conſiliis, totus pependit. Ab hoc, proditum puerum, Mahometes ſtrāgulauit. Sunt, qui affirmant, pro Amurathis filio, ſuppoſititium alium tyranno oblatum: genuinum verò Calepinū, Byzantium tranſlatum, póſtque vrbem captam, ſubtractum, & Venetias primùm, deinde Romā, Calixti Pontificis mandato, fuiſſe deductum, inde, cùm, percepto dogmate Chriſtiano, nomen Chriſtianū, baptiſmo eſſet profeſſus, in Germaniā, ad Fridericum Imperatorem veniſſe, & apud eum, honorificè habitum, reliquum ætatis, in Auſtria tranſegiſſe.

Reddidit & Halibaſſæ gratiam, Mahometes; nam, non multò poſt, confictis criminibus, atrociter accuſatum, tāquam cum Chriſtianis colluſiſſet, poſt exquiſitos cruciatus corporis, ſtrangulauit. Inhiaſſe theſauris creditur, quos Halibaſſa, immenſos cumularat. Fuit enim in Mahomete auaritia inexplebilis.

MAHOMETES SECVNDVS.

MAhometes ſecundus, maiorum exemplo, adminiſtrationem rerum, à parricidiis auſpicatus, cum Imperium orbis terrarum, ingenti animo, & auſu, ſibi deſpondiſſet, ac deſtinaſſet, adeò intentatum vlla ex parte reliquit nihil, vt inſignibus barbaricæ feritatis, ac ſæuitiæ exemplis, & prodigioſis, immanis audaciæ, ſucceſſibus, cūctos, ante ſe, Ottomannici ſanguinis principes, longè vicerit. A matre, Deſpotæ Seruiæ filia, ad Chriſtiana præcepta, & mores, cùm eſſet, à teneris, aſſuefactus: mox horum oblitus, ita ſe, ad Mahometis ſacra, contulit, vt neutri religioni addictus, prorſus ἄθεον ageret, nec, niſi vnum, bonæ fortunæ numen agnoſceret, ac coleret, irrideret ſollicitas cogitationes hominum, de prouidentia, credentium Deo.

curæ

curæ esse, res humanas. Disciplinam militarē, & rem bellicam omnem, ita veteri Græcorum lege, ad pręmia, & pœnas reuocauit, vt plurima emēdarit, in bellica ratione maiorum, addiderit multa, excogitarit artificia noua, conficiendę, vbi opus esset, pecuniæ, & locupletandi ærarij, nouósque, omnis generis armorum, apparatus.

Primus Ottomannorum naualibus institutis, cum Venetis, de Imperio, decertauit.

Primum bellicorum operum eius, & terribile maximē, fuit Constantinopolis, terra, marique expugnata, & cæso Constantino Palæologo, vt supra, in huius mentione, exposui, antiquissimum Orientis Imperium euersum. Capta est autem vrbs, quarto Calendas Iulij, anno quinquagesimo tertio, supra millesimum, quadringentesimum, die obsidionis, quinquagesima quarta.

Exinde, oppugnationē Belgradi tentauit, tertio post captam Constantinopolin anno, sed infeliciter. In ea enim, cùm Hūniadem, neutiquam viribus parem, sed incredibili ardore, & alacritate suorum, vrbem propugnantem, continuis, & maximè cruentis, duorum dierum, prœliis, exercuisset, successu tamen, & fortuna, quàm, ad Byzantium dispari, accepto in pectore, sub leua pupilla, vulnere, exanimis cōcidit, ac pro exanimi ex acie, à suis elatus, castrisque, ab hostibus, exutus, amissis circiter quadraginta millibus hominum, & machinis bellicis, fuga vitam conseruauit. Ad huius insperatæ stragis, & fugę tàm turpis, atq; ignominiosę, recordationem, vbi rediisset ad se, tanta cum indignatione, infremuisse dicitur, vt de morte sibi consciscenda, cogitarit.

Obsidionē Belgradi Idibus Iunij, anno millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo sexto, inchoatam, & in diem quadragesimum sextum, productam, octauo Idus Augusti, exercitu fuga dissipato, ipse quoque fugiens, perinuitus soluit. Nec diu post hanc victoriam, superstes fuit Hunniades, vt dixi.

Post hāc cladem, omissis terrestribus bellis, classe inuasurus erat, maris Ægei insulas. Sed, ab hoc eum consilio, & conatu, auertit Vsumcassanes, ex Assimbeia Turcica stirpe, Cappadociæ, Armeniæ, & vicinarum aliquot regionū, dominus, qui nuper interempto, seu Malaonchre, seu, vt alij volunt, Demiro, Persarum rege, ex vetusta stirpe Genipsæ, magni apud Parthos Sultani, regnum abstulerat. Eo enim successu ferox, legatos misit, ad Mahometen, afferen-

tes dona ampliſſima, deprõpta, è theſauris Perſicis, ad oſtẽtanda victoriæ præmia, qui flagitarent, vbi abſtineret Trapezunte, & Cappadocia, quas ſibi regiones, dotalitio nomine, vendicarat, propter coniugem Deſpinam, Dauidis Comneni filiam. Nuper enim, Amaſiæ præfectus, facta in Cappadociam irruptione, Trapezuntem terruerat.

Barbarus, impatienter ferens, & leges ſibi ferri, & quaſi inſultari, in calamitate recenti, ab inferiore domino, & offenſus, noui regis felicitate, & gloria, belli apparatum omnẽ, terra, marique in Aſiam, nulla mora interpoſita, tranſtulit, præmiſſáque parte claſſis, in Põtum, & Synopen, verſus Trapezuntem, ipſe cum exercitu, terra ſequutus, incredibili celeritate, Aſia ceu peruolitata, opinione omnium citius, contra Vſumcaſſanem caſtra fixit. Vbi Vſumcaſſanes, bino & vtroque acerrimo cõflictu, ſemel ad Euphratẽ pugnante, Amurathe Baſſa, Græco homine, olim Imperatoris Conſtantinopolitani conſanguineo, qui in eo prælio occubuit, iterum, Mahomete ipſo pręliante, pro caſtris, Turcicas vires vehementer attriuit, ſed dum tertio, ſummi certaminis fortunam, periclitatur ad Arſengam, multitudine tormentorum, obtutus, infelici exitu, ſuperiores victorias corrupit. Nã cùm exercitus Perſicus, inſolito fragore, diſploſarum bõbardarum, atque violẽtia impetus, turbatus, non conſiſteret, recipere ſeſe Vſumcaſſanes coactus eſt, amiſſo filio Zeimalde, qui globo traiectus, occidit.

Hanc ceſſionẽ, Mahometes, pro victoriæ confeſſione, interpretatus, mox Synopẽ, prouinciæ caput, omnémq; Paphlagoniã ſubegit. Inde Trapezuntẽ, regiam ſedem, terra, marique infeſtiſſimè oppugnatã, cepit, potitus, & theſauris regiis, & ipſo rege Dauide, filiiſque duobus, & Calo-Iohãne patruele, quos præmiſſos Byzãtium ad triumphum, deinceps crudeliſſimè interemit, exciſa cum his, tota Comnenorum ſtirpe, circiter annum Chriſti milleſimum, quadringenteſimum, quinquageſimũ nonum. Regna illa, cùm redegiſſet in formã prouincię, Pyrameto Caramanno, eodẽ victoriæ curſu, debellato, Ciliciam ademit. Inde reuerſus Byzantium, claſſe Lemnũ, & Lesbum, inſulas cepit: Mytilene vrbe, prope deleta, & tota inſulanorũ multitudine abducta, velut in aliam coloniam. Nicolaum Cataluſium, Lesbi principem Genuenſem, immaniter trucidauit.

Terra adortus Draculam, Walachorum principẽ, & ab hoc improuiſo, non magna manu militum, & pari propemodum equitum numero, circumuentus in caſtris, atque con-

concluſus,in tantum venit diſcrimẽ, vt pereundum fuerit exercitui,niſi maturo conſilio,& ingenti auſu, exitu patefacto,perrupiſſet Mahometes Baſſa,quẽ Chriſtianis parentibus natum, Triballo patre,& Cõſtantinopolitana matre, ſed ſecum,à pueritia educatum, ſummæ rei,propter induſtriam præfecerat,poſt interemtum Halibaſſam. Magnam tamen partem exercitus,amiſit. Eo refecto, adauctóque ſupplementis,ſuperiorem Myſiam,& Illyricum, aggreſſus, Stephanum,Boſnæ regem,Iaiza vrbe, totóque regno, expulit,& occidit,circiter annum Chriſti,milleſimum, quadringenteſimum,ſexageſimum tertium. Sed Boſnenſe regnum,cũ vrbe paulò poſt Matthias Coruinus, Vngariæ regnum,adeptus,fuſo,fugatóque ingenti exercitu,qui venerat populatum, Sirmienſes agros, & multa alia in vicina Croatia,ac Dalmatia,prios à Turcis occupata,recepit,Mahometémque reuerſum,ad alteram Iaizæ obſidionem,caſtris,atque impedimentis omnibus exutum,expulit.

Ante expeditionem Aſiaticam,Pelopõnenſum ingreſſus, ſuſtulerat principatum Palæologorum, diſſidentibus inter ſe fratribus,Thoma,& Demetrio Palæologis, quorum alter,Demetrius tranſierat ad hoſtem,collocata ei filia,in vxorem,alter, Thomas,rebus perditis,fugerat Romam.

Interea Veneti,qui poſſeſſa ante,in Peloponneſo,hactenus retinuerant,magno ſumtu,& labore reſtituerant hexamili murum ad iſthmum Corinthiacum, præbẽtibus materiã,ad acceleranduin opus,veteris ſtructurę ſaxis,Mahometes,ea re cognita, facta improuiſa irruptione,in Peloponneſum,cum octoginta millibus hominum, denaſtatis initio agris Coroncis,ac Methoneis,Venetos,magna ſtrage,concidit:deinde,reliqua Peloponneſo in deditionẽ accepta,murum,ex vſu victoriæ,totum demolitus eſt.

Nec multo poſt, Venetos è Lesbo inſula,expulit,cæſis quinq; millibus armatorũ.Recuperarant enim illi, Lesbũ, cum Lemno,ademit iiſdem, & Eubœam inſulam, quam Nigropontẽ vocant,ponte, admirabili apparatu ſupra Euripũ conſtructo,expugnatáq; Chalcide,triceſimo obſidionis die,fœda Chriſtianorũ ſtrage,ob præfecti claſſis Veneę inertiam & timiditatem,qui,quanquam proſperè flãtibus ventis,non tamen fuit auſus pontem,triremibus inuadere. Horribiliter,in ea vrbe,ſæuitum eſt,edicẽte tyranno,ne vllus,qui annum viceſimum attigiſſet,ſeruaretur.Iuritarum enim,clade ſuorum,fuiſſe conſtat,cùm ſupra quadraginta millia hominum,diuerſis circa muros prælijs,amiſiſſet.

Nondum tamen tot, tantæque res confectæ, insanæ eius cupiditati, atq; audacię satisfecerunt. Maiora cõcepit animo. Immissos enim in Dalmatiã, Homarem, & Malcociũ duces, quorũ ille, patre Genuẽse natus, ardebat Veneti nominis ingenti odio, ad Euganeos vsque, infesta populatione, penetrare iussit, quæ irruptio, Venetis, graue vulnus inflixit, cæso ad Soncium amnem, Hieronymo Nouello, comite, & primo exercitus duce. Immanium illarum cędium, ac deuastationum clades, sensere tunc & Styriæ, atque Carinthiæ gentes, barbaris finitimæ.

Ipse verò Mahometes, finitis induciis, quas cum Scanderbeio pepigerat, ad oppugnationem Croię, & Scodrę, vrbiũ in Albania rediit, ac vtranque tandem, longa fatigatam obsidione, & multis exhaustam cladibus, perdomuit, Scodrã dedentibus Venetis, quo tempore, Solimannus Bassa, Caphã, Bosphorani regni caput, in ipsa Taurica Chersoneso Genuensium coloniam, quæ antiquitus, Theodosia fuit, occupauit, & Tartaros Præcopitas, qui eam regionem, oppressis Gothis, obsederant, Mahometi tributarios fecit.

Gotticę gentis verò, & originis, postremos principes fratres qui soli reliqui, eousq; in arce Mancupio, sese conseruarant, redactos in suam potestatem, securi percussit. Gentis reliquias, hinc inde per Tauricam, vsq; ad Circassios dispersas, tãdem Baiazetes subiugauit, circiter annum, octogesimum quartum, supra millesimum, quadringẽtesimum.

Scanderbeius, patria eiectus, & in Italiam, vbi paulò ante Ferdinãdum, Neapolitanum regẽ, cõtra Andegauenses fortiter defenderat, Põtificum literis accitus, cùm immodicæ cupiditati, & audaciæ gentis barbaricæ, nisi consentientis totius Europę viribus, resisti nõ posse, ostendisset, deinceps nihil, pristina sua virtute, & laude dignum gessit. Sed, cùm Lyssi esset, ad Dryllum amnẽ, ac de bellicis rebus, cum prefecto Veneto, consultaret, febre correptus, nõ ita multò post è viuis excessit, anno ætatis suæ, sexagesimo tertio, anno Christi, sexagesimo septimo, supra millesimum, quadringentesimum. Moriens, Iohãnem, impuberem filium, commendauit senatui Veneto. Hoc fine, vitam exegit Scanderbeius, ingentis animi, ac roboris vir, cui pugnam ingrediẽti, è labris, æstuantis animi vehementia, fissis, sanguinem erupisse, aiunt. Narrant etiam, nunquam eum pugnã detrectasse, nunquam terga vertisse, nunquam vulneratum esse, nisi leui sagitta in pede, nec hostibus plus, quàm sena equitum, terna peditum millia opposuisse, & sua manu, supra

ra duo hominum millia, barbarorum præſertim, iugulaſſe, tanto ictuum impetu, vt multos, per medium diſſecuerit tranſuerſim, ad vmbilicum vſque.

Mahometes, liberatus metu Hunniadis, & Scãderbeij, & poſt ſublatos vicinos, Pelopõneſi, Myſię & Illyrici regulos, totius orbis imperio inhians, pacẽ fecit cũ Venetis, his legibus, ſi Scodrã, Tenarum, Laconicę promõtorium, & Lẽnũ dederent illi, & annua penſione, octo aureorũ millium, mercatoribus Venetis nauigationem Ponticam, aperirent.

Ab hac pace mox, vno, eodémque tẽpore, tres expeditiones ſuſcepit. Meſithen, purpuratum è gente Palæologa, miſit ad oppugnandam Rhodum, cum valida claſſe. Acomatẽ Baſſam, cui ab exciſo anteriore dente, Gendico cognomen fuit, iuſſit traiicere in Italiam, ad occupandum, cum vrbe Roma, Imperium Occidentis: ipſe tranſiit in Aſiam. Harũ expeditionum, is fuit euentus, vt Meſithes, poſt multas, & cruentas, ſed irritas Rhodi oppugnationes, claſſem reduxerit, cum dedecore ſummo, & detrimento: Acomates, ab Aulone, in Salentinos tranſuectus, Hydruntum expugnarit, terrorémque Italiæ tantum inuexerit, vt Pontifex, rerum aliarum omnium oblitus, ſed ſui memor, fugã, ex vrbe, adornauit: Mahometes, in Aſiatica profectione, apud Nicomediam, repentino coli dolore correptus, extremum vitæ diem, tridui cruciatu, feſtinata morte, clauſerit: anno ætatis, quinquageſimo tertio, regni, triceſimo ſecundo, anno Chriſti octogeſimo primo, ſupra milleſimum, quadringenteſimum, magno Reipub. Chriſtianæ commodo. Nam præſidia Turcica, quæ tenebant Hydruntum, ab Italis, ope Matthię Coruini obſeſſa, vbi mortem ſui principis cognouiſſent, non expectato reditu Acomatis, qui viginti quinq; millia Turcorum adducebat, inchoatum victoriæ curſum perſequuturus: illa ergo pacta, cum obſidentibus, de vrbis deditione, & ſua incolumitate, Hydruntum reliquerunt. Ita tunc Italia liberata eſt, hoc diſcrimine.

His barbarorum immanibus graſſationibus, Muſę è Græcia pulſæ abierunt, in exilium, quæſitum nouas ſedes, in Italia, & Gallia, deducentibus eas, multis præſtantibus viris, quorum opera, cura, labore, ſtudio, reſtitutæ ex Græcis fontibus diſciplinæ, reuixerunt, quæ inde vſque, à prima Italiæ, ſub Gottis facta deuaſtatione, eo vſque iacuerant, ſepultæ profunda barbarie.

Primus Græcarum literarum ſtudia, in Italia, excitauit Emanuel Chryſolora, ſocer Franciſci Philelphi, Tolenti-

natis, qui à Iohãne Palæologo, sub Baiazete primo, missus in Europã, vt reges adeundo, pereunti Græciæ, maturá opẽ imploraret, perfunctus munere mãdato, in Italia substitit, ac Venetiis primùm, deinde Florẽtiæ, Romæque, ac demũ Ticini docuit. Extãt Grammatica præcepta, ab eo scripta. Interiit in Germania, Constantiensis Synodi tempore.

Succesſere huic proximè, Georgius Trapezuntius, auitam patriam cognomine potius, quàm suam profeſſus, originẽ enim paternam, è Pontica, celebri vrbe duxit, ipſe in Creta genitus, & Theodorus Gaza, Theſſalonicæ honeſto natus loco, impetúque Amurathis, patria eiectus. Inter hos, æmulatio fuit. Sed Trapezuntiũ Gaza, acumine ingenij, dexteritate iudicij, & linguæ vtriuſque peritia, ſuperauit. Ariſtotelis enim, de animalibus, & Theophraſti, de plantis, libros ita latinos fecit, vt dum ad Græcarum compoſitionum exemplum, horridioris linguæ vocabula, ceu emollita prius, inter ſe aptè, concinnéque iungit, & vim Græcarum vocum, nouis latinis accõmodatè effingit, atq; exprimit, audaci quidẽ, ſed felici admodum tranſlatione, facultatem latinæ linguæ, non mediocriter locupletauit.

Gazæ amicus & ſodalis fuit Iohannes Argyropilus Byzantius, qui à Coſmo Medice Petro filio, & Laurentio nepoti, præceptor datus, primùm Florentiæ, deinde Romæ, Græcos authores enarrauit.

Iohannes Capnio, hunc Romæ, Thucydidem interpretantem audiuit, de quo, ſuo cũ Argyropilo congreſſu, Capnio ſolitus eſt hanc recitare hiſtoriã: Cũ in auditorium veniſſet, ante lectionẽ, more legati, cũ mediocri comitatu, & aſſiderent ibi multi nobiles homines ſenes, Cardinales etiam aliqui, ſalutat Argyropilum reuerenter, deplorat exilium Græcorum, & narrat ſe cupidum eſſe doctrinæ ipſius. Argyropilus interrogat cuius ſit, & an Græcam linguam intelligat. Hic narrat ſe Germanum eſſe, & Græcæ linguæ non omninò rudem. Iubet igitur Argyropilus, eum legere partẽ Thucydidææ concionis, & reddere ſententiam. Legit Capnio clara voce, & addit interpretationem, cumque & ſonus pronunciationis non eſſet agreſtis, & ſentẽtia rectè, & bonis verbis reddita eſſet, animadvertit Argyropilus, non admodum tyronem eſſe, in lingua Græca, & gemens exclamat: Græcia noſtro exilio tranſuolauit Alpes. Didicerat autem Capnio Græcæ linguæ rudimẽta, primùm in Gallia, præceptore Hieronymo Spargiata, Græco, qui ſecundus à Gregorio Typhernate, in ea regio-

regione literas Græcas, velut à morte, resuscitauit. Venerat enim, non multò ante Lutetiam, Gregorius Typhernas, è schola Emanuelis Chrysoloræ, & suo consilio ad rectorem accedens, operam Academiæ obtulit, in docendâ Græca lingua, ac δίδακτρον decerni sibi postulauit, iuxta decretum, quod extat in iure pontificio. Rector, etsi miratus est hominis peregrini audaciam, tamen ad consilium retulit. Ibi laudata est voluntas Typhernatis, & decretum stipendium, vt Græcè doceret. Ita tunc Græca lingua, post multa secula, Lutetiam reducta est.

Post Argyropilum, studia Græcæ linguæ, in Florentina schola, gubernauit Demetrius Chalcondyles, Atticus homo: sed inde pugnaci, & sæua ambitione Politiani, eiectus, Mediolanum se contulit. Fuere, præter hos, & alij exules Græci, in Italia, homines docti, vt Marcus Musurus Cretẽsis, & qui nobilitate natalium, ac generis splendore, cunctos superauit, Iohãnes Lascares, è Lascarina Imperatoria stirpe ortus, quo, Laurentius Medices Florentinus, legato vsus ad Baiazetẽ secundum, impetrauit, vt liceret ei tutò, abditas Græciæ bibliothecas perscrutari, & conquirere in omnibus artibus, atque disciplinis, de Ecclesiæ doctrina, & historiis scripta volumina, in Italiam trãsferre, de quibus collecta præcipuè, atq; in lucem aucta est Bibliotheca Mediceorum Florentiæ. His initiis, renatæ sunt literæ Græcæ, in Italia, quæ mox cùm auidissimè expeterentur, & certatim, acerrimo studio, colerentur, prosperrimo successu latè sparsæ, & magnam lucem artibus omnibus, & ad repurgationẽ doctrinæ Ecclesiasticæ, sordibus monastici cœni obrutæ, mométi plurimum attulerunt, de quo beneficio gratiæ debentur sempiternæ, æterno, misericordi, & propitio Deo, Patri Domini nostri Iesu Christi, & Iesu Christo Filio, qui est lumen de lumine, veram lucem rebus tribuens, & Spiritui sancto dispensatori donorum, inter quæ est & donum linguarum, atque interpretationum.

BAIAZETES SECVNDVS.

MAhometi scribũtur fuisse filij tres, quorum maximus natu Mustapha, qui contra Vsumcassanẽ, sub paternis signis, egregium militiæ specimen ediderat, pulso Iosepho Persico duce, regis Caramanniæ fautore: hic ergo Iconij decessit ante patrem, confectus libidinibus, & voluptatibus. Reliqui ergo erãt duo, Baiazetes, & Gemes, qui & Zizimus nominatur, & ex Baiazete nepotes sex, Sciaẽsciacus, Mahometes, Alẽsciacus, Achomates, Corchutus,

& Selymus. Ex Geme vnus, cuius nomen nõ reperio. Aberant Byzantio filij, cùm Mahometes interiit, in iis prouinciis, quibus concessione patris, prę erãt. Baiazetes in Cappadocia, cuius regia sedes est Amasia: Gemes in Lycaonia, cuius caput est Iconium. Cùm autem dissentirent inter se purpurati, & prætoriani, de successore, & dissensio exarsisset in conflictũ, ac cædes mutuas, prætoriani milites Baiazeten, absentẽ proclamarunt Imperatorem, rẽ procurantibus, ac conficientibus, Cherseogle, Græciæ Bellerbeio, & Aga præfecto prætorianorum, qui Baiazetis generi erant.

Nonnulli equestris militiæ principes, qui in vrbe erant, vt tumultus præsentes sedarentur, Corchutum adolescentem Baiazetis filium Imperatorem salutarunt, attollentibus eum Isaaco, & Mesithe purpuratis, arcibúsque traditis, atque thesauris, auito in solio constituerunt, vt ipsi, tutelæ nomine, cuncta Imperij negocia, ex arbitrio administrarent. His se adiunxit Achomates Bassa, qui nuper Hydruntum expugnarat. Nec Baiazetes pater, è Cappadocia, festinatissimis itineribus reuersus, quanquam, se iniustè fraudatum Imperij iure, quereretur, quicquam precibus, vel lachrymis impetrasset, nisi & adolescens filius sponte cessisset, & ipse, purpuratorum malignitate, alienatas à se, rursus, atque concitatas prætorianorum voluntates, multa largitione, placasset.

Etsi autem Gemes, ex Lycaonia propiore prouincia, non minore celeritate, aduolarat in Bithyniam, tamen, Baiazete eum anteuertente, Byzantio excluſus est. Quare de spe Imperij dejectus, incitantibus eum amicis, fratri, de Imperio, bellum mouit, in quo, ab Ægypti Sultano Caithbeio, & Caramanno adiutus, sed tribus præliis superatus, ductu Achomatis Bassę, desperatione confugit ad Magnum Rhodi magistrum, relicta apud Carras matre, & geminis tenellæ ætatis liberis, masculo, & femella, quos Baiazetes necauit.

Gemem multis deposcẽtibus, Romano Pontifice Innocentio quarto, Ludouico vndecimo Galliarum rege, & præcipuè Matthia Vngariæ rege, in certam spem victoriæ, contra Baiazeten, milites Rhodij Romano Pontifici custodiendũ miserunt, vbi in Vaticano asseruatus, & Carolo octauo Franco, per vrbem, ad obsidionem Neapolitanam, cum exercitu, proficiscenti, ab Alexandro Sexto, cum Valẽtino Borgia filio, obses datus, Terracinæ, in itinere, interiit, veneno, per Alexandrum Pontificem, necatus, ne quam Carolus, apud Baiazeten, gratiam iniret, fratre dedito. Sed

Baia-

Baiazetes mox, etiã Achomati Baſſæ, ex Albania oriundo, per quem Imperium, aduerſus fratrem defenſum, conſeruarat, gratiam laqueo reddidit, cùm quòd, fiducia magnarum opum, inſolenter ferocientem, cognouiſſet, mutata voluntate, ſummam rerum rurſus inflectere ad Gemem fratrem, tùm vt theſauris eius potiretur: quod factum eſt, magno cum emolumento, Chriſtiani nominis; cui Achomates erat infenſiſſimus.

Interſtino bello, hoc modo, Baiazetes liberatus; etſi natura abarmoñ ſtrepitu abhorruit, tranquillitatis amans, ſtudiorum cauſa, quibus apprimè fertur fuiſſe deditus, quam belli amantior; tamen vt tueretur maieſtatem acquiſitæ potentiæ, & more maiorum, proxima in Chriſtianos arma direxit, & tertio anno ſui principatus, Walachiam ſubegit, arcibus duabus Lithoſtomo, ad Iſtri oſtium ſito, & Moncaſtro, ad Boryſthenem flumen, expugnatis.

Exinde bellum in Aſiã, infelici auſpitio, mãſtulit, pœnas ſumturus de Caithbeio Soltano Ægypti, qui Gemem fratrem hoſpitio exceptum, ſumptu, commeatúque, & militeadiuuerat. Pyrametum enim Caramannum, Ciliciæ Tyrannum, nuper præſides Turcici penitus ſuſtulerant, omni regione, quam ille reliquerat, in prouinciæ formam redacta. Huic bello præfecit purpuratos duos, Calibeium, & Cherſeoglen generum.

Caithbeius natione Circaſſus, cõditione ſeruus, à prima pueritia inſtitutus his moribus, atq; artibus, quib. Mamalucæ equites certatim incumbebãt: & beneficio Mahometanæ legis, liber factus, ſuffragiis, & commẽdatione rerum proſpere geſtarum, ad Sultani dignitatem conſcenderat. Legebantur enim Mamaluci è venalitio ſeruorum ordine, maximè verò Circaſſiorum, qui Pontum Euxinum, ea parte, incolunt, qua à Colchis, & Iberis ad boſphorum, cõtra Taurica Cherſoneſum, extenditur, & Chriſtianæ religionis profeſſione, ritibúſque, cum Moſchis, & Roxolanis, ac vicinis Græcis, cõſentiũt. Ex his creabantur Sultani, procerum ſuffragiis, quod cœptũ eſt fieri, deleta Saladini poſteritate, vt ſupra eſtẽdimus. Oportuit autẽ Mamalucos omnes Chriſtianis parentib. editos, & baptizatos, ac religione Chriſtiana imbutos eſſe; & hanc, ſi in ordinem Mamalucorum cooptari vellent, execrari prius, atque abiicere.

Caithbeius ergo, hoc tempore, ſummæ rerũ præerat, in Ægypto, electis ſuffragiis declaratus Soltanus, propter opinatam virtutis, quod Arabum latrocinia, validis armis

vindicanda,& Persæ, qui irruptiones crebras faciebant in Comagenam,& Syriam, transitu Euphratis,deterrendi,& Ottomannorum arma, quis ex Cilicia, ad Issicum sinum, veteres transgredi fines, & aliena tentare auderent, reprimenda esse,viderentur.

Tria hîc magna bella,ingẽti animo,suscepit,& pari fortuna,cõfecit.Arabes enim,suo more,fuga in vastas,& horridas solitudines sese abripientes; iustis tamẽ cladibus,ad eum modum accidit, vt omnes eorum reguli,hísque permixti Mauri,&Ægyptij,qui regiones inter Nilum,& dextrum latus maris rubri incolunt, accipere Imperium Sultani Memphitici,& tributa pendere,cogerentur.

Persas,duobus tumultuariis prẹliis,fusos vltra Euphratẽ, in Mesopotamiã reiecit. Turcos in Cilicia,semel ad Adenam, iterum ad Tarsum, consilio duorum Italorum Mamalucorum,fortiter profligauit, captis, ac Memphin perductis ducibus Mesithe Palæologo, & Cherseogle, qui Chersechij reguli in Illyrico, ad Nigrum montem, filius, transierat ad Turcos, propter iniuriam à patre acceptam. Nam adamatam ei sponsam, è stirpe despotæ Seruiæ, & iam in thalamum ducẽdam, impotenti animo,eripuerat. Hac iniuria cõmotus, cõtulerat se ad Baiazeten, & abiurata fide Christiana, próq; Stephani, Acomatis,& Cherseoglis nomine suscepto, nuptias filiæ Baiazetis obtinuerat.

Tharsensi clade, vix vllam maiorem, Turci, pertulisse putantur. Nam cùm centum millia in aciem educta sint, vix tertiam partem,à prælio,superfuisse,memorant.

Abstinuit ab Asia deinceps Baiazetes,ad motus Persicos vsque,& ad Europæa bella reuersus, Dyrrachio,prope Velonam,expugnato, Illyriorum,Pannoniorum,& Croatorum coniunctas copias, atque in apertis campis Liburniç, quæ Croatia est,cõgredi ausas, magno prælio,per Cadum Bassam,non procul à Sauo, cecidit, circiter annum nonagesimum tertium, supra millesimum, quadringẽtesimum.

Vnde Venetis bellum intulit, quod Iohannem Castriotum Scãderbeij filium, & Iohannem Ceruouichinũ suscepissent defendendos, quorum ille,prælio,in Croatia prosperè commisso, cum prẹsidiario Baiazetis milite, arma Turcica,finibus suis expulerat,his repetitis,quẹ eripuerat Mahometes,Baiazeten iis, quibus voluerat,cõditionibus, pacem facere coëgerat. Et quod Baiazeti hospitium,suç classi,in littore Cyprio, petenti, tempore expeditionis Syriacç,id denegassent.Caussas bello has prẹtexuit. Sed incitatum

ſatum fuiſſe, contra Venetos, à Ludouico Sfortia, parricidalibus conſiliis, certum eſt. Initium huius belli, collocatur in annũ, nonageſimum octauũ, ſupra milleſimũ, quadringenteſimum. Principio belli, Schẽdero Baſſa duce, factæ excurſiones funeſtæ, & improuiſæ, vltra Tiliauentum, & Liſontium flumina, in Euganeos, & agrum Taruiſinũ, vſque ad Venetos, penè ad deſperationẽ adegerunt. Mox etiam Deuches, claſſis præfectus ad Iadran vſque Dalmatię vrbem, acceſſit, cúmque, abducta inde magna captiuorum multitudine, Venetæ claſſi, imparibus viribus, & cõditione iniquiore, occurriſſet, ad Protum, inter Sporadas inſulas, circa Peloponneſum, Grimannus Venetus tamen, cùm ſemel in fugam actus, exiiſſet, tunc eum, ſeu timiditate, ſeu imperitia, aliquoties elabi paſſus, sũmas occaſiones, penè exploratæ victoriæ, amiſit. Euitato periculo, ille ad ſinum Corinthiacũ profectus, Naupactum oppidum, nunc Lepantum, in Ætolio ſinu, cepit, cùm paulò antè, & Dyrrachium, in Epiro, eis ademiſſet.

Biẽnio pòſt, qui fuit annus Chriſti, quingenteſimus, ſupra milleſimum, Baiazetes cum centum quinquaginta armatorũ millibus, ab Iſthmo, Peloponneſum ingreſſus, triis caſtris, circa Methonem, poſitis, poſt varia certamina, vtrinq; depugnata, tandem intra vrbem irrupit, cum fortè infelici, & miſerabili caſu, Methonei, conſpectis quinque triremibus Venetis, quæ arma, milites, & commeatum obſeſſis adferebant, vt appulſos exciperent, ad mare, deſertis ſtationibus, deſceadiſſent. Captiui ad vnum omnes, ſupra mille numero, longis nexi reſtibus, prodactíque ad prætorium, & in conſpectu Tyrãni, barbarica immanitate, contra vſitatum, omnibus gentibus, ius ſupplicum, trucidati ſunt, iis exceptis, è patricia gente, quos Cherſeogles gener Baiazetis, exorato ſocero, ſupplicio eripuit, inter quos fuit Andreas Gritti. Coronei, exemplo Methoneorum, territi, itémque Pilus, olim Neſtoris ſedes, hodie Nauarrinũ huic lunco potui impoſitum, ſeſe, in poteſtatem hoſtis, dediderunt. Criſſeum vltra Acritem, hodie caput Galli appellatum, Cherſeogles tormentis expugnauit: Nauplium, in Argolico ſinu, Halibaſſa fruſtra ex itinere tentauit.

His rebus geſtis, etſi Baiazetes Byzantiũ victor rediit, tamen, cùm Hiſpaniæ, Galliæque reges Venetis opẽ ferrent, Benedictus Piſaurius præfectus claſſis Venetæ. Conſalui magni Hiſpani cõſilio, & virtute, Cephaleniã, inter Zacynthum, & Ambracium ſinum, in Ionio mari ſitum, gemino

portu,& agri vbertate,Venetis opportunam,recepit. Leucadem,Nericúmque vi expugnauit,cæso,in ſtatione, vniuerſo præſidio Turcico.Sed claſſis Gallica,ad Lesbum inſulam tentata,Mitylenarum oppugnatione, non pari fortuna,ita acceſſit,vt diſiecta tempeſtate, poſt pericula multa,& naufragia,vix tandem ad Tarentum,euaſerit.

Hoc caſu, & nouorum apparatuum fama aſſiduáque fuorum,de interruptis commerciis,querela, Venetis conſternatis,Andrea Gritto,qui apud Baiazetem captiuus erat, intercedente,pax impetrata eſt, ea conditione, vt recepta Cephalenia,Venetæ ditionis eſſet, vt ante Turcicum Imperium fuerat,Leucas,Nericuſque,Turcis redderentur.Eò facilius autem pax impetrata eſt,quod in Perſide Hiſmael Sophus,paterna origine è ſtirpe Malaonchore, materna è progenie Vſumcaſſanis,regem ſeſe,Iacuppo,Vſumcaſſanis filio, perfidia libidinoſæ coniugis, obtruncato, effecerat, occaſione innouatæ,in Mahometana ſecta,religionis,quę tanto cum applauſu,& ſtudio credulæ multitudinis ſuſcepta eſt,vt clientes eius, ſectatoréſque concurſu gẽtium,ardoréque propagandæ religionis, incredibili in Cappadociam,ipsámque Lycaoniam, felicibus armis,penetrarint, nepotéſque duos Baiazetis Orchanem,ac Mahometen, & binos Baſſas,Caragium Bellerbeium Aſię,& Halim, geminóſq; exercit⁹,duob.ducib.oppreſſis, occiſione deleuerint, penè citius, quã magnitudo periculi Baiazeti innotuerit.

Hiſmael Sophus genitus fertur,Haidare, cui Harduelli cognomẽ fuit,regulo Perſico,& Martha filia Vſumcaſſanis regis,qui primus ex Aſſimbeis Turcis, Malaonchore rege Perſico obtrũcato, regnum illarum regionum acquiſiuit. Pater Harduelles, Mahometanæ ſectæ legibus reuocatis, ad præſcripta, & placita Halis interpretis,ac ſocij Mahometis,à quibus,qui Gomarem ſectantur,diſſentiunt,ſimulatáque peculiari vitę, ſupra communiã hominum conditionem,ſanctimonia, tantã ſui concitauit admirationẽ,in animis hominũ, vt quotidie ingens auditorũ numerus agminatim,ad eũ viſendi, audiendique ſtudio conflueret,& dogmata,quæ proponebat, auidiſſimè arriperet,obſeruarétque rigidiſſimè,veteribus ritibus repudiatis. Quæres, cùm Vſumcaſſani,in nondum ſatis confirmato imperio nõ poſſet non ſuſpecta eſſe, præſertim cùm qui, ſub ſpecie religionis,& ſacrorum coirent, excitatis factionibus,nõ obſcurè molirentur nouos motus, & appareret,vi Harduellẽ opprimi nõ poſſe, vir aſtutus, & ſubdolus ad aliud decurrit

rit consilium, vt sibi in generum eum adscisceret.

Ex hoc coniugio, Hismael natus est: sed Iacuppus Vsumcassanis filius, patre mortuo, affinitatis vinculo parum fidens, sicariis submissis, Harduellē interfecit, sectatoribúsque, aut cæsis, aut pulsis, se, vt falsò existimauit, & metu, & periculo liberauit. In eo tumultu, Hismael adhuc puer, euitata, fato quodam, auunculi sæuitia, confugit in Hircaniam, ad Pyrchalim amicū paternum, qui supra Caspium mare, paucis oppidis imperabat.

Vnus ex discipulis Harduellis, cæteris præstātior, nomine Techeles, qui postea à peculiari, distinctóque ab Homaris assectis capitis tegumento, Cusel bas, id est, rubrum caput, cognominatus est, similiter declinato periculo, superatóque Euphrate, in minorem Armeniam euasit.

Hi duo, & Vsumcassanis posteritatē euerterunt, & Turcos, magnis cladibus, affectos, ne in Europa progredi, & inchoatum victoriarum cursum, persequi possent, remorati sunt. Hismael enim in vestigia patris, non minore, quàm ille cum admiratione, ingressus, atque ex applausu hominum, magnam spem ingentis Imperij adeptus, auunculo Iacuppo, veneficæ vxoris dolo, è viuis sublato, ad paternos agros, & modicum illud Imperium, quod matris dotale erat repetendum, animum adiecit, armatísque sectatoribus suis, & à Pyrchale regulo, auxiliis assumtis, breui fama magis, ac beneuolentia hominū, apud quos memoria patris nō erat extincta, quàm viribus, paternam ditionem recepit, adauctísque, ex concursu hominum, copiis, Sumachiam vrbem, in finibus Mediæ, adortus, vi capiā, diripuit.

Ex hoc successu, incensus cupiditate, & spe regni Persici, mox cum exercitu perrexit ad Taurisium, olim Teruam, Persarum in maiore Armenia, numeróque hominum, & opibus totius Orientis celeberrimam, tunc verò flagrantem odio Aluantis Iacuppi filij, qui paulò antè Moratchamum fratrem, prælio victū, Armenia Persiáque pepulerat, & primores ciuium, qui Moratchamo adhæserant, infestis armis persequutus, vrbem funeribus, & luctu publico, implenerat. Ea vrbe, Aluante inde aufugiente, sine vi, ciuium deditione, & vniuersis thesauris regiis potitus, deinde magna celeritate Aluanti iustas copias instruenti, ad Nyphates montes, qui Armeniam, ab Assyria, disterminant, occurrit. Vbi Aluantes, acie victus, cecidit.

Ad huius victoriæ famam, pleriſque finitimis populis, per legatos offerentibus sese ad deditionem, duxit exer-

citum ad vrbes potentiores: sed Scyra, quę antiquis Cyropolis est: Sapha, quę existimatur fuisse Susa: Sultaniáque, quam arbitrantur fuisse Tigranocertam, in fidem, sine mora, & recusatione, acceptis, constitutísque, per singulas vrbes, suæ sectæ magistratibus, in Mesopotamiã profectus est, vt Moratchamũ, alterum Iacuppi filium, arma adhuc, exercitúmque tenentem, possessione Babyloniæ depelleret. Moratchamus, fama aduẽtus eius, & victoriarum perculsus, nec copiis suis satis fidens, nec, vllius se vrbis mœnibus satis munitum fore, credens, collecta supellectile, cum vxore, & liberis in Arabiam profugit.

At Hismael bonam, magnámque Orientis partẽ, victricibus armis, peruagatus, ab Assyria in Mediam transiit, vrbes, castelláque aliquot, in Zagro monte, quæ Aluãtis præsidiis tenebantur, expugnauit, regressúsque in Armeniam, Albanis, Iberis & Scythis, qui vlteriorẽ Caspij maris oram accolunt, bellum intulit, quòd eæ gentes, tributariæ Persarum, iam in annum quartum tributa non persoluissent, nec solitas legationes, in tãta præsertim victoria misissent. Hæc gesta sunt, circiter annum Christi, nonagesimum nonum, supra millesimum, quadringentesimum.

Interea Techelles concionando, vatidicéque respondendo, pellectis Cappadocibus, in sectæ, bellíque societatem, exercitúque Persarum, auxiliis, firmato, è Tasica vrbe, quę ad Antitauri radices sita est, protinus è finib. Cappadociæ in Lycaoniam irruit. Regionẽ agri vbertate, hominũ frequentia celebrem, & agrum populatus cùm esset, exercitũ Iconio admouit. Inde eum depulsuri Orchanes, & Mahometes, nepotes Baiazetis, ex Alemsciaco, & Sciaensciaco, filiis, qui illis regionibus imperabant, ab hoste fusi, fugatíque sunt.

Techelles, non tentata oppugnatione, atque itinere, per mediam Asiæ minoris latitudinem, directo accessit ad Ancyram, quam hodie Angorium vocant, præteruectus trepidantem metu, ac congressum terginersantem Corcuthum Baiazetis filium. Inde per Galatiam effusus, in Bithyniam, non longè à Sangario flumine, obuiam habuit Caragium Bassam, Asiatici equitatus magistrum, quem Belleibeium nominant, hunc magno prælio superatum, atque in fugam coniectum, festinatóque aduolatu, obrutum, ac circumsessum, conclusit intra Cutheiam vrbem, ad Orminium montem, in veteri Caucorum sede, quæ vrbs, totius Asiæ minoris vmbilicus, ac magistri equitum

Anatoliæ

Anatoliæ ſedes eſt, vt in Europa, Sophia vrbs Miſię, magiſtri equitum Europæorum.

Vrbe expugnata, prætorióque, Caragium, cum vxore, viuum cœpit, atque ad Pruſiam Bithyniæ caput, animum adiecit. Sed ab eo conatu auertit eum Baiazetes, nouis copiis obiectis, per Halibaſſam, natione Macedonem, conditione Eunuchũ, cui ſe Techelles, Sangario flumine ſuperato, tranſuerſis itineribus, rectà inter Cutheiam, & Ancyram, quintis caſtris Galatiæ planitiem emenſus, obuium ex inſperato tulit: & vt vel remoraretur, vel à perſequendo eum deterreret, Caragium Belleibeium, quem vinctum ſecum trahebat, media via ſequentibus, ſpectandum palo infixit.

Hoc ſpectaculo incenſus Halibaſſa, cùm, magnis itineribus antecedentem, toto exercitu conſequi non poſſet, cum octo millib. equitum, citatiſſimo curſu, aſſequutus, ad Oligam montẽ, non procul ab Ancyra, perturbatis primis ordinib. Techellis prælij initium fecit, in quo, ipſo ad extremum cæſo, copiæ penè iam victrices, mutata fortuna belli, cum interitu ducis, diſſipatæ ſunt. Techelles, ductis, trans Halim, copiis, ad Taſciam vrbem, in rubra demum ſaxa, ſeſe recepit, non procul à Calenco monte, è quo Marſias amnis, poetarum carminibus inſignis, profluens, mediam vrbem Maras, Aladoli regis, quẽ Selymus ſuſtulit, regiam, & à corrupta fluminis voce ſic denominatam, interfluit.

In locum Halibaſſę, ſummiſſus Iunus Baſſa Epirota, acceptis, ab Achomate Baiazetis filio, copiis, Techellem tãdem, tota minore Aſia, expulit. Ita admirabili iuſtitiæ, prouidentiæque diuinæ exemplo, ac teſtimonio, gentes blaſphemæ in Filium Dei, horribili rabie impietatis, ac blaſphemiæ ſuæ, pœnas à ſeſe inuicem, mutuis cædibus, ac deuaſtationibus ſuſtulerunt.

Huius belli periculis Baiazetes conſternatus, cùm ſe alioquin, & ob pedum dolorem, & ſenectam, ad tantæ militiæ munia obeunda, inualidum eſſe ſentiret, & prodigia horribilium terræmotuum, repentinæque, & atrocis peſtilentię, maiores calamitates portenderent, de ſucceſſore deligendo, cum purpuratis, deliberare cœpit, quæres, materiam, & occaſionẽ bellis inteſtinis, præbuit. Supererant Baiazeti filij tres, Sciaſciaco, Mahomete, & Alemſciaco, iam ante morbo abſumptis, ſcilicet Achomates, Corchutus, & Selymus. Nepotes plures Mahometes ex Sciaſciaco, Orchanes ex Alemſciaco, Zilebus ex Mahomete, & præterhos, alij adhuc duo tenelli. Ex Achomate, Amu-

rathes,& Aladinus. Pater Baiazetes, propensiore animo ferebatur ad Achomaten, qui in Amasiæ, & Cappadociæ præfecturis voluptatibus potius, quàm bellis, operam dabat,& à patre vocatus, venerat Chalcedonem vsque,contra Byzantium, in altero littore Hellespõti Asiatico sitam, hodie Scutarium vocatam. Ab hoc,& altero Corcutho, qui in Magnesia littore, Rhodio vicinus, studiis vacabat, alienos animos habebant prætoriani,& purpurati omnes, præter Cherseoglen.

Purpuratorum præcipui erant Mustaphas,in oppido Seres,apud Amphipolin, sacerdote Græco genitus,Bostãges hortorum præfectus,ex Ducagina familia apud Ætolos,& Aiax Bassa prætorij præfectus,hi Selymo magis fauebant, qui & eorum perfidiosa incitatione, patrem bello adortus auxilio Tartari Præcopitæ, cuius filiam iam antea,inuito Baiazete, vxorem duxerat, sed prætorianis fortiter præliãtibus,ad Chiurlum oppidum, medio,inter Byzantium, ac Adrianopolin,itinere,acie victus,tursus tamẽ,purpuratorum intercessione, reconciliatus, & demum,vel inuito patre, Imperator proclamatus, cùm in verba eius milites iurassent,patricidiorum initium fecit in patre. Nam regno iectum,mox etiam per Hammonem,Iudæum medicum, veneno è viuis sustulit, cùm ætatis annum sexagesimum sextum compleuisset, præfuisset rebus Turcicis,annos triginta duos. Mortuus est in itinere,dũ ex vrbe secedit,petiturus Dimotocum, Thracię vicum,hortorũ amœnitate,& cœli temperie,exilio, ac præsenti fortunæ opportunum.

Fuit Baiazetes,& corpore, & animo languidior, neutiquam par maioribus, aut fortunatæ audaciæ successibus, aut laborum bellicorum tolerantia, siue à natura id habuit, siue à studiis philosophicis. Nam sophisticis Auerrois, in philosophia,argutiis, admodum deditum fuisse perhibent. Nec vicit toties,sua aliqua peculiari felicitate, sed vt in omni magno Imperio, mole potentiæ. obuia,aduersaque omnia proterentis,profligantis,atque obruentis, roboréque, numero, vigore,& impetu militis exercitati, nec vnquam quiescentis, vt otiari,& quiescere,tanti exercitus non possunt.

SELYMVS, BAIAZETIS FILIVS.

SElymus immanitate, sæuitia,& præferocis,effiænisque audaciæ impetu, Mahometen auum superasse videtur. Insitam ingenio diram rabiem, & cæde paterna exasperatam (nam, ex humana carne gustata, homines lupinam naturam

naturam induere, inquit Plato, & res oſtendit, multóque magis, ſi hauriatur cognatus sāguis, è quo, in corde naſcūtur Eriinyes vltrices parricidiorum) rabiem ergo ingenij conſuetudine Ottomannica, mox etiam in fratres, horūmque filios, expromſit, necatis quinque egregiæ indolis adoleſcentibus, fratrum, qui iam deceſſerant, filiis, fratribus ipſis Achomate, & Corchuto ſtrangulatis, quorum illum acie victum, in poteſtatē ſuam redegit, ad Elatam flumen, ex Orminio monte, recta decurrentem in Pontum: hunc, nihil metuentem, ſed ſtudiis in Magneſia ſeſe oblectantē, &cùm, per indices, de inſidiis edoctus eſſet, ad littus fugiētem, vt in Rhodum traiiceret, ſex improuiſo ſubornatis ſatellitibus, comprehendi curauerat. Muſtapham Baſſam, cuius ſubnixu ad Imperium conſcenderat, quòd videretur ad Achomatem inclinare, metu immanitatis Selymi, hunc ergo ſtrangulatum prius, deinceps canibus dilaniandum obiecit.

Reſtabant Achomatis filij, Amurathes, & Aladinus. hi de fortuna patris, & prælij eu ntu edocti, conſilium de fuga inierunt tale, vt Amurathes, cum equitibus Perſicis, tranſmiſſo Euphrate, confugeret ad Hiſmaelem Sophum: Aladinus, ſuperato in Cilicia Amano monte, conferret ſe ad Camſonem Gaurium, Ægypti Sultanum. Inde nouorum bellorum cauſa Selymo conflata, liberauit orbem Chriſtianum, ſummo, quod à Selymo impendebat, diſcrimine. Nā meditantem in Chriſtianos expeditionem, totis viribus, ſed dubium adhuc, atque incertum animo, Rhodum-ne Pannoniam-ve, aut ipſam protinus Italiam, diſcordiis inteſtinis labantem, affectámque multis bellorum incommodis, & ægrè ſeſe ſuſtinentem, terra, marique aggrederetur, hæc cauſa ab Europa auertit.

Amurathes inſtructus Perſicis auxiliis, in Cappadociam irrupit, Hiſmaelo paulatim inſequente, fuiſſéque tota potiturus, deficientibus paſſim populis, niſi eum Chendemus Baſſa, quem Aſiæ præſidio Selymus reliquerat, ad Sebaſtiā Cappadociæ, quæ hodie Siuas eſt, magnis copiis obiectis, repreſſiſſet, ac detinuiſſet. Id cùm Selymus comperiſſet, tranſiit in Aſiam, & maxima celeritate vſus, triceſimis caſtris, peruenit ad Arſengam, quam aliqui Comanā Ponticā fuiſſe cōiiciunt. Inde regreſſum Cappadocia Hiſmaelē, cùm inſequi ſtatuiſſet, inuitatis fruſtra, ad belli ſocietatē, ſpe magnorum præmiorum, regulis Aladulorum, & Armeniorum, quos à tergo metuebat, & itineribus explora-

tis, intra Armeniam minorem, & Aladoli fines, iuxtáque decurrentem Euphraten, continuis itineribus, progressus ad Periardem montem vsque, duorum fluminum Euphratis, & Araxis fontibus inclytum, tandémque ad irriguos aquis Araxis Calderanos campos, maioris Armeniæ, Periardi subiectos, penetrauit. Vbi in coniunctas Amurathis Turci, & Vstaogli ducis Persici copias incidit, ad quas, cognito aduentu Selymi, cùm Hismael accessisset, prælium exortum inter Turcos, & Persas, cruentum admodum, incertáq; victoria diremtum est. Hismaeli (propter vulnus, sclopeti ictu, in sublimem humerum inflictum) secessu ex acie, quem reliquus exercitus Persicus, qui fuerat initio nō maior, quàm triginta millia equitum, sequutus, victoriā, hac cessione, Selymo reliquit, sed ea cruenta admodum fuit. Nam de centum, & quinquaginta armatorum millibus, quos in aciem eduxerat Selymus, supra triginta millia hominum, intérque hos, Cassembassam, Europæi equitatus præfectum, cum flore, & robore exercitus, amisit. Pugnatū est, septimo Calēd. Septembris, eius anni, qui fuit, à nato Christo Saluatore, millesimus, quingētesimus, quartus decimus, in campis Calderanis ad Choim, quam Artaxata vrbem fuisse autumant, à Domitio Corbulone, sub Imperio Neronis, deletam.

Selymus post victoriam, Taurisiam, regiam Persarum, quæ, Ptolemæo, Terua est, profectus, cùm eam, deditione ciuium, occupasset, ac diripuisset; decimo die ab vrbe, móxque ex tota maiore Armenia, exercitum in Cappadociam reduxit; territus fama reuertentis Hismaeli Sophi, cum validis equitum turmis, collectis ex Iberis, Albanisque, qui Gregoriani, & Mengrellij hodie vocantur, atque, in Cappadocia, copias ad Trapezuntem, & Amasiam, in hyberna distribuit.

Anno, qui proximè insequutus est, nimirum quinto decimo, supra millesimum, quingentesimum, Selymus, quòd Hismaelum Sophum, domesticis seditionibus implicitū, aduersus Hyrcanos, Bactrianósq;, & vlteriores Caspij maris accolas, profectum esse, didicerat; etsi vires Persicas vehementer cupiebat deprimere, tamen nihil prius, in Armenia maiore, tentandum sibi existimauit, quàm Aladolum regem, à quo multiplicibus erat iniuriis lacessitus, priore in Hismaelum expeditione, tota ditione pelleret. Is montanis gentibus imperabat, quæ in Tauro, & Antitauro sedes habent, montibus oà Scidisis iugis, & Cappadociæ

dociæ finibus, perpetuo, velut catenæ cuiusdam, nexu, cohæsúque ad Amanum vsque, & vltimos Ciliciæ colles, extensis. Ortæ dicuntur ex Galatis, Cappadocibus, Armeniis, veteribúsque minoris Asiæ colonis, qui, propter assiduas bellorum iniurias, & Scytharum irruptiones, vrbibus relictis, in ea loca, vtpote natura munitiora, aduersus subitas incursiones, refugerant.

Fines regni Aladoli terminabãt, cum Sultano Ægyptio Alepum: cum Hismaelo Sopho, Armenia minor: cũ Turcis, Orpha, olim Edessa, mirabili fonte oris lepram sanante, & tumulo Balduini, fratris Godefridi Bilionei, celebris.

Aladolum ergo cùm Selymus tollere decreuisset, prius Ciamassum, in vlteriore Euphratis ripa positum, supra eũ locũ, quo Melas amnis, Græcorum carminibus celebris, in Euphratem euoluitur, oppidum accessuris ad Armeniam opportunum, expugnauit. Dehinc, reclusis angustiis faucium, præsidiisque deiectis, per Synam Bassam, intra ipsos mõtes, cũ Aladolo conflixit, eo cuentu, vt Aladolitæ sclopetarum procella conterriti, profligatique, notis tramitibus, in proximas siluas diffugerint. Aladolus, trãsfugio Sarouanoglis consanguinei sui exarmatus, indicióque indigenarum, è nemoroso antro, in quod sese, desperatione, abdiderat, extractus, atq; ad Selymum viuus sit perductus, cui Selymus caput pręcidit, ídque prius per Asiam, ad ostentationem victoriæ circumgestatum, deinceps Senatui Veneto transmitti iussit. Filius Aladoli natu maior, ex insequentium manibus elapsus, Ægyptum petiuit.

Hoc bello confecto, Selymus, cùm regnum Aladoli in tres præfecturas diuisisset, contulit se Iconium, in Lycaoniam, inde in Europã rediit, limites sui regni, ea parte, defensurus, aduersus Pannonios, quos cognouerat imminere Samandriæ, quæ, ad Istri ripas, propugnaculum erat Mysiæ, Thraciæque. Sed citò repressis Vngaris, incursione duplici, in Croatia, Iunobassa, ad Cetinum vsque, per Illyricum excurrente, & in propinquis Seruiæ limitibus, totus in nouos, multóque prioribus maiores, belli apparatus incubuit, quorũ fama, ita vicinos reges perculit, vt Maximilianus Cæsar, Ladislaus, Pannonum, & Sigismundus Polonorum reges, celeberrimo conuentu habito, in defensionem Christiani nominis, communibus armis suscipiendam, coniurarint. Sed ab his, postquam deinceps nihil moueri intellexisset, rediit in Lycaoniam, ad veteres exercitus, & reliquias belli Persici, cui sese ita deuouerat, vt

ceſſaturus prius non eſſet, niſi Hiſmaelo euerſo.

Præmiſit tamen legatos, ad Sultanum Ægyptiũ, qui rogarent, vt hoc bello quieſceret. Nam hunc, magnis copiis, tota Ægypto, & Iudęa eductis, in Syriam, ad Orontẽ amnẽ vſque acceſſiſſe, & palam profiteri, ſe rebus Perſicis non defuturum, didicerat: & impellebatur Sultanus aſſiduis lachrymis, precibúſque exulum, ac ſupplicum regum, Aladini, filij Achomatis, & natu maximi filij Aladoli, qui reduci ſe, in auita, & paterna regna, petebant.

Præerat in Ægypto ſummę rerum Campſon Gaurius, euectus ad hoc faſtigium, conſenſu Mamalucorum, poſt varios tumultus, ac cædes, quas Caithbei, & Dultibę vxoris Arabicæ intempeſtiua conſilia, de transferendo in filiũ regno contra leges, excitarant. Sultanos enim, poſt extinctam Saladini poſteritatem, Mamalucorum inſtituto, vt ſupra dixi, non obſeruata ſucceſſione liberorum, ſed communibus ſuffragiis equitum, creare mos erat. Hac lege vt abrogata, nouum conderetur decretum, quod regnum filiis tradebat, ad nutum ambitioſæ, & imperioſæ mulieris, Caithbeius perfecit. Sed mortuo Caithbeio, etſi Mahometes filius, funeſtiſſimè interſe, de principatu, contendentibus Achbardino, & Campſonia, qui ſummos magiſtratus gerebant, Imperium, ea occaſione, vſurpauit, tamen biennio poſt, Mamalucis grauiter ferentibus iniuriam interruptæ, creptæque prærogatiuæ, interepulas, a Circaſſo obtruncatus eſt, Circaſſum Grapalutus Damaſci, Syriæque præſes, hunc Tomumbeius, Tomumbeium amici Grapaluti viciſſim contrucidarunt. Nec cruentæ controuerſię videbatur exitus alius futurus, niſi interitus ordinis, cadentibus in conflictibus penè cotidianis, exercitatiſſimis in re bellica viris. Quare cædium pertæſi, Mamaluci ſummam rerum detuleruut ad Campſonem Gaurium, moti fama, & opinione innoxiæ probitatis atque à ſuperbia omni, & crudelitate alienæ.

Hic Campſon, cùm memoria partæ de Turcis, ad Tarsũ, victoriæ, & repreſſi Vſumcaſſanis, ferocior, atque audacior, belli inter Hiſmaelum, & Selymum ſe diſceptatorem, arbitrúmque deligi cuperet, & ad petita, poſtulatáque Selymi minaciùs reſponderet, non ſe poſiturum arma, niſi à prouinciis Hiſmaeli abſtineat, & filio Aladoli regnum reſtituat, Selymus, inſolentiã hanc retundendam eſſe ratus, omiſſo Perſa, vim belli omnem, præter ſpem, & opinionẽ Campſonis, magna celeritate, ſuperatis Tauri iugis, tranſtulit

tulit in Comagenam, castris positis ad Singam amnem, nō procul ab Alepo, vbi Campson, ignarus perfidiæ Caierbei præfecti Alepi, & Comagenæ prouinciæ, à quo ad conflictum incitabatur, promotis à Damasco castris, Selymo occurrit, & extemplo acie congressus, eo euentu pugnauit, vt Caierbeio, insigni perfidia, Campsonem non modò deserente, sed infestis persequente armis, Mamaluci fusi sint, & Campson ipse armis, multóque abdomine, & ingentis ramicis pondere, grauis, cadente equo, in puluerem excussus, conculcatúsque, interierit.

Pugnatū est septimo Calend. Septembris, biennio post conflictum cum Hismaelo, in Calderanis campis, id est, anno sexto decimo, supra millesimum, quingentesimum. In partibus Selymi, tria millia equitum cæsa feruntur, Mamaluci periere non amplius mille, intérque hos, prefecti duo, Damascenus, & Tripolitanus, sed plures ex seruis eorum, maiórque aliquantò cædes in fuga, quàm in prælio, facta est, impetu turbulentissimo, proceribus, post patefactā Caierbeij proditionem, in fugam, Hieropolin versus, effusis. Hos insequutus, die sequēte, Selymus, cùm, citato itinere, Damascum peruenisse, cognouisset, Hierapolin in fidem recepit, ac Iunum Bassam cum equitatu expedito, Damascum præmisit. Vnde, cum hostes decessisse intellexisset, copias omnes eodem adduxit. Damasceni, apertis portis, hostem receperunt. Idem fecerunt Tripolis, Berytus, Sydon, Ptolemais, Damascenorum exemplo.

Tam insperato successu, Syria potitus, ne quid belli superesset, persequi reliquias Mamalucorum, constituit, qui Memphim, ex fuga, delati, iam Tomumbeiū Circassum in Campsonis locum delegerant. cùm autem, propter latrunculos Arabes, impeditus, ad Ægyptum, aditus fore putaretur, Selymus, Sinambassę negotium dedit, vt, his pulsis, iter ad Gazam vrbem aperiret. Quo feliciter perfecto, ab aduersa parte, celeriter accurrit Gazelles, magni caitbeij alumnus, missus in subsidium Gazensibus, à Tomumbeio, vir acer ac pugnax. Exarsit nouum prælium, in quo Gazelles victus, omnibus signis militaribus amissis, vix per solitudines euasit. cecidere, in hoc prælio, præfectus Alexandrinus, & Orcomas Memphiticus prætor, ac, præter hos, magnus Arabum numerus, & equites mille. Sinambassa supra duo millia lectorum equitum, & claros aliquot, virtute bellica, præfectos desiderauit.

Sed Arabes, conflatis nouis copiis, Turcis ad Gazam hæ

rentibus, cæteríſque, qui his ſubſidio veniebant, magnas intulerunt clades, donec Selymus, vniuerſis copiis, in Iudæam adductis, ſeſe, cum exercitu Sinambaſſæ coniunxit. Inde, poſt acceptam in deditionem Gazam, cùm octauis caſtris ad vrbem Mẽphin acceſſiſſet, & ad ſextum ab vrbe lapidem, prope pagum Matharæam, balſami fœcunditate memorabilem, egreſſum ex vrbe Tomũbeium, cũ exercitu, excépiſſet, edoctus prius de conſiliis Tomũbeij à tranſfugis, ita cum eo dimicauit, vt Tomumbeius amiſſis illuſtribus, præfectis, & flore equitum, vi tormentorum, perturbato, intra vrbem ſe receperit, tanquam ibi, perobſeptas, magnis trabibus, regiones vrbis publicas, de Imperio, de liberis, de vita decertaturus. Sed Selymus, magno auſu, vrbem aggreſſus, cuncta perrupit, & cùm tridui prælio, magnam partem Mamalucorum deleuiſſet, vt gens tota radicitus excinderetur, reliquos etiam, qui in templa confugerant, ſéque ſub fide dederant, interfici iuſſit, ipſumque Tomumbeium, qui vltra Nilum, reparatis copiis, extremo conatu ad Nili ripam, & pontem, prælium inſtaurat, inde reiectum, atque in paludibus, in quas, deſperatione deſilierat, repertum, diúque in quæſtione, de theſauris acerbiſſimè tortum, ac tandem vili iumento impoſitum, pérque vrbem circumductum, gula laqueo fracta, ad Baſuclam Syrię portam, vnco ferreo ſupra fornicem ſuſpendit, vt tranſeũntibus ſpectaculo, ludibrióq; foret, & Ægypti ſe victorem eſſe faterentur.

Id factum eſt Idibus Aprilis, anno à nato Chriſto ſeptimo decimo ſupra milleſimum, quingenteſimum, poſtridie Paſchæ, cùm ad Rhodaniam pugnatum eſſet eodem anno vndecimo Calend. Februarij, die Diui Vicentij memoriæ dicato. Ad hunc modum Selymus duobus ſultanis ſublatis Mamalucorum in Ægypto impotenti ac ſuperbo regno poſtremus finem attulit, quod illi ab extincta in Melechſala poſteritate Saladini, annos tenuerant circiter ducentos quadraginta tres.

Rebus in Ægypto & Syria conſtitutis atque adminiſtratione Ægypti commendata Caierbeio in præmium proditionis ad Alepum: Gazelli qui in victoriis Selymi fidem regno Mamalucorum euerſo ſe contulerat, Syriæ præfecto præter omnium opinionem, abductiſque ex omni Ægypto, ſed præcipue ex vrbe Memphi, quæ Alcairus eſt, pluribus quam quingentis familiis, quæ opibus, & claritate generis præſtabant, magnáque fœminarum

rum & puerorũ multitudine ex progenie Mamalucorum, quorum quotquot superfuerant ex pręliis, eos ad vnum omnes Alexandrię in foribus carceris concidi iusserat, rediit Byzantium triumphabundus, bellum deinceps in Christianos atrox moturus.

In eo conatu vlcere cancerosо renum correptus, toto corpore ex longè latéque serpentis vlceris corrosione fœde putrescente, morte sæuitia tam beluina digna, meritas immanis parricidij pœnas persoluit, anno Christi vicesimo supra millesimum quingentesimum, Septembri mense, apud Chiurlum Thraciæ pagum, eo ipso in loco, quo Baiazetem patrem acie circumfusum antea opprimere fuerat conatus.

Vixit annos quadraginta sex, regnauit octo. Regnum eius quid fuit aliud, quam tetra & abominabilis carnificina? tanta quidem, vt immanitate sæuissimas feras anteisse videri possit, beluæ quàm homini similior. Nulli enim ex suis pepercit. Patre sublato, tota agnati sanguinis stirpe excisa à radice, præcipuis belli ducibus ob leuissimas suspiciones interemtis. Mustapha Calogero, Chendemo, Bostange genero, Iunobassa, filium etiam veste veneno intus atrocissimo delibuta extinguere cogitasse ferunt, ob quædam eius de patris immanitate dicta liberiora, sed astutia matris repudiatum donum, próque Solymanno cubiculario cuidem datum, ocyssime illi perniciem attulisse. Filium Solymannum crudelem animam exhalans commendauit Pyrrho Bassæ Cilici, seuerè præcipiens vt se mortuo in Christianos bella verterentur, omissis Persis.

In hac laniena Turcica præcipua exempla spectemus & ingentis iræ Dei aduersus peccata totius generis humani, & misericordiæ reprimentis pœnarum atrocitatem, ac parcentis illi multitudini, in qua est ecclesia Dei. Ruunt in sese mutuo cæca diráque libidine imperandi, & vindictæ rabiosa cupiditate ex leuissimis occasionibus nata, gentes prophanæ ac blasphemæ horribilibus cædibus, singulari permissu diuino incitantibus eas diabolis, cùm vt ipsæ sese puniant rabie indomita víque insuperabili in semetipsis conflictu mutuo consumta: tum vt hac bellorum barbaricorum tempestate inter ipsos desæuiente, interea halcyonia sint iis in regionibus, in quibus sonat vox doctrinæ de filio Dei.

Erat autem maximè opus quiete ac tranquillitate hoc

tempore renaſcenti in Germania eccleſiæ, cùm emendatio doctrinæ ſacræ multipliciter corruptę, ac vitioſorum rituum ex verbo Dei voce Lutheri inchoata eſt. Si tunc enim renera eccleſia impetu externorum armorum quaſſata fuiſſet aut diſiecta, conſiſtere confirmaríque aut recipere ſeſe vix vnquam potuiſſet. Cúmque deinceps etiam in Pannoniam ſeſe hoſtilis impetus effudit, pœnarum exempla propoſita fuiſſe Germaniæ non dubitemus, propter odium & contemtum illuceſcentis doctrinæ, quam multo maxima pars procerum ita auerſata eſt & abominata, vt cupiuerit extinctam, oblita & præceptorum & comminationum, quas collocatis ad gubernacula denunciat concio Pſalmi ſecundi. Et nunc reges intelligite: Erudimini qui iudicatis terram. Oſculamini Filium, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius. Beati qui confidunt in eo.

Reſpicientes ergo ad triſtiſſima tyrannidis Turcicæ exempla, vtriuſque recordemur, iræ & miſericordiæ Dei, & flexamus animos ad agnitionem & inuocationem filij Dei, cuius contemtum grauiſſimis & publicis ſuppliciis ſe vlturum comminatur & vindicare oſtendit cœleſtis & æternus pater. Cogitemus etiam de communi miſeria generis humani, & de diaboli furore, qui odio Dei & contemtu generis humani, tantis flagitiis ac ſceleribus deformat imagines Dei, & quidem ſummo loco, in imperiis, vbi excellere virtus debebat: vt illa horrēda diaboli ſpectacula vniuerſa rerum natura abominetur. Quare filium Dei oremus, vt opera diaboli graſſantis cum in toto genere humano, tum veiò præcipuè in ſummis ordinibus deſtruat, ſicut ſcriptum eſt: Filium Dei apparuiſſe, vt deſtruat opera diaboli.

Cætera in Turcorum hiſtoriis talia ſunt, vt ſi quem delectāt illum Hircanica tigride feriorem: ſi non dolore afficiant, Caucaſeis rupibus duriorem eſſe oporteat. Nec alia fuit cauſſa, vt in hanc epitomen hæc quæ recenſui inſererem, niſi vt conſiderata aliquo modo tyrannidis & latrociniorum ſpecies, principibus orbis Chriſtiani & militibus, pia tandem & iuſta arma induat. Nunc redeo ad imperatores occidentis.

IM-

IMPERATORES OCCIDENTIS.

FRIDERICVS TERTIVS.

ETsi Hunniades aliquandiu excepit & auertit impressiones violentiæ Turcicæ, velut opposita moles irruentis fluminis impetum, tamen non casu nec viribus humanis vim tantam, & cùm adacta fuit in Christianos, retusam, atque discussam, & cum ab Europa in Asiam sese incitauit, hinc eo depulsam fuisse, sed prouidentiæ atque potentiæ diuinæ nutu ductúque gubernatum perfúctúmque id fuisse consideremus, ac grati agnoscamus, cum in historiis Friderici & Maximiliani, sed Friderici præcipuè, intuemur laceram speciem Europæ miserabiliter distractæ, & ciuilium bellorum, quæ præcipuè accenderunt pontifices, collisione penè oppressæ ac perditæ.

Italia multo auto redempta ab imperatoribus licentia, qua vti illa nesciebat, iamdudum in seditiones sese diduxerat exitiosas, ambitiosa gente æqualitatem nusquam admittente, hæ in tyrannidem exierant paucis dominatum occupantibus, quorum potentia offensi pontifices, hos rursus inter se commiserant. Inde natá ciuilia bella cum iidem sopire non possent, attracti sunt tandem imperatores & reges peregrini, qui ciuibus oppressis, de Italiæ imperio inter se certarunt multo sanguine. Illorum certaminum is fuit exitus, vt imperium Italiæ quanquam Germanicis simul & Hispanicis armis adsertum esset atque defensum aduersus Gallos, titulotenus tamen relictum imperatoribus Germanicis, reipsa cesserit Hispanis.

In Germania cum maiestatem & robur imperij eneruasset nimium studium amplificandæ potentiæ priuatæ in plerisque, nec inualida imperatorum potentia magnopere formidaretur, similiter domi nusquam non exarserant bella intestina.

Neque extra has prouincias penè vllus fuit in orbe Christiano angulus immunis ab ingentibus armorum apparatibus ac collisionibus, vt difficile non fuerit Turcis, si occasiones oblatas tunc apprehendissent, in Europam vndique flagrantem bellis domesticis, nec satis in res suas intentam, sedem imperij orientalis longius promouere, ni Deus prohibuisset. Quare has historias ita legamus, vt pro seruata Europa Deo gratias agamus.

Imperium post Alberti obitum, tertio Calend. Aprilis, anno quadrageſimo ſupra milleſimum, quadringenteſimum, traditum accepimus Friderico tertio Auſtriaco, principi ſuo quodam peculiari genio fatóque inclyto atque admirabili, vtpote qui etſi præclara quadam generoſi ingenij indole, prudentiáque matura ac circumſpecta ſeſe nunquam deſtitueret, abhorreret tamen à bellis cum natura tum ob iniquitatem fortunæ, quam aduerſam experiebatur, & eam ob cauſsam animo eſſet fractiore, opportunáque & aſtuta calliditate fulciret, ac quaſi ſuppleret debilitatem potentiæ, atque alienis armis, ſumptibus & periculis potius quàm ſuis vel res magnas gereret, vel conſtitutus in diſcrimine defenderetur aut eriperetur, & quos compeſcere authoritate ſua nequiret, ſibi aduerſantes, eos incitatis inuolueret ac diſtraheret bellis domeſticis.

Collocatum in imperio ſtatim inter exordia gubernationis exagitarunt mota ab agnatis bella de poſſeſſione & adminiſtratione Auſtriæ. Traduxerat enim ad ſe à morte Alberti Ladiſlaum filium eius, hæredem duorum regnorum Pannoniæ & Boëmiæ, & ducatus Auſtriç, cuiipſe tutorio nomine prçerat. Hunc repetebat Vlricus Ciliç comes auunculus Ladiſlai magnus. Cum Ciliano ſe Albertus Friderici frater coniunxerat, flagitans paternę hęreditatis diuiſionem.

Sed hoc bellum citò interponentium ſeſe principũ Germaniç prouidentia & induſtria ditemtum eſt, fratribus reconciliatis, Ciliano vt arma poneret iuſſo.

Motibus Auſtriacis ſedatis, tollendo ex eccleſia Romana ſchiſmati incubuit, quod extiterat de indicta coactáque ab Eugenio pontifice Florentina ſynodo contra Baſilienſem, & deſignato Baſileç in pontificem contra Eugenium Amadeo Allobrogum primo duce, qui ſe Felicem quintum appellauit. Sed tragœdiç ab Eugenio, per Ludouicum Gallię Delphinum Caroli ſeptimi regis filium excitatę ad turbandos vel opprimendos eos, qui Baſileç celebrandę ſynodi cauſſa coierant, ocioſum ſe ſpectatorem prębuit, vel quia viribus impar eſſet, vel, vt potius reor, quod Heluetiorum, qui defenſionem Allobrogi & ſynodo ipſiſque Baſilienſibus tanquam ſociis promiſerant, audaciam cohercerí, atque indies magis magiſque inualeſcentes vires retundi optabat.

Adduxerat Delphin° ornatas & inſtructas è Gallia copias ad

ad Basileam Eugenij impulsu , Armeniacas nominarunt, non ab Armoricis ciuitatibus , sed à comite Armeniacense eorum ductore. Est autem comitatus Armeniacensis in Aquitania. Cum his quarto à Basilea lapide quatuor Heluetiorum millia acie congressa incredibili ausu tam fortiter pugnarunt , vt cùm ex his mille sexcenti, in confertum agmen Gallorum sese intulissent, etsi ad vnum cæsi sint omnes , victores Gallos tamen interitu suo tota mox Germania pepulerint , persequẽtibus scilicet reliquis ope vicinorum multa cæde hostes, & clade suorum & animositate ac ferocia eorum , qui ceciderant, perculsos atque consternatos. Memorabile hoc est fortitudinis exemplum simile illius Lacedæmoniorum ad Thermopylas. Pugnatum est septimo Calend. Septembris, anno quadragesimo quarto supra millesimum , quadringentesimum. Cecidisse in eo conflictu tradunt sex millia Gallorum.

Nec aliud egit deinceps Fridericus in eo bello, quod Albertus marchio auxiliis magnæ partis principum Germaniæ gessit cum Norica vrbe sociarum ciuitatum auxiliis nitente, circiter annum quadragesimum octauum, in quo bello Albertus octo præliis victor , nono victus post illata acceptáque damna plurima, pacem cum ciuitatibus fecit.

Depulso Delphino, cùm Fridericus perfecisset vt Felix abdicato pontificatu cederet Nicolao quinto Eugenij successori, & Nicolaus vicissim vt decreta synodi Basiliensis rata haberet , ac faceret , Romam profectus est ad solennem renuntiationem, comitantibus eum inter cæteros Alberto fratre & Ladislao iuuene rege. In eo itinere vt quod inualidæ potentiæ , & propter hanc neglectæ authoritati deerat, compensaret aliis , ex insito ingenio, præfidiis, Italorum animos affectatione clementiæ, comitatis, mansuetudinis, munificentiæ, in conferendo cumulandóque dignitates ac titulos, mirificè sibi deuinxit. Sponsam Leonoram Eduardi Portugalię regis filiam nauibus aduectam in Italiam Senis excepit , eáque secum Romam deducta , Idibus Martiis ibidem in regem Longobardorum. (Mediolanum enim Philippo Maria vicecomite extincto recèns in Francisci Sfortię potestatem venerat, cuius successionis concedere recusabat) biduo post cum noua nupta in Romanorum imperatorem est coronatus , anno millesimo , quadringentesimo , quinquage-

simo secundo. Inde post cuncta, quę in præsens imperio & sibi conducerent expedita, regredienti, Veneti & Ferrarienses hospitalia officia apparatu regio magnifice præstiterũt, pro quibus marchionem Ferrarienſem nomine Borsium, honoribus & insignibus ducalibus, Venetos amicitia ac fœdere remuneratus est.

Interea domi tumultus atroces conspiratione Ciliani & Austriacorum deposcentium ad gubernationem Ladislaum iuuenem renouati, reuerso multum negotij exhibuerunt, vt quanquam seditiosè tumultuantibus, auxilio aliquot principum Germaniæ & Boëmorum facile par esset, tamen Ladislaum dimittere sit coactus, iniquitate aduersantis fortunæ intra Neapolin Austriæ compulsus obsessúsque. Frustra tentarunt pacificationes legati Saxoniæ principum & Alberti marchionis Brandeburgensis, & acerrimè repugnante Ciliano, qui tyrannidem prætextu tutelæ regiæ affectabat. Magnas tunc clades & detrimenta magna perpessa est Austria, quæ ipsa sibi peperit, vt seditionis nulla iusta de caussa motæ, & exagitati crudelem in modũ Imperatoris sui pœnas lueret. Sed & suas mox pertulerunt pœnas Cilianus & Ladislaus rex: ille Ladislai Hũniadis manu obtrũcatus: hic quinto anno post dimissionẽ, scilicet anno quinquagesimo septimo, pharmaco peremptus Pragę, cuius interitus materiã nouorũ bellorũ principibus, causam cladium nouarum Austriacæ genti attulit.

Erãt patrueles, nimirũ fratribus duobus nati, Fridericus imperator cum Alberto fratre, & Sigismundus exarchus Austriæ. Ille natus patre Ernesto, hic Friderico seniore.

Hos cum pari agnationis gradu attingeret Ladislaus iuuenis Austriæ hæres, relinquebat eam diuidendam patruelibus pari iure. Sed totam soli sibi vindicabat Imperator. Inde exorta dissensio conflauit bellum, in quo Alberto coniunctus Sigismundus imperatori restitit vsque ad Alberti mortem, qui anno sexagesimo tertio vita functus est, cùm paulò antè mortem fratre concluso à ciuibus in arce Viẽnensi, ipse ciuibus opitulaturus inde armis & expeditis consilis Gregorij Boiebracij Boemi reiectus esset. Eo amoto Sigismundus bello finem imposuit, Austria Imperatori citra disceptationem concessa.

Sed ne tunc quidem Imperatori contigit diuturna pace frui. Nam cùm ex proceribus Pannoniæ aliqui post Ladislaum expeterent Imperatorem Fridericum: sed pars maior annitente Michaelo Zilagio præferret

ferret suæ gentis hominem, quanquam nouum, & humili stirpe natum, atque eo tempore captiuum, Matthiam Hunniadem, hoc, postquam regnum esset adeptus, repetente coronam regiam, Friderico constitutionem detrectante, qui eam cum Ladislao acceptam de manibus Elisabethæ matris eo vsque apud se retinuerat, rursus ad arma deuentum est, quæ arrepta potius quàm vsurpata cito posuerunt, intercessione principum Germaniæ lite composita, vt coronam à Friderico Matthias redimeret octoginta millibus aureorum nummûm.

Interea noui belli semina in Germania sparserat Pius secundus Pontifex Æneas Syluius, cognomẽto Picolomineus, quondam apud Fridericum Imperatorem magister epistolarum, confisus Imperatoris priuata erga se beneuolentia, & eximio erga sedem Romanam studio. Dejecto enim Moguntino episcopo Diterico Isburgio, in locum eius cooptarat Adolphum Nassaënsem.

Causæ depositionis Isburgij præcipuæ fuerunt, quod acriter aduersaretur iniustis pontificum exactionibus, quibus expilabantur prouinciæ prætextu belli Turcici, & quod Pio flagitanti, iuramento se vt obstringeret, quo successores etiam tenerentur, non se conuocaturum imperij septemuiros ad communem aliquam de nouo imperatore eligendo, aut de aliis in Imperio rebus constituendis deliberationem, vel ipsorum Imperatorum aut septemuirûm mandato, nisi consiliis prius communicatis cum pontifice, & huius voluntate explorata, quod ergo assentiri & parere recusaret.

Isburgium in caussa iusta atque ad stabilitatem imperij & publicam concordiam, amoliendásque pontificiarum machinationum occasiones spectante, defendendum suscepit Fridericus cognomento Victoriosus, comes Palatinus ad Rhenum, eo tempore septemuir imperij, pro impubere pupillo Philippo Ludouici fratris filio, nil veritus anathematis pontificij terriculamenta. Huic sese ad communem defensionem coniunxit Ludouicus Bauarus cognomento Diues. Oderat autem vtrumque Imperator, & vtrumque castigatum cupiebat, etsi, vt existimo, causam, cui patrocinabantur, tacitè non improbaret. Cúmque robur animi in Friderico, in Bauaro opes pertimesceret, quem à pecunia sciebat esse instructum, impellente pontifice aliquot potentes Germaniæ principes per se Friderico infensos, ipse quoque iisdem calcaria

occultè ſubdidit, vt non tam Iſeburgium, quàm huius defenſores peterent.

Conſociarunt ſeſe ergo pro Naſſaënſi Albertus marchio Brandeburgenſis, Ludouicus Bauarus cognomento Niger, Carolus marchio Badenſis, & frater huius Iohannes epiſcopus Metenſis, Vlricus comes Wirtebergenſis, quem anno proximè præcedente dotem coniugis Margaretæ Sabaudæ, viduæ quondam Ludouici Palatini, à priuigno impubere Philippo armis nullo iure repetentem, ſtrenuè compeſcuerat.

Alberto verò Brandeburgico & Friderico antiqua ex æmulatione virtutis ac felicitatis interceſſerant odia, quæ tamen ita moderabatur & premebat vterque, vt neuter alterius fortunam temerè irritaret, aut periclitaretur.

Sed adiuuit Deus honeſtos & iuſtos Friderici conatus in cauſſa meliore, vt quanquam longè inferior eſſet numero militum & apparatu bellico, tamen hoſtes contemtu quodam audacius irruentes fortiter exciperet ac funderet, captis vna die, quæ fuit prima menſis Iulij anni ſexageſimi primi ſupra milleſimum, quadringenteſimum, principibus tribus, Badenſi, Metēſi & Wirtebergenſi, quos redimentes ſeſe, aliquanto poſt ſub conditione dimiſit, contentus laude victoriæ. Ferunt Friderícum in prima cœna alioquin exquiſitè apparata captiuis panem denegaſſe, & reprehenſum propterea, quod victoria immoderatius vti, atque à fortuna preſſis acerbius inſultare videatur, atque interrogatum cur id faceret, reſpondiſſe: Non ſeruaſſe hoſtes iura belli, nec peperciſſe iis, quæ leges bellorum violare prohiberent, vt qui ſegetes vel temerè conculcatas corrupiſſent, vel incenſas exuſſiſſent, & molas paſſim igne deleuiſſent. Iure igitur panem iis ſubtrahi, qui nec materiam panum, nec his præparandis atque conficiendis extructa organa ſupereſſe voluiſſent. Hic Fridericus pater eſt ſtirpis comitum in Laucnſtein.

Hoc bello minimè ex ſententia geſto, mox inter Imperatorem & Matthiam Coruinum aliud exarſit funeſtius ex refricatis noua iniuria veteribus odiis. Nam Matthiæ pontificio diplomate deſignato in Boëmorum regem aduerſus Georgium Boiebracium ob Huſſitici dogmatis patrocinium aulæ Romanæ inuiſum, imperator collationem regni ſeu feudi, vt vocant, denegabat, eam rem Matthias grauiter ferebat. Sed furioſius incanduit, cū Georgio

fato

fato functo, Boëmici proceres & Imperator ipso iterum
præterito amplecterentur Ladislaum, Casimiro Polo-
niæ rege & Elisabetha filia Alberti Austriaci natum, cùm
quidem Imperator prior ad idem regnum inuitatus ac-
cipere id recusasset, vel dissidiis gentis Boëmicæ territus,
vel quod labores fugeret & pericula, in quæ sese cum re-
gno contra tam potentem & bello acrem æmulum con-
ici intelligebat.

In hoc bello & Imperatori Austriam conseruatam, &
maiestatem Imperij, quæ infelicitate Friderici in discri-
mẽ adducta penéque profligata nutabat, vindicatam esse
constat virtute Alberti ducis Saxoniæ, Friderici secundi
electoris Saxoniæ filij, patris Georgij atque Henrici ducũ
aui Mauricij atque Augusti Electorum, qui imperatore pe-
nè tota Austria excluso, & iam à patria in alieni domini
potestatem redacta exulante, comparatis suo sumtu egre-
giis copiis, Matthiam tanta animi magnitudine & felici-
tate aliquot secundis prœliis contudit, atque è maxima
Austriæ parte depulit, vt fathiscentem belli pondere coë-
gerit iis conditionibus, quas proposuit, pacem facere. Al-
bertum ex huius belli euentu Matthias ita deinceps co-
luit, vt quanquam odisset, ei soli tamen inter Christianos
principes encomium magni ducis & militaris virtutis ac
fœlicitatis gloriam tribuere sit solitus. Viennam in ea tũs-
actione Matthias retinuit, cuius oppugnationem Albertus,
diffisus amplitudini vrbis munitionique & suis viribus,
aggredi non fuit ausus.

In hac perturbatione patriæ bello laborantis imperator
discedens è Germania Romam ex voto adiit, cùm iam Pio
pontifici successisset Paulus secundus ob spurcissimam li-
bidinem masculam & artes dæmoniacas publicè infamis
atque execrabilis, vtpote quem tandem in concubitu à
dæmone strangulatum, obtorti colli terribili specie mortis
genus ostendisse fama est.

Interea nouum in Belgio incendium erupit, excitatum
temeritate & audacia ambitiosi nimis, feruidique ac præ-
cipitis, & immodica bellorum proferendique imperij
cupiditate nimium deflagrantis iuuenis Caroli Burgundi,
cuius immensum animum angustia eius regionis, quam
tamen possidebat amplissimam, minimè capiebat. Erat is
natus Philippo bono patre, Iohanne Burgundo auo, illo
scilicet, qui ad Neapolin temerè in confertorum Turco-
rum agmen prouolans cum equitatu suo à Turcis cir-

cumuentus & captus est, cuius pater Philippus Audax cō-
cessione patris Iohannis primus è regia Capeti stirpe Bur-
gundiæ hæreditatem adiit. Ante Philippum enim post ve-
teres reges exactos Burgundia, ferè suos habuit principes
imperio subditos, sed ex prosapiis diuersis. Postremi orti à
comitibus Chabilonensibus & Salinarum, principatum à
Meraniæ ducibus coniugio adepti erant Imperatorum as-
sensu. Eorum stirps extinctis Ottone Ruperti filio, atque
huius filio & nepote Philippis, in viuis esse desiit. Nepos
enim ex Margareta Flādrica sobolem non procrearat. Ha-
bebat autem sorores duas Otto, Margaretam & Iohānam.
Margareta nupsit Huttino tunc regi Nauarræ propter
matrem, & deinceps Franciæ regi. Ex hoc coniugio nata
Iohanna regina Nauarræ, & collocata Philippo, Eburo-
uicum comiti peperit Carolum regem Nauarræ. Altera
Iohanna Philippo Valesio regi in vxorem data, genuit ei
Iohannem Franciæ regem & Philippum Aurelianensem.
Sublato igitur è viuis Philippo Ottonis nepote, Burgun-
diam sibi deberi contendit Carolus Eburouix rex Na-
uarræ, quia descenderet à sorore Ottonis natu maiore Io-
hanna, sed excidit successione propter suspicionem incer-
tæ & ambiguæ originis Iohannæ matris, cuius matrem
Margaretam in adulterio correptam maritus Ludouicus
Huttinus fame necarat. Excluso itaque Carolo inuasit
Burgundiam desolatam interitu principum Iohannes rex,
atque eam Galliæ regno coniunxit, non iure aliquo pecu-
liari regni, sed hæreditario.

Hæc copulatio lites peperit & bella longa ac difficilia,
quibus certatum est vsque ad Carolum V. Burgundiæ, du-
cibus conantibus sese asserere in libertatem immunem
ab omni clientela atque imperio regis: Austriaci dein-
ceps reuetentibus Burgundiam tanquam hæreditatem
Caroli Burgundi: Francis prætendentibus iura feudorum,
& quantum ad cetera pacta quædam à morte Caroli Bur-
gundi cum Flandris inita. Vi tamen Burgundiam Franci
hactenus retinuerunt.

Sed ad Carolum Burgundum reuertor, qui tum aliquan-
diu infidi regis Ludouici vndecimi, cui nihil tam familia-
re erat, quam ex vsu & commodis suis sine discrimine fi-
dem fallere quibuscunque, sed præcipuè agnatis princi-
pibus, quos vt potentes nimis & factiosos, resque
regni & publicarum deliberationum consilia turbantes,
diminutos numero viribúsque aut extirpatos cupiebat,

huius

huius ergo insidiosas molitiones cùm aliquandiu & sustinuisset fortiter, & armis fœliciter vindicasset, edito ingenti prælio ad Allerium montem, regíque propemodum debellato pace extorta, ac fœdere bellum in Eburones transtulit, Leodióque ipsorum vrbe pro episcopo, cuius causã tutabatur, sociis agnati regis armis expugnata ac diruta, rege à fœdere discedente, cui placato Carolo à reliquis Galliæ principibus minus periculi erat, ipse sese conuertit in Germaniam, inuitatus à Ruperto Bauaro, vt huic in Colonienſem episcopum electo suppetias ferret cõtra Hermãnum Hassiæ Landgrauium, eandem dignitatem armis quærentem, quod Lotharingo alij tribuunt.

Hæc belli translatio etsi Gallo grata erat, vt cui nil tam expediebat, quàm vt Carolus, ad cuius nomen expauescebat, committeretur cum hostibus potentioribus, tamen euentu nocuit ipsi & posteris, quod occasionem præbuit, vt mirificis artibus diu captatum & vix tandem acquisitum Belgium à regno Galliæ rursus auelleretur.

Non desinebat autem Ludouicus in Carolum petentem Germaniam, quos posse incitare, fœdere inito cum Friderico imperatore, & Renato Lotharingiæ duce exstimulato ad bellum eidem indicendum. Huic Renato mater erat Iolanta filia Renati Andegauensis, qui ducta in vxorem Isabella filia vltimi Lotharingiæ ducis è directa linea stirpis Bilioncæ, exclusis successoribus masculis comitibus Vallemontanis è collaterali linea ejusdem familiæ propagatis, ducatum intulerat in familiam Andegauensem. Sed Iolanta nupta Friderico Vallemontano reduxit eum ad veterem stirpem, procreato hoc Renato ex Vallemontano patre. Et offenderat Carolum Fridericus Imperator, qui petenti diadema, & nomen regium dignitatémque, & munus vicarij præsidis in imperio, vtrumque denegarat.

Quod se ergo hoc bello cum terrore Germaniæ feliciter expedito planè confideret, vel extorturum imperatori priora postulata, vel etiam imperij fastigium Friderico deiecto consequuturum, facilior in Bauaro defendendo fuit. Hesso adhærebant Colonienses & confœderatæ his aliquot atque etiam subditæ ciuitates. Inter confœderatas præcipua erat Nouesium quatuor infra Coloniam milliaribus, præfecturæ seu aduocatiæ nomine, vt vocant, imperio obnoxia. Ad hanc obsidendam cùm Carolus ex-

ercitum adduxisset, Fridericus imperator maturè ei occurrendum ratus imperatis vndique auxiliis exercitum coëgit circiter octoginta millium hominum, sequentibus imperatorem ducem principibus plerisque, quos anteibant Albertus dux Saxoniæ & Albertus marchio Brandeburgensis. Nam vexillum imperij Saxoni erat commẽdatum. Ad eius vrbis obsidionem explicatis quodam die aciebus vtrisque ac depositis ad statariam pugnam, cùm cõflictus certus expectaretur, & Saxo, qui Friderici aciem instruxerat, moræ impatiens esset, subito conuersis rebus in vtraq; acie pax proclamata est, quam conciliarant nonnulli ex Belgio proceres clam perductis ad colloquium mutuum Imperatore & Carolo.

Pax pridie Calend. Iunias, anno septuagesimo quinto supra millesimum quadringentesimum, in eam fuit sententiam sancita, vt Caroli vnica filia desponderetur Maximiliano Imperatoris filio cum omnibus Caroli prouinciis, si absque hærede masculo ipse decederet. Ita tunc quidem ab armis discessum est.

A conditionibus pacis excluſi erant Ludouicus Franciæ rex, Sigismundus exarchus Austriæ patruelis imperatoris, Renatus Lotharingiæ dux, & Heluetij, qui in Burgũdiam impulsu Ludouici vndecimi irruperant prædabundi duóque oppida ceperant. Sigismundus verò Carolum irritarat cum aliis rebus, tum redemptione aliquot prouinciarum vrbium, quas illi aliquanto ante Heluetico bello distentus oppignorarat.

Carolus itaque Nouesio promotis castris Lotharingum adortus, magna parte ditionis eũ pepulit. Dehinc in Heluetios Lotharingi socios progressus, primò castris ad Granſonem positis arcéque expugnata, mox fortuna sese vertente, quarto Nonas Aprilis ab Heluetiis festinato accessu obrutus, fœdéque fusus ac stratus, & castris exutus, amissis impedimentis, totiúsque exercitus opibus & sua precioſa supellectile, vix ex insequentium manibus sese eripuit.

Paulò post iterum ad Moratum oppidum in confinio Allobrogum decimo Cal. Iulias, acie ab iisdem victus, anno septuagesimo sexto supra millesimum, quadringẽtesimum, cum tertio Renato amissa recuperante, reduxisset exercitum ad Nanseũ, in ipsa obsidione pridie Epiphanias Domini ab Heluetiis circumuentus ac trucidatus interiit, cum vixisset annos quadraginta tres, mensem vnum, dies

yi-

viginti quinque, anno Christi septuagesimo septimo, supra millesimum quadringentesimum.

Hunc habuit exitum nimis ferox & effrænis inexpletæ superbiæ impetus in Carolo, qui hoc suo casu confirmat regulas: Quod infelicia sint non necessaria bella, superbia & fiducia potentiæ mota. Item: Qui amat periculum, peribit in eo. Item: Deposuit potentes de sede. Desertum fuisse feruntà suis insigni perfidia Campobassi Neapolitani, qui aliquando à Carolo colapho cæsus vindictæ occasionem in id tempus distulerat.

In hos Caroli Burgundi motus inciderunt duo cometę. Horum alter anno millesimo, quadringentesimo, septuagesimo secundo, Idibus Ianuarij sub Libra effulsit, & initio lentè processit, donec peruenit ad Arcturum. Inde totum propemodum hemisphæriũ intra Zodiaci & æquinoctialis polos percurrit, celeritate tanta, vt vno die quadraginta gradus magni circuli, & cùm velocissimus esset penè quatuor signa confecerit. Tandem vltimis diebus Februarij, iuxta decimum quartum gradum Arietis solis radiis ceu absumtus euanuit.

Ab huius cometę conspectu profectũ dicterium est, quo tẽpus notatur, quib. sese in Misnia venæ metallicæ Schnebergenses aperuerunt, vbertate tanta, vt cunctas Germaniæ superarint. Nusquam enim vna vena tãtùm fudit argenti, quantum D. Georgij Schnebergæ. Complectitur autem dictũ anni tempus. Ecce cui cometa luxit. Annus tũc agebatur tricesimus secundus Imperij Friderici, quem qui sint consecuti motus, docent historiæ.

Alter cometa anno quinto post conspectus est, cœruleo pallore subniger, quo anno Carolus Burgundus cæsus est. Ex cuius occubitu nouum mox bellum enatum est. Maximiliano & vrgente nuptias Mariæ Caroli filiæ, & destinatas doti ex pacto prouincias occupante, Gallis contra Burgundiam Flandriámque euastantibus, & quibusdã Belgij proceribus, quorum dux & caput erat Philippus Ranestenius, rex ad Gallos trahentibus, qui vehementer his nuptiis aduersabantur, & id agebant, vt irritas redderent. Sed vicit fortuna Maximiliani, qui quanquam à seditiosis subditis grauiter exagitatus, semel etiam Brugis obsessus, pericula non leuia pertulit, tandem tamen octennij totius bello præcipuas prouincias soceri Caroli omnes industria, victoriis & sumptibus vnius præcipuè Alberti ducis Saxoniæ recepit, Philippo Ranesteo

rio, clientelis & ſociorum auxilis exuto, qui Belgio relicto cum ad Gallos ſe contuliſſet, creatus claſſis Gallicæ præfectus aliquanto poſt ad Lesbum inſulam infœliciter cum Turcis conflixit.

Imperator Matthia rege extincto rediit in Auſtriam tertio ante obitum anno: ſed nihil admodum geſſit, niſi quod reliquias vagorum latronum ex eo exercitu, quem vocitarunt nigrum, deleuit, multis acie trucidatis, nonnullis ex fuga præcipitatis in obuia flumina, aut necatis laqueo. Partem enim illorum multo maximam Albertus frater eius antea ſuſtulerat. Cùm autem incommodius valeret ex phagædena pedis, Lincij commoratus eſt vt plurimùm, vbi tandem melonum intemperantiore vſu proſtratis languidi & imbecillis ſtomachi viribus in diarrhœam incidit, qua abſumptus expirauit, decimo quarto Cal. Septembris.

Anno Chriſti, milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo tertio.

Anno mundi quinquies milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo quinto, Ætatis ſeptuageſimo octauo.

Cùm imperaſſet annos quinquaginta tres, mẽſes quatuor, dies quatuor, ſuperatus triennij imperio ab Auguſto, quem triennij ætate anteceſſit. Reliquit Maximilianum filium & Cunegundam filiam, quam Sigiſmundus patruelis exulante imperatore & eodem inſcio, atque inuito collocauit in vxorem Alberto Bauaro. Idem poſtea abdicata gubernatione ditionem ſuam Maximiliano conceſſit imperatore excluſo.

Verè bellatrix fuit hæc ætas. Acerrimos enim & præſtantiſſimos in re bellica duces produxit non vno in loco aut regno, ſed pluribus ac diuerſis toto orbe terratum, etſi in ipſis monarchis orbis Chriſtiani imperatore præſertim & Ludouico vndecimo, adeóque in ipſo Baiazete tyranno Turcico, plus calliditatis fuit ac verſutiæ, quàm fortitudinis bellicæ.

Germania tres habuit origine nobiliſſimos, & induſtria militari, ac bellica laude clariſſimos principes, Albertum Saxonię ducem, Albertum marchionem Brandeburgenſem, & Fridericum Victorioſum comitem Palatinum ad Rhenum.

Albertum Saxonem nomine & aſpectu Vngaris Galliſque & Belgis ac Friſiis terribilem, ſagacitate atque in conſiliis promptitudine ac celeritate admirabilem, fortitudi-

ne

ſe atque vehementia in ipſo præliorum feruore intolerabilem, moderatione poſt victoriam & clementia ſalutarem fuiſſe, ipſorum hoſtium confeſſio oſtendit. Contra hos enim populos pro imperatore, vt maieſtas imperij maneret inconcuſſa, atque illabefacta, fortiſſime pugnauit. Gallos Belgio exturbauit, idémque continuo octēnij bello eóque aſpero admodum ac difficili vix tandem pacauit à factionibus & ſeditionibus inteſtinis. Matthiā regem in Auſtria ad paciſcendum de pace & amplectendas conditiones quas tulit, adegit. Quibus rebus pro imperio geſtis meruit, vt decreto publico vocaretur, Dextra manus imperij, & deſignaretur dux copiarum publicarum. Mortuus eſt anno quingenteſimo ſupra milleſimum, quo anno menſe Aprili viſus eſt cometes.

Alberto Brandeburgico tributum eſt cognomentum Achillis Germanici à Papa Pio ſecundo, authoritas ac celebritas tanta fuit, vt deliberatum ſit de committenda ei ſumma belli Turcici præ cæteris. Cum aduerſus eum omnes ſuperioris Germaniæ ciuitates, vt dixi, iuuare ſtatuiſſent Noricos, quibus ille bellum indixerat, & compararetur numeroſus exercitus, interroganti cuipiam, cur tanto apparatu adornaretur bellum aduerſus vnum principem & eum quidē nō ditiſſimū, reſpondit vnus ex primoribus ciuitatum: Deſipis, inquit, in Alberti aſtutia & fortitudine omnium Germaniæ principum vires opéſque continentur. Nec vanum fuit hoc illius augurium. Nam ſeptem & decem principes in partes ſuas traxit, ciuitatéſque multis attritas incommodis pacem petere coëgit. Multa fortiter & manu fecit, cum in medios confertóſque hoſtes perruptis ordinibus editáque innumera ſtrage penetrauit, & muros ipſe inter primos in oppugnationibus oppidorum conſcendit, quarum rerum exempla de eo commemorat Æneas Siluius, cui fuit familiaris.

Dignum laude eſt Friderici Victorioſi Palatini tropheum defenſa ſcilicet aduerſus inſidioſas machinationes pontificum libertas & maieſtas imperij.

Vngaricam gentem hoc ſeculo nobilitarunt res geſtæ duorum Hunniadum Iohannis patris & Matthiæ filij. Matthias initio gubernationis ſuæ ſeditioſorum agmen, qui duce Telepho Boemo in iugis Carpathi latrocinia exercebat, partim regno expulit, partim interfecit, Polonos repreſſit. Draculam Walachorum tyrannum cepit. Halibeium Baſſam à Mahometo Turcico tyranno immiſſum

in Syrmium & limites Illyrici, duobus præliis ita attriuit, vt & Mahometes & Baiazetes filius Mahometis pacem petiuerint. Exercitu ducto in Bosnam, Iaizam caput regni Turcis ademit. Longius tum versus Thraciam progredi non voluit, intelligens se vnum tanti belli molem sustinere non posse, & in fœderatis nihil spei esse. Postea cum Mahomete mortuo filiis de regno dissidentibus, discordia domestica occasiones rei præclarè gerendæ opportunas obiecisset, tristi eum Europæ fato a bello Turcico abduxerunt artes pontificis, qui regni Boëmici titulo à Georgio Boiebracio in ipsum transiato, noua bella accendit inter Matthiam & Boiebracium, atque Boiebracij successorem Ladislaum Polonum, quibus bellis Matthias infeliciter implicitus aliquoties à Boiebracij copiis, Henrico eius filio duce cæsus & profligatus: Morauiam tamen & Silesiam spontanea illarum gentium deditione magis quam vi & armis Vngariæ regno coniunxit. Oderant enim hæ gentes excommunicatum à sede Romana Boiebracium tanquam hæreseos reum. Lusatia tamen neutra à Boëmo desciuit, nec vnquam Matthiam dominum agnouit, etsi id minis & armis quæsitum fuit.

Ladislao in regnum Boëmiæ traducto, recruduit bellum, hoc auulsas prouincias repetente. Adduxerunt tunc exercitus ad vrbem Vratislauiam tres potentes reges: Casimirus Polonus, Ladislaus Boëmus, Matthias Vngarus, qui celeritate reliquos duos anteuertit vrbe præoccupata, vt totis viribus de Silesiæ Morauiéque imperio decertaret. Ibi cum in Boëmia & vicinis regionibus exercitus vastitatem passim efficerent, & à rege victore, in alterutram partem sese fortuna inclinasset, his terris graue periculum imponderet, contraxerunt exercitum circiter sex millium equitum ex ea Germaniæ parte, quæ & numero & robore equitum antecellit. Ernestus dux Saxoniæ elector, & Iohannes marchio Brandeburgensis, Albertis ambobus Sane & Brandeburgico tunc contra Carolum Burgundum imperatori opem ferentibus. Et cum Vngaricas copias, quę à Matthia rege, Alberto Saxoni infesto, in Lusatiam immissas, ad limites Misnicos vsque, populabundæ excurrerant, repulissent profecti Vratislauiam, perfecerunt, vt reges, omisso infelici bello, sinerent rem componi, iis conditionibus, quas proposuerunt, quæ, ne contemnerentur, affirmarunt, se adiũcturos esse suas copias illi, qui assentiretur, ostendentes, vt olim dicebatur, ἄμα τῷ κηρυκίῳ δόρυ. Cau-

sæ

ſæ orator, in conſeſſu regum, & principum, fuit marchio Iohannes, quam, tanta cum grauitate, & vehementia egit, vt, præ admiratione, aſtantes obſtupuerint, & iudicatum ſit, quanquam multi adeſſent ingeniis, vſu & eloquentia excellentes, neminem tamen, in eo cœtu, tam ſplendidè peroraturum fuiſſe. Ita tunc, virtute Erneſti Saxonis, & eloquentia Iohānis marchionis, hæc ora Germaniæ magno diſcrimine liberata, rediit ad tranquillitatem.

Pax, die duodecima Februarij, anni milleſimi, quadringenteſimi, ſeptuageſimi quinti, his conditionibus firmata eſt, vt Ladiſlao ad Boëmiam, pars Sileſiæ, quæ montibus Sudetis adiacet, & vtraque Luſatia accederent. Reliquam Sileſiam, & Morauiam poſſideret Matthias, ſed ea lege, vt, ſi abſque maſculo hærede decederet, rediret ad Ladiſlaū: Si gigneret hæredē, liberum eſſet Ladiſlao vel illi relinquere prouincias, vel redimere eas, ducentis millibus aureorum.

Sed præcipuam Matthiæ laudem, apud poſteritatem, peperit cognitio, admiratióque doctrinarum, omnis generis, ſingularéque, in his propagandis, ſtudium, & munificētia, ac reuerentia erga viros eruditione excellentes, de quorū monumentis, & commendatione, magis inclaruit apud poſteritatē, quàm ſuo ſeculo, virtute ſua, aut rebus geſtis. Cùm enim & hoſtes vincere, & virtutem liberaliter exornare, regiæ fortunæ munus præcipuum duceret, inuitatis ad ſe viris doctis, & inuectis in Pannoniam nobilioribus ſtudiis, ita gentis ad arma natæ, ingenia ferocia emolliuit, vt regnum ex plumbeo, aureum reddidiſſe, diceretur.

Bibliothecam comparauit ingenti ſumptu, quanta extra Italiam nulla eſt. Ex hac prolata ſunt Polybij, & Diodori Siculi fragmenta, quæ primùm prodierunt. Delectatus eſt maximè hiſtoriarū cognitione, quas ex Græca lingua, multas in Latinam transfundi, ſui vſus cauſa, curauit. Didicit etiam ſtudiosè multa de ſtellarum motibus, & effectionibus. Multos viros doctos, præcipuè verò mathematū peritos & poëtas ad faſtigia honorum ampliſſimorum euexit, ac, præ cæteris, fauore, veneratiónéque ſingulari, complexus eſt Iohannem Regiomontanum, quem tanti fecit, vt crebrò eum, eruditorum colloquiorum cauſa, & menſæ contubernio adhiberet. Extinctum tradunt Viennæ, apoplexia, anno ætatis quinquageſimo ſexto, anno Chriſti, nonageſimo ſupra milleſimum, quadringenteſimum, eo feſto die, qui Palmarum memoriæ dicatus eſt.

Minimè verò contemnenda conſtantia eſt, & fortitudo

Georgij Boiebracij, ac filiorum, qui, quanquam expositi essent odiis, & periculis immensis, quę conflarat eis pontificij anathematis execratio, & armis assiduè lacesserẽtur, non abiecerunt tamen agpitæ veritatis professionem. Ideò protexit, & adiuuit eos Deus, vt, pulsis hostibus, séque, & regnum tutarentur, atque conseruarent. Victorinus filius, obsessum Viennæ Imperatorem, à ciuibus, liberauit. Idem, cum fratre Henrico, feliciter aliquoties Matthiam vicit, & reliquias copiarũ, ab vrbe Glogouia, profligatas, ad internecionem cecidit. Imperator, vt virtutem tantam, egregio remuneraretur, & cõdecoraret præmio, duces eos creauit. Pater Silesiæ partem eis attribuit. Ab Henrico enim defluxit stirps ducum Munsterbergensium. Boiebracij maiores è stirpe comitum Nidanorum, sanguinis Germanici, transierunt in Boëmiam, Friderico secundo imperante.

Epirus Scanderbeiam habuit.

In Italia, dissidia eorum, qui de Mediolanensi principatu, nullo prætextu, & armis contendebant, aditum ad eundem patefecerunt Fracisco Sfortiæ, mercenario militi, nato Cotignolæ, antiquo Togatæ Galliæ oppido, iuxta viam Æmyliam, agri Fauentini, ex Attendula familia ignobili, sed honesta. Nã vita fũcto Philippo, in quo Vicecomitum vetusta progenies, à Matthęo magno ducta, defecit, nemo ex ea stirpe supererat, præter Valentinam, Philippi sororem, & Blancam. Philippi, ex Agnate Maina, nobili concubina, natam. Valentinam Iohannes Galeacius pater, Ludouico Aurelianensi, Caroli V. Galliæ regis filio, nuptui dederat, Asta vrbe in dotem concessa, & superaddita conditione, vt, si fratribus nouæ nuptæ, nulla soboles legitima superstes esset, Valentinæ filij, vt legitimi successores, Insubrium principatu potirentur. Sed talibus dotalibus, in hanc sententiam cõfectis, decrat Imperatoris Romani authoritas, quam deinceps Pontifex Romanus, vsitata impudentia, rapiens, alieni muneris officia suppleuit. Blancam Philippus pater, Francisco Sfortiæ collocarat, addita in dotem Cremona.

De iure successionis itaque, cùm hæres masculus decessset, multi contendebant. Ad Fridericum Imperatorem renolucbatur ducatus, legibus Feudorum, quibus innitebat. Hæc Carolus Aurelianensis, qui, Ludouico patre, insidiis Iohannis Burgundi, Parisiis interempto, Valentinæ matris, mox fuã secutæ, ios hæreditate exceperat, opponebat sanguinis necessitudinem, propter quam ipsi deberetur ducatus,

catus, ex inteſtato, ſimúlque pacta, & conuenta, pontificia authoritate roborata.

Alponſus Arragonius, is, qui Neapolin occupauit, teſtamento ducatum ſibi vendicabat, quoniam Philippus, vt Venetorum conatus, qui tum Mediolano imminebant, eius virtute, eliderentur, primis, ac verioris teſtamenti tabulis, ipſum hæredem reliquiſſet. Franciſcus Sfortia, hæreditario iure, coniugis, notæ Philippi filiæ, & teſtamenti recentioribus tabulis, nitebatur. Mediolanenſes verò ad libertatem aſpirabant. Hæc contentio in eum deſiit euentum, vt Franciſcus ius ſuum neglexerit, multitudine hæreditatem contentiosè petentium abſterritus, & detentus domeſticis bellis. Carolus Aurelianenſis, tranſmiſſo in Italiam, cum iuſtis copiis, Reinaldo duce, eóque à Mediolanenſibus ſuperato, captóque, principatu exciderit. Alphonſus, cùm incerto belli euentu, hæreditatem procul diffitam, & circumſeſſam vndique à competitoribus, minimè vendicandam cenſeret, etiam quieuerit. Veneti, qui in omnem opimam prædam, ingluuie, rabiéque inſatiabili, inuolare conſueſſent, & Sfortiæ ſoli arma expediuerint, ex occaſione diſſidiorum, eò quòd Mediolanenſibus, reliquæ ciuitates ſubeſſe, atque parere recuſarent, & alij alios dominos quærerent.

Hoc dubio, incertóque ſtatu, Placentini, & Laudenſes vltro Venetis ſeſe dediderunt. Papienſes, & Derthonenſes receperunt Franciſcum Sfortiam. Nauarrenſes Vercellis proximi, reſpectarunt ad Allobrogem. Venetis, ex primo ſucceſſu, penè certa ſpe, ſibi principatum deſpondentibus, conductus eſt à Mediolanenſibus, Sfortia, qui, expugnata Placentia, Laudéque recepta, Venetas vires memorabili prælio, ad Carrauaggium fregit, cúmque hi pacti pacem, inſidiosè eum, promiſſis auxiliis, incitarent ad Mediolanenſe Imperium inuadendum, erſi poſtea rurſus, conuerſa fide, ab ipſo ad Mediolanenſes defecerunt, Sfortia tamen armis, & fame, vrbem perdomuit, & receptis oppidis reliquis, principatum ſibi ſubiecit, ac ſtabiliuit.

Deerat ſola authoritas Imperatoris, quã, cùm multò ære mercanda eſſet, ſemel imploratam fruſtra, expoſcere deinceps, & vrgere deſtitit, non magnopere veritus vim aliquam ab Imperatore, multis bellis diſtento. Idem, exẽplo patris, fecit Galeacius, qui, prẽmatura morte abreptus, cum tutelam impuberis filij Iohãnis Galeacij, fratri Ludouico, cognomento Moro, commendaſſet, in homine ambitione

cæco,& furente,ac iam ante, insana Imperij cupiditate,ęstuante,id desiderium,occasione prębita,adauxit. Nã cum Morus,morę esset impatiens,mox à fratris morte,Iohannem Galeacium iam ex Isabella Arragonia, patrem Franciſci,& Bonæ liberorum;nulla habita ratione sanguinis,tabifico veneno infecit,quo ille paulatim consumptus est,& cùm Arragonij, pro Iohanne, arma pararent;euocauit in auxilium, Carolum octauum,Gallię regem;iam ante,totis viribus,meditantem bellũ in Arragonios, ad persequenda domus Andegauensis iura. Deniq; vt consensu authoritatis publicæ,etiam sese cõfirmaret,à Maximiliano Cæsare, quatercentum millibus aureorum nummûm impetrauit, per diploma ornamenta,ac titulos principatus.

Hoc Mori,ex insana,cæcáque ambitione,profectũ parricidiale consilium,& facinus,cùm ipsi,liberísque exitiale, tum Italiæ toti funestum euasit. Nam postquam Carolus octauus,celeri,& incruẽta victoria, Arragonios Neapolitano regno exegisset,& profligatis ad Tarrũ Venetis, incolumis in Galliã remeasset, Ludouicus,Caroli Aurelianẽsis filius,qui postea duodecimus,hoc nomine in Gallia regnauit, vsus occasione occupandæ hęreditatis, quam victoria Caroli attulerat, castris regiis, ex Asta vrbe sua, promotis,Nouariam occupauit. Sed progressurum inde, confœderatorum hostium exercitus, repulit;& obsessum, Nouaria abire coëgit.

Rediit ad arma triennio post, cùm, Carolo octauo filium non relinquente,regnum obtinuit;initóque cum Venetis fœdere,Ludouicum Morum,ducatu expulit. Cõcitauit Sfortia,in Venetos,Baiazeten Turcicum Tyrannum,& in Italiam vsque pellexit, sed caruit euentu consiliũ,quanquam Venetos Baiazetes grauiter afflixit. Gallus tandem Sfortiã è Germania, Heluetica, Rheticáque auxilia attrahentem,ad Nouariam cepit, deductúmque in Galliam,in carcerẽ incluſit, in quo,anno quinto post,miserrimo interitu,pœnas expẽdit,cõmissi parricidij,& rapti principatus.

Perductus est in Galliam & Franciscus, Iohannis Galeacij filius,adolescens admodum, ibíque legibus cucullatorum initiatus, monasticis in clausſtris,extra spem Imperij paterni,consenuit.

Ita Ludouicus duodecimus Insubrum principatum adeptus,cum possessionem, authoritatis publicę cõsensu,corroborandã esse existimaret;Maximiliano, concessionis tabulas, interceſſione quorundam, auro corruptorum,arte elicuit.

elicuit; Vt Ludouicus,eiúſque gener ex Claudia filia,Frãciſcus Angoliſmorum prineeps,qui,poſt eum regnauit,liberíque demum eius poſteri, ac ſucceſſores, beneficiario iure,Mediolani duces eſſent.

Sed tabulis inſerta erat particula, quæ oſtenderet, conceſſionem,ſine alieni iuris præiudicio,factam eſſe.Hac nixus particula,Iulius Pontifex, vt Gallos,qui iam Ligures, Venetóſque terreſtri Imperio penitùs exuerant, & ad Italiæ Imperium contendebant, Ciſalpina Gallia penitùs eiiceret;perfecit, vt Helueticis, & Venetis armis,Maximilianus in paternum principatum reſtitueretur, quem tenuit vſque ad Frãciſci regis aduentum;qui,capto,ad radices alpium Cocciarum, Proſpero Columnio,deuictíſque,iuxta Mediolanũ Heluetiis, inſigni prælio,victor inde Mediolano potitus, Maximilianum intra arcem, acri obſidione coarctatum,ad deditionem compulit.

Ex veneficis potionibus mente motum fuiſſe,conſtat,in quam perturbationem animi deinceps, in Galliam traductus,cùm ſæpè, ex recordatione priſtinę felicitatis,& aſpectu, ſenſúque orbitatis præſentis, recidiſſet, poſt aliquot annos,vaga febre correptus,interiit.

Reſtabat Franciſcus frater.Hũc Carolus Quintus Imperator, Proſpero Colũnio,Ferdinando Piſcario,Nicolao Salma, & Georgio Fronſpergio ducibus,reduxit,Gallis ſuperatis,gemino prælio: vno ad Bicocã,cui Lothergius:alteio, cui apud Gallos Amirantes præerat; Heluetiiſque vno itidem, ad Seſithem amnem; Franciſco verò rege tandem ad Ticinum capto. Sed mox accuſatum proditionis, Piſcarius & Antonius Leua,qui Mediolanum non Sfortię, ſed Cæſari partum volebant, grauíque obſidione circumuentum in arce Mediolanenſi,ferè tota ditione ſpoliarunt. Etſi verò Clemẽs Pontifex, Veneti,ipſíque Galli,ex hoſtibus,ſocij facti, ac defenſores, quorum omnium intererat non augeri in Italia Imperium Caroli, plus nimio tuendum Sfortiam, coniunctis armis, ſuſceperunt:hanc conſpirationem tamen contempſit fortuna Caroli, ita, vt qui fruſtra conati eſſent Sfortiam reponere in principatum, mutato conſilio, cogerentur precibus impetrare, quod armis nequiuerant. Cæſar enim permotus interceſſione eorum, quos diximus, Sfortiæ reuocato Bononiam, ſub fide publica, ducatum reddidit, deſponſata ei ſimul Chriſtierni,regis Daniæ filia, ſorore ſua genita, vt duplici beneficio Sfortiam obſtrictum haberet, atque obnoxium

contra Gallos. Sed hæ nuptiæ, licentius delitiis nouæ nuptæ indulgenti, mortem accelerarunt. Decessit tum fortè, cùm Cæsar, Tuneto capto, Neapolin rediẽs, inde Romam triumphabundus adiit.

In hoc Frãciſco, Sfortiana ſtirpe extincta, rex Frãciſcus, à Cæſare poſtulauit, Mediolanenſem principatum ſibi, & liberis, hæreditario iure, & Maximiliani Imperatoris conceſſione debitum, reddi. Sed Cæſar, cui opportunam & opulentam ditionem, è manibus dimittere, & Gallos in Italia pati regnare, cõſultum minimè videbatur, id ſe facturum negabat, niſi Carolus, Allobrogum dux, nuper, Gallicis armis, ditione ſua excuſſus, reſtitueretur. Fecerat id Frãciſcus, quodam iuris prætextu, allegans pacta, quę natis ex Ludouica Sabauda, Philippi filia (ea erat mater Franciſci) ſucceſſionẽ, à morte Philippi, promittebãt. Sed verior cauſa erat, vt eo principe, qui Cæſari fauebat, velut obſtaculo intermedio remoto, certiorem ſibi, expeditiorémque aditum, ad Inſubrum principatũ, aperiret. Fuiſſe quæſitas cauſas à Cæſare, quibus poſtulata Franciſci eluderẽtur, & cõfirmato Hiſpanorum Imperio, arcerentur in poſterũ Galli, ab Italia, multi nõ temerè iudicant. Certè vt tunc, à propoſito inuadendæ Longobardiæ, Gallos, duplici bello diſtractos, auerteret, terra marique Narbonenſem prouinciam, & vno ſimul tempore, è Belgio Morinos, Ambianóſque, eum inuaſiſſe, non eſt obſcurum.

Retinuit itaque Mediolanũ Carolus, quoad vixit, cúmque id poſſideret titulo iuris publici, quod Imperatoris eſt, certis pactis deinceps in Philippum filium tranſtulit. His affecta mutationibus Longobardia, ab interitu ſtirpis Vicecomitum, calamitatibus ſuis, non leuiter ſimul Venetos perculit, & cæteros vicinos, implicatos tamẽ his malis, ſua magis, quàm aliena culpa. Nam dum ampli Imperij auidi, nimis impotenter aliena concupiſcunt, & dum formidine quadam, ac diffidẽtia, nimis curiosè, ſollicitéque fatis occurrere nituntur, in fata ſeſe, réſque ſuas præcipitarunt, vſitato errore ſapientiæ humanæ, quæ ad occaſiones leuiſſimas, cupiditates, & ſpes immenſas, ſuáque opinione infallibiles, concipit, & ſe fœderibus accuratè, prouidéque munit, ac horum fiducia, de opprimendis iis, quos creſcere nõ expedit, conſilia cudit: & quibus artibus, efflorescenti aliorum fortunæ, maturè obuiam eundum ſit, mirifico contextu conſiliorum, ſtruit, quæ deinde leuiſſimo momento eliſa, vel labefactata, in nerunm crumpant.

Et

Et ſuis etiam exagitata motibus Apulia, ex conflictu inter ſe, Arragoniorum, ex Hiſpania; & Andegauenſium, è Gallia, regulorum: quod bellum intermiſſum, quandoque, & ex interuallis redintegratum, in annum ſeſe extendit ſ viceſimum. Occaſiones inde extiterunt. Iohanna regina, de qua dictū ſupra eſt, Ladiſlao rege fratre extincto, cùm non contenta tertiis nuptiis, impudentiſſimis amoribus palam indulgeret, à Martino Pontifice, & Ludouico Andegauēſe, armis petita eſt. Sed verior cauſa fuit, quod Ludouicus, ex ſpe, à Pōtifice facta, in præmium nauatę, cōtra Ladiſlaum, egregiæ in bello operæ, regnum Neapolitanū ſibi deſtinarat, ac deſponderat. Propter hoc bellum, Iohāna in metu conſtituta, Alphōſum Arragonium, qui tum in Corſica, magno apparatu, Bonifacium vrbē oppugnabat, cum valida, atque expedita viginti roſtratarum nauium claſſe, Neapolin accerſiuit, cuius virtute, cùm Gallorum, & Sfortiæ vim repreſſiſſet, Alphonſum in filium adoptauit.

Erat autem Alphonſus natus patre Ferdinando, filio Iohannis regis Caſtellæ, qui, diſſidētibus inter ſe Arragoniis, de rege, cùm plures regnum appeterent, delectorum ordinum ſuffragiis, cæteris prælatus, Tarraconenſe regnum, & paulò poſt, Siculum, rege Martino, ex Arragoniis vltimo, defuncto, obtinuit. Sed Alphonſus, vt antecelluit ſapientia cunctos ſuæ ætatis reges, ſic paulò poſt, impatiens muliebris Imperij, & peroſus ſpurcitiem intemperantis, atque inuerecundæ libidinis, Iohannam, Caracciolo eius amatore, in vincula coniecto, palam armis oppugnauit, ac Neapoli expulit. Idcirco Iohanna eum, tanquam ingratum, & impium, apud Pontificem, facilè, promiſſo ſubiectionis, ac deditionis, placatum, accuſauit; & priore adoptione reſciſſa, Ludouicum Andegauenſem, in Alphonſi locum aſciuit.

Inde grauiſſima bella ſecuta ſunt, in quibus, alternante fortuna, nunc Arragonij, nunc Andegauenſes Neapoli potiti ſunt. Mortuo enim Ludouico, ad Renatum eius fratrē, bellum, eodem iure, tranſlatum eſt; quod, patre Britannico bello occupato, excepit Iohannes filius, qui cum Ferdinando, Alphonſi notho filio, ſed, ex teſtamento patris, Neapolitani regni hærede, magnis viribus, per aliquot annos, rerum ſucceſſu parum proſpero, decertauit, donec ad Troiam, extremo prælio, profligatus, regnóque, & Ænaria inſula, quæ hodie eſt Iſcla, pulſus, cùm in Galliam ſeſe naui recepiſſet ex febre oppetiit, ſuperſtite adhuc patre Renato, qui mox, & ipſe, ſine liberis, è vita excedēs, Carolum

Mainum, ex fratre neporem, testamento hæredem fecit. Sed cùm & hic sobole careret, instituit hæredem Ludouicum vndecimum, Galliæ regem, Caroli octaui patrem. Hunc, etsi regni proceres sæpe hortati essent, ad repetendam Neapolin, persuadere tamen non potuerunt, vt arma efferret extra regnum prius, quàm sublatis infensioribus regulis, & agnata stirpe, qui in caput eius conspirarant, Carolo filio regnum Galliæ, omni metu, insidiisque omnibus vacuum, traderet.

Alphonsus, anno ætatis suæ, sexagesimo quinto, mense Iulio, anni millesimi, quadringentesimi, quinquagesimi octaui, decessit Neapoli. Moriens reliquit Arragonicum, & Siculum regna, fratri Iohanni, tunc regi Nauarrę, pro Blãca vxore: Neapolitanum Ferdinando notho filio, cui Carolus octauus bellum mouit. Sed dum bellum parat Carolus, moritur Ferdinandus, octauo Cal. Februarias, anno millesimo, quadringentesimo, nonagesimo secundo, relictis filiis Alphonso successore, & Friderico, atque ex Alphonso, nepote Ferdinando.

Iohãnes Arragonius, Alphonsi frater, Siculum regnum Ferdinando filio, ex secunda coniuge genito tradidit: & eidem sororem Henrici regis Castellæ, matrimonio iunxit. Tandem verò Henrico quarto, vlterioris Hispaniæ rege, cum vxore, ab Eduardo rege interfecto, filióque Alphonso præmatura morte surrepto, quod Henrici filia diceretur esse ex adulterio nata, Ferdinandus, propter vxorem, regnum Castellæ occupauit, Henrici filia excluſa. Ita Ferdinandus, cum Siculo, regna vtriusque Hispaniæ vlterioris, & citerioris, copulauit, & his mox victricibus armis fortuna fauente, duo alia, Granatense, & Neapolitanum etiam adiecit, atque vniuersa illa in Carolum quintum, ex filia nepotem, transtulit.

Granatense regnum, Mauris pulsis, edomuit Ferdinandus, consilio, & opera Consalui magni, cuius, ex Aquilaria Cordubensi familia, origo, maiorum illustrata rebus gestis, de ipsius virtute, hoc bello, magis enituit. Regnarunt Granatæ, eo tempore, duo inter se dissentientes reges. Vrbs ipsa in Bætica, ex antiquis Illiberis ruinis consurrexit, & quod mali punici, ex maturitate rupto cortice, dehiscẽtis, formam referat, nomen inuenisse putatur. Bulahaze mortuo, Baudeles frater eius, cognomento Alzagal, quę vox, punica lingua, virum audacem, & expeditum sonat, traducta in partes suas dimidia regni parte, sese regem constituerat,

tuerat, & Alambra se arce tenuit. Duas enim vrbs arces habuit, in oppositis collibus inter se aduersas, mediáq; valle diremtas, quam explent ædificia vrbis. Alter eodem nomine, Bulahazis filius, patre viuo, à possessæ vrbis ditione, Gaudix appellatus, Albiazinam arcem incoluit. Vtrique longo bello fatigato, fractóque, cùm ex omnibus circumcirca oppidis, vrbibúsque deiectis, ac trucidatis Maurorũ præsidiis, spem defensionis vlteriorem ademisset, altero Baudele in fines sese Ferdinandi conferente, hortatu, ductúque Consalui, altero in Mauritaniam, traiecto mari, profugiente, Ferdinandus regno potitus est, exclusis tota Hispania, vel sub iugum redactis, & ad fidei Christianæ professionem adactis regulis Maurorum, & subditis; vnde cognomentũ Catholici tulit, post annos fermè septingentos, ex quo Miramolinus rex Maurorum, qui ad montem Atlantem habitant, attractus contra Rodericum Gottorum regem, vt supra indicaui, Muza duce, Hispaniæ magna parte perdomita, regnum illud condiderat.

Vrbem triumphans intrauit quarto Nonas Ianuarias, anno à nato Christo Saluatore, nonagesimo secundo, supra mille quadringentos. Consaluus iste meritò inter vitos bellicosissimos, non tantùm huius seculi, sed multorum aliorum, collocatur. Nam huius virtute, Ferdinandus, non tantùm, Maurorum regnis euersis, Hispaniam omnem vno Imperio complexus est, sed mox etiam Neapolin Gallis eripuit.

Hisce annis, duo fulserunt cometæ. Alter eorum, Iunio mense, anni millesimi, quadringentesimi, quinquagesimi sexti, in decimo quinto gradu Cancri, orientem versus exarsit, toto conspectus mense, tanta comæ longitudine, vt huius tractu, amplius quàm duo cœli signa, occuparit. Alter, anno sequente, eodem mẽse, in vicesimo Piscium gradu effulsit, ex eo cometarum genere, quos Nigros vocant. His significatos esse motus, & domesticos, & externos, quibus Europa miserabiliter quassata est, & afflicta, valdè cõsentaneum est. Nam & Mahometes, capta, ante triennium, Constantinopoli, plurimas Græciæ, & Asiæ vrbes subegit. Belgradum, quanquam irrito conatu, oppugnauit. Lemnum, Mytilenem & totam Euboeam edomuit. Reliquę Europæ prouinciæ intestinis flagrarunt bellis. In annum sequentem cadit mors Alphonsi, cuius posteritas mox cum Andegauensibus Gallis, grauissimis, & diuturnis bellis decertauit, pro regno Neapolitano.

Anno decimo quinto post, id est, anno Christi, millesimo, quadringentesimo, septuagesimo secundo, cometa sub Libra eluxit, qui initio tardius processit, donec peruenit ad Arcturum. Inde incitato cursu, per crura Bootę, medio inter duos Zodiaci, & æquinoctialis polos, itinere, tanta celeritate ceu euolauit, vt vno die ad quadraginta gradus magni circuli confecerit.

Incidit in hæc tempora, in annum scilicet, quinquagesimum quartum, supra millesimum, quadringentesimum, defectio Borussorum, à Marianæ familiæ militibus sacris, ad Polonos, quibus tum imperabat Casimirus Iagellonis filius, qui aliquot annos ante, vires Marianorum vehemẽter debilitarat, crebris victoriis partis. Caussam defectioni dedisse memorant, impotẽtem, crudelem & contumeliosum dominatum Marianorum: & consentaneum est fuisse conditionem subditorum difficiliorem, ac duriorem, propter assidua bella. Accepti sunt autem Borussi in fidem Polonorum, his conditionibus, vt in societatem ordinum regni adsciscerentur, ad honores, ac magistratus admitterentur, in comitiis, suo loco, sententias dicerent, nec excluderentur à consultatione, & suffragiis, cum rex creandus esset. Cætera suis legibes viuerent, iure quo vellent vterentur, quę bona quisque, ante mutationem, siue priuatim, siue publicè possedisset, ea deinceps quoque obtineret, telonia cuncta, & portoria à Marianis instituta, abolerentur, magistratus publici in vibibus, & præfecturæ arcium externis, ne mandarentur, mercatoribus liceret tutò passim in Polonia negociari.

At Borussi, ne relinqueretur vlla occasio aut Marianis, repetendę, aut Polonis, nouis dominis constituendæ tyrannidis, vafro, sed opportuno consilio, mox arces vrbibus impositas, præsidióque firmatas, hoc eiecto, diruerunt vniuersas, priusquam deditione in Polonorum venirent potestatem.

Ex hac Borussorum defectione renatũ inter Marianos, & Polonos bellum, incolas grauiter afflixit, totos annos duodecim, ad annum scilicet, sexagesimũ sextum vsque, supra millesimum, quadringentesimum; quo anno, ad decimum quartum Calendas Nouembris, pax inter Casimirum Poloniæ regẽ, & familiæ magistrum Ludouicum Erlingshusium, his legibus, facta est: vt Culmẽsis, & Michalouiensis ditiones, ad hæc Mariæburgum, Stuma & Christeburgum arces, atque oppida; Elbinga itidem, Turonia, & Tochemi-

Tochemita, & quæ ad Pomeraniam vergunt, vulgari Pomerellæ nomine, cederent Polonis. Reliqua retinerẽt Mariani, sed ita, si in fide, & clientela manerent Polonorum.

Fuit is annus, ducẽtesimus, quinquagesimus, ex quo Mariani primùm, sub magistro Hermanno Salcẽse, à Cunrado Masonio, aduersus rebelles Borussos, acciti, sub cõditione vt, quas armis perdomuissent, tenerent; ex quo ergo regionem illam cœperunt subiugare, debellatis partim, atq; ab idolorum cultu abductis, partim deletis incolis, nouisque è Germania coloniis, paulatim cæterorum principum ope introductis, & regione passim culta, atque exornata ædificiis frequentibus; Germanico ritu, Friderico Imperatore, quicquid de prouincia illa occupassent, tanquam armis Germanicis partum, Imperio asserente, & vt Germaniæ coniunctum esset, sanciente.

Quòd autem, edomitis Borussis, Mariani progrederentur, vicinósque Lituanos, & Samogetas infestarent, & Poloni, ægrè ferentes, hanc ipsis prouinciam eripi, lacessere eosdem non desinerent, mox inter ipsos, & Polonos noua bella exarserunt, quæ Poloni, cùm, euocatis ad regnum, ex Lituania, Iagellonibus, accessione trium prouinciarũ, suas vires auxissent, validius vrserunt. Certatum est inter eos euẽtu vario, vsque ad eas quas dixi, pacificationes: sed Marianas res defectio subditorum euertit. Cùm verò & pacificationes, in fraudem Imperij, factæ, iudicarentur, successores minimè seruandas esse, arbitrati, bella renouarunt, vt dicetur suo loco.

Circa hęc eadem tempora, Veneti Cyprum insulam adepti sunt, hac occasione: Susceperat rex Cypri Iohannes, ex pellice, Iacobum nothum filium: ex legitima coniuge, filiam Carolotam, cui maritum quæsiuit Ludouicũ Sabaudiensem, promisso regno, dotis loco. Post mortem ergo soceri Ludouico in Cyprum euocato à subditis, dum cũctatur, regnum præripit Iacobus. Etsi hic autem aduentãti Ludouico cessit, Cypro relicta: tamen paulò post rediit, instructus Ægyptiis auxiliis, & frustra defensum Ludouicũ à Rhodiis, cum cõiuge, regno exegit. In eo ad hunc modũ acquisito, sese vt societate Venetorum muniret, petiit in vxorem Ægcatarinam Marci Cornelij Veneti, filiam, quam Senatus adoptatam in filiam, vt aditum ad Cyprũ sibi patefaceret, ei collocauit. Sed nõ diu, post nuptias superstes, coniugem grauidam Senatui Veneto commendauit, quæ enixa filium, hoc etiam in ipsis annis nutritionis extincto,

regnum Senatui, patria repetita, conceſſit.

Anno quadrageſimo, ſupra mille, quadringentos, eo ipſo ſcilicet, quo Imperium iniit Fridericus, inuentum eſt, ſagacitate, & ſolertia Germanorum, artificium Typographicum, excudendi libros, characteribus ex metallo nigri, cinereíque plumbi, æris, & ſtibij conflatis, Moguntia primos codices excudente. Hoc artificium agnoſcamus eſſe donum diuinitus generi humano communicatum, hoc ſeneſcentis mundi, vel potius ætate iam effœti, ac fatiſcentis, ſęculo, vt renaſcentis in Eccleſia ſincerioris doctrinæ & aliarũ neceſſariarum artium ſtudia, prolatis in lucem, è tenebris, omnis generis codicibus vetuſtis, inſtruerentur copioſa ſupellectile, optimorum ſcriptorum, quorum fuit authoritas ἀξιόπιστος, & ſubleuaretur imbecillitas, & ignauia hominum, fatali languore torpeſcentium. Vtinã tanto Dei munere grati vteremur, non ad obſcurandam, ſed illuſtrandam Dei gloriam, non ad diſiungendas, ſed copulandas Eccleſias.

Anno ſeptuageſimo ſeptimo, ſupra mille, quadringẽtos, Eberhardus comes Wittebergẽſis, quem aliquantò poſt ad dignitatem ducalẽ, euexit Maximilianus, inſtituit Academiã Tubingenſem, conquiſitis vndique viris doctis, in doctrina Eccleſię, Iure, & aliis artibus. Fuerunt ibi Iuriſconſulti Vranius, qui ex Italia conſultus eſt, Georgius Lamparter, Maximiliano admodum familiaris, Theologi, Gabriel Biel, & Wendelinus, qui cùm aſſiduè legeret libros ſacros & Auguſtinum, agnouit multa eſſe abſurda in doctrina Thomę, Scoti, & ſimilium, & ſatis liberè, doctrinam de gratia, ſinceriorem ſcholæ propoſuit.

MAXIMILIANVS IMPERATOR.

MAximilianum natũ die Martij duodecima, anni quinquageſimi noni, ſupra milleſimum, quadringenteſimum, Fridericus pater, cunctis Septemuirũ ſuffragiis, conſortem Imperij fecit, anno milleſimo, quadringenteſimo, octogeſimo ſexto, die ſexta Februarij. Adfuerunt præsẽtes Electores omnes, ſed duorum ſumma fuit authoritas, Erneſti Saxonis, & Alberti Brandeburgici, qui, in eo conuentu vitam finiit.

Ferunt, eo tempore, Francoforti Iudæum fuiſſe, qui dixerit, tunc vltimum Imperatorem Germanicum eligi, ac ita latè ſparſam eſſe hanc fabulam, & authoris opinionem fuiſſe tantam, vt ad principes Electores ſit accerſitus. Apud hos eadem dixit, ſed addidit, ſucceſſorem Maximiliani, ex

cius

eius progenie, latè in Europa dominaturum esse, & secuturas esse multarum rerum mutationes.

Patrẽ Fridericum senem, cùm fieret renunciatio electionis, largiter lachrymas profudisse, tradunt, qua de re varia fuerunt sapientum iudicia. Eũdem, Electoribus collaudantibus in filio, cùm alias generosissimæ indolis dotes, tũ verò & promptam facultatem, atque expeditum vsum latinisermonis, respondisse: Quàm sit facundus, nescio, sed me, cùm annum attigisset duodecimum, vereri memini, ne, aut hebetioris ingenij, aut imperitioris linguæ vicio, redderetur ineptus, ad negocia publicæ gubernationis. Seriùs enim loquutum esse constat.

Sed tardiorem vsum vtriusque, excellentia sapientiæ, & facundię, cùm adoleuisset, abundè compensauit. Tantas in eum natura, tãtas diuina benignitas, ex vsu reip. dotes effudit, atque congessit, & tam cumulatè, vt cunctos suę ętatis, in orbe Christiano, reges, heroici ingenij vigore, solertia, & alacritate, virtutibus priuatis, seu domesticis, ac publicis, togatis item, & bellicis, ardenti pietatis studio, tanto̊que principe digna magnificentia, generosi spiritus, inuictique animi magnitudine, secundis pariter, & aduersis casibus, omnium iudicio, antecelluerit.

Coronatus Aquisgrani, die decimo Aprilis, incidit in maximas rerum perturbationes, commissis inter se, pontificiis facibus, orbis Christiani regibus, cum tristissima Italiæ cladę, & ruina.

Vita eius priuata plena fuit exemplorum, non simulatæ sanctimonię, honestatis, grauitatis, temperantiæ, sobrietatis, castitatis, vt apparuerit haud dubiè fulgere in mente eius, veram agnitionis diuinę lucem, accensam à Filio Dei, & pectus ardere motibus Spiritus Sancti, ac totum vitæ cursum regi diuinitùs. Consuetudo familiarior, vitæ domesticæ, cõsumta illi est, cum viris doctis, quibus cum de doctrina Ecclesiæ, de omnibus philosophiæ partibus, sed de arte medica præcipuè, & mathesi, de historiis omnium temporum suauissimè collocutus, & in ipsis curam lectionis, ac meditationis assiduè acuit, & suo exemplo, hortatúque, ac spe præmiorum ampliss imorum, cùm omnium liberalium artium, tum verò in primis historiarum studia, in Germania, tunc adhuc profunda barbarie obruta, & veræ, solidęque eruditionis fontes ignorante, vnus excitauit, ita vt ante eũ patriam, vix quisquam, verioribus ornamentis priuatim, aut publicè illustrarit, ac condecora-

rit. In doctrina medica,maximi fecit Georgium Collimitium Danſtetterum. In matheſi hunc,& Vogelinum,quorum vterque audiuerat Regiomontanum,alter Vogelinus etiam Purbachium.Indagatione verò antiquitatis accurata, penéque curioſa, cauſſam præbuit Cuſpiniano, Nauclero, Cunrado Peutingero, Iacobo Manlio,vtintegram hiſtoriarum ſeriem contexerent.Alios,vt Ladiſlaum Sunthemium, & Stabium impulit, vt vetuſtatem familiarum Germaniæ, quarum norat fuiſſe antiquitùs incorruptam nobilitatem, nullius illegitimæ commixtionis vitio adulteratam,exploratent,ac deſcriberent,in quam rem magnos impendit ſumtus.

Exemplo Impetatoris, inuitati,& confirmati principes reliqui,non minore deſiderio, & cura,cognitionem hiſtoriarum expetiuerũt. Nam & Capnio Philippo Palatino,epitomen hiſtoriarum compoſuit,recitata ſerie Monarchiarũ ex Herodoto,& Xenophonte, & aliis probatis ſcriptorib.qui poſtea res Macedonicas,& Romanas expoſuerunt. Et refloreſcentium, in Academia Viennenſi,literarum celebritate,moti Electores duo,Fridericus Saxo,cognomẽto Sapiens, & Ioachimus Brandeburgicus, cùm rectè iudicarent,veteriora,& maiora,communis vitæ,ornamenta eſſe literarum, & artium propagationem, leges,diſciplinam, in ſuis,ipſi quoque,ditionibus ſcholas inſtituerunt. Fridericus Witebergæ ad Albim, anno ſecundo, ſupra milleſimum,quingenteſimum, doctoribus omniũ honeſtarũ artium accerſitis, ex Academia Tubingenſi præcipuè, nonnullis etiã ex Lipſenſi,ſed legibus,ad formam Tubingenſis ſcholæ, quæ ceu colonia Bononienſium eſt,compoſitis. Ioachimus Francofurti ad Viadrum, colonia deducta ex Lipſenſi,quam,ex Pragenſinatam eſſe,ſupra dixi. Pragenſis ad ideam ſcholæ Pariſiorum accommodata fuit. Talis priuata vita fuit Maximiliani.

Bella geſſit plurima,& difficillima domi,foríſq;,ſed magna ex parte,neceſſaria, exceptis iis,in quæ,fœderũ occaſione,fuit pertractus,in quibus, quoties à Pontificibus ſtetit,toties fortunam ſenſit aduerſam. Tyrocinia prima fecit in Belgicis & Sicambricis bellis,Sicambro duce Adolpho qui ad Tornacum occubuit,cũ Gallis conſpirante. In his bellis, fuſis viginti millibus Gallorum ad Tabernam,Geldriáque in deditionem accepta, ſequutus authoritatẽ,cõſilia, & fortunam exercitatiſſimi in re bellica, & acerrimi ducis Alberti Saxonis, Belgas factiosè tumultuantes,& inſolenter,

ſolenter, ac contumaciter Imperium noui principis, Philippo Rauesteno factionum duce, detrectantes, ita præliis aliquot, & obſidionibus, toto octennio, attriuit, contuditque, vt aliquot vrbibus vi, faméq; expugnatis, cæteræ territę, vicinarum cladibus, vltrò acciperent iugum Imperij, & pacem ſuppliciter poſcerent.

Albertus Saxo, inde arma in Friſiam conuertit, quam, in prę̃mium confecti belli, & ſumtuum compẽſationem, Maximilianus, procerũ Imperij conſenſu, ei attribuerat propriã. Huius, etſi magnã partem ſubegit, tamen interceptus morte, filiis imperfectam victoriã reliquit. Sed eum, oppugnatio Friſiorum euentum habuit, vt quanquã à Georgio, & Henrico fratribus, ducibus Saxoniæ, graui bello domiti magna ex parte, in poteſtatem illorũ conceſſerint, aliquantò pòſt tamen, conſpiratione comitum, ac ciuitatum, quæ alieni Imperij iugum nondum ſubierant, ad defectionem inuitati, deſerta fide, rurſus ſeſe in libertatem vendicarint, Saxonibus belli pertæſis, in prouincia procul ab ipſorum ditione diſſita, cuius & incerta poſſeſſio, & adminiſtratio ſumtuoſior, quàm fructuoſior futura eſſet.

Initia tamen, in motibus Belgicis, Maximiliano parũ læta affulſerunt. Brugenſes enim, biẽnio poſt electionem, captum, arctéque cuſtoditum, & tractatũ cõtumeliosè, vt terrore eum aſſiduo inſuper ceu excruciarent, atrocia ſuorum in vrbe, in dignáque ſupplicia ſpectare, aſſiduè coegerunt, barbarico quodam furore, donec totius Imperij auxiliis à patre liberatur.

A morte Matthię Pannonis, totum ſe contulit ad bellum Vngaricum, in quo, non ſolùm occupatas ab illo vrbes Auſtriacas, recepit, ſed multas alias in ipſo regno expugnauit. Fuerunt in eius exercitu duces Saxoniæ fratres, Fridericus & Iohannes, qui poſtea in bello Veneto, etiam egregiam ei operam nauarunt, itémque Georgius Bauariæ dux, Rodolphus Anhaltinus princeps, ex Aſcania veteri ſtirpe, & nonnulli alij. Iohannes Saxoniæ dux, in oppugnatione Albæ regalis, inter primos, mœnia conſcendit & coronã muralem promeruit. Nec magno negocio Maximilianus tunc totum perdomuiſſet regnum, præcipuis vrbibus iam ad ſpontaneam deditionem paratis, niſi, ex pacto, Vladiſlao Boëmię regi, procerum ſuffragiis expetito, id concedere viſum fuiſſet ſatius, retento ſolo iure ſucceſſionis, vt deficiẽte maſcula ſobole Vladiſlai, in ſuos id poſteros deuoluerentur.

Sequuta sunt deinceps bella Italica, funesta admodum, & grauia, in quibus inimicam crebrius, quàm propitiam fortunam expertus, tandem iis excidit omnibus, quæ occuparat. Primum in Hetruria bellum gessit, à Pontifice, Ludouico Sfortia, & Venetis accitus, contra Gallos, & Florentinos, ad defensionem Pisanæ vrbis. Ad eam expeditionem Genuensium classe, in Hetruriam transuectus, cùm Liburni portus oppugnationẽ, aduersa tempestate, frustra, cúmque suorum clade, tentasset; satis aduersis non reluctandũ ratus, copiis, diuerso itinere, in Longobardiam remissis, ipse subsequutus, rediit in Germaniam. Creditur, in hac expeditione, morem gessisse Pontifici, non tam propter Pisanos, quàm vt si bellum feliciter confeciſſet, vteretur opportunitate accedendi, ex propinquo ad vrbem Romam, petendæ coronationis causſa.

Sed maiora fuerunt bella, quæ extiterunt à Carolo octauo, alacri, & feruido iuuene, atque ex assẽtatorum applausu, spebus amplissimis, eximiæque gloriæ inexplebili cupiditate inflammato. Hic, sub Andegauẽsium, in regno Neapolitano, iure, totius Italiæ Imperium animo complexus, & opportunè contra Arragonios, à Ludouico Sfortia, in auxilium euocatus, ne quid, tantum opus molienti, domi obstaret, quod victoriæ cursum remoraretur, duos sibi infensos vicinos, extorto fœdere, nõ ad belli societatem, sed vt quiescerent, prius placauit, Maximiliano quidem, quem repudio Margarethæ filiæ, & raptu sponsæ Annæ Britannicæ graui iniuria affecerat, per Ludouicum Sfortiam, qui Britannicis nuptiis defraudato, Blancam Mariam, Iohannis Galeacij sororem, desponderat, & per Heluetiorum legatos, satisfecit. Ferdinandum Hispanum sibi deuinxit, restitutione Perpenniani, ditissimæ vrbis, in ipso Hispaniæ aditu, & agri Ruscinonensis, quæ Iohannes pater, Celtiberico bello, in summa rei pecuniariæ difficultate constitutus, Ludouico oppignorarat.

Carolus itaque, incusso ingenti terrore, toti Italiæ, cùm Pisanos, eiectis Florentinis: hos rursus, eiectis Mediceis: & Senenses, pulso Pandulpho Petrutio, in libertatem vendicasse videri vellet, & Pontificem introducto in vrbem exercitu, ad fœdus incundum & dedendum sibi Gemẽ Baiazetis fratrem compulisset, hinc improuisa celeritate Neapolin delatus, regibus fama sui aduentus perculsis, ac profugientibus Alphonso patre, Ferdinandóque filio, & Fridorico patruo, regnum totum omnium opinione citius obtinuit.

obtinuit. Neapolin cum triumpho ingressus est, Cal. Ianuarij, anno nonagesimo quarto; supra millesimum, quadringentesimum.

Quo tam inopinato successu, consternati Principes orbis Christiani, Pontifex, Maximilianus Cæsar, Senatus Venetus, Ludouicus Sfortia, Ferdinandus Hispanus, icto fœdere, arma contra Gallos vndique coëgerunt Hac conspiratione principum, retractus Carolus, cùm per intercluſa, obseptáque à Venetis, & Sfortia (quem Ludouicus Aurelianensis interea bello inuaserat, occupata Nouaria) reuerti se, nisi via ferro aperta, non posse cerneret, superatis illis ad Tarrum amnem, cruento prælio, ipse in Galliam incolumis euasit.

Etsi autem Cãpanos, Brutios, Apulos, ac Samnites, impositis præsidiis, cõfirmauit, possessio tamen regni nec firma Gallis, nec diuturna fuit. Rediit enim ad arma Ferdinandus, Alphonsi filius, adiutus à Consaluo, quem Ferdinandus Hispanus, ad Siciliæ defensionem, cũ valida classe, ablegarat. Sed in ipso victoriarum cursu, biennio post Caroli victoriam, pridie Nonas Octobris, febre concidit, iure regni in Fridericum patruum translato. Contra hunc, & Ludouicum Sfortiam, fœdus percusserunt Alexander Pontifex, Ludouicus duodecimus Galliarum rex, Caroli Aurelianensis filius, qui Carolo nuper, præpopera morte, è vita euocato, successerat; Ferdinandus Hispanus, Venetus, & Florentini, ea conditione, vt Ludouico regi principatus Mediolanensis, quem hæreditario iure sibi arrogabat, Venetis Cremona cederet. Cæsar Borgia, Alexandri Pontificis filius, nulli hominum, quotquot vixerunt, scelerum immanitate secundus, in Flaminia, Æmyliáque, & Vmbria occupanda, trucidandáque, aut exterminanda omni antiqua nobilitate, adiuuaretur, quibus sibi cædibus aditum ad Imperium Cisalpinæ Galliæ, parare cogitabat. Ferdinandus, & Ludouicus regnum Neapolitanum inter se partirentur, plus valente, in Ferdinando, regni cupidine, quàm sanguinis necessitudine, cuius ratione Friderico auxilia debebat, & defensionem.

Initium fœderis à Venetis extitit, Sfortiæ odio. Nã paulò antè Pontifex, Sfortia, & Veneti coniuncti, contra Gallos, & Florentinos, pro Pisanis, ad horum libertatẽ defendendam, attraxerãt Maximilianum Imperatorem, vt dixi: Sed cùm res non successisset, & Veneti Imperio Pisanæ vrbis inhiare viderentur; Sfortia ab eorum amicitia discc-

dens, id egit, vt quibus posset modis, conatus Venetorum impediret. Inde implacabile, aduersus Sfortiam, odium conceperunt, quòd in eum, concitatis ad fœdus principibus, quos dixi, effuderunt.

Ex hoc fœdere Sfortia coniectus in summas difficultates, cùm frustra à Maximiliano, Helueticis, Rheticísque armis lacessito, auxilia expectaret, Baiazeten in Venetos, scelerato consilio, cõcitauit, cuius ille consilij mox pœnas dedit, cùm rediit in Lõgobardiam, Helueticis copiis, & Burgundico equitatu instructus. Vix recepto enim Mediolano, & Nouaria etiam expugnata, Tramulio Gallorum duci proditus, & ab hoc in Galliam, ad perpetuos carceres, relegatus est, anno Christi, quingentesimo, primo, supra millesimum. Ascanium quoque fratrem, Cardinalem, cuius ópera, pleraque feliciter peregerat, in agrum Placentinum fugientem, Veneti exceperunt, & deposcentibus Gallis tradiderunt. Mediolanum verò, non toto vertente anno, tertiò dominos mutauit.

Restabat Fridericus Arragonius in regno Neapolitano. Hic igitur fœderis, inter duos reges, Hispanium, & Gallum, conditionísque de regno inter ipsos, ex æquo, partiendo, dum frustra opem Cõsalui implorat, è Gallis ducibus qui è Cisalpina Gallia in Campaniam descenderant, per inducias, ex improuiso oppressus, rebus desperatis, cum vxore, & liberis in arcem Æuariæ insulæ traiecit, & cum Mamurcio, atq; Obegnio ducibus, dedita Neapoli, pactus, vt liceret sibi in Galliam nauigare, & Ludouici regis clementiam suppliciter coram experiri, id non difficulter impetrauit, quod illi ad certos & perpetuos carceres, eum proficiscí, non ignorarent. Excedens Italia, Ferdinandum filium adolescentem, Tarenti reliquit, vt eam vrbem, natura loci munitissimam, præsidio tueretur. Hunc Consaluus, deditione vrbis, in fidem susceptum, Ferdinando flagitanti, in Hispaniam misit, ad eandem, in qua pater inciderat, fortunam.

Post hæc, reges, vt conuenerat, pari æstimatione, regnum inter se diuiserunt. Cõstabat id, veteri partitione, quatuor prouinciis. Harum prima erat Campania, quæ magna ex parte terra Laboria dicitur, extenditque sese, a Fundano saltu, vltra Sarnum, & Sylarim, Picentinorum extremos amnes, vsque ad Laum, Lucaniam à Brutiis diuidentem, cuius caput est ipsa regia Neapolis.

Campaniam proximè attingebat Aprutina regio, olim Præcutina

Præcutina. Hęc ab Apennino, ad oram maris Adriatici, per Samnium porrigitur, cuius caput eſt noua vrbs Aquila, ex Amiterni, Forconæque ruinis extructa.

Reliquarum duarum èleua, alteram Apuli olim, Salentiníque tenuerunt, à Gargano monte, ad Iapygium, extremum Italiæ promontorium, protenſum. Alteram Brutij, quæ, non rectè, hodie Calabria dicitur, cũ, Calabri ij ſunt, qui Apuliam incolunt, circa Brunduſium, ad mare ſuperum. Brutij, quorum caput eſt Cõſentia, ſub Calabriæ nomine, à Silari, vſque ad fretum Siculum, incolunt; incluſi, ad Ionium mare, ora magnæ Græciæ, ea Lucaniæ parte ſimul intercepta, quæ inter Laum, hodie Lainum, & Sylarim flumina, Thyrreni maris littus attingit.

Ex partitione igitur Brutij & Apuli Hiſpanis: Campania cum Aprutina regione, Gallis obuenerant. Intererant duæ exiguæ regiones, appellationibus nouę, Capitanata, & Baſilicata, ab Apulia, & Lucania abſciſſæ: Capitanatam, duo amnes, Fronto, qui hodie Fortoris eſt, & Aufidus; Baſilicatam Hirpinorum, & Lucaniæ fines includunt. De his, cùm neutris, in diuiſione, attributæ eſſent, iure primum inter vtróſque, mox & armis diſceptatum eſt, eo euentu, vt Galli bello victi, Caieta, quæ illis poſtrema reliqua manſit, dedita, Neapolitani regni finibus exceſſerint.

Cæſar Borgia, cùm immanibus cædibus, florem nobilitatis Italicæ, paſſim excidiſſet, Alexandro patre perempto, vi veneni, quod Cardinalibus paratum, pocillatoris errore, ipſe, & filius hauſerant, mandato Ferdinandi Hiſpani comprehenſus, atque in Hiſpaniam nauibus deuectus eſt, vt in carcere adſeruaretur. Vbi, cùm, poſt tertium annum, deceptis cuſtodibus, è Medinæ arce, funibus ſe demiſiſſet, & ad Iohannem Cantabriæ regem euaſiſſet, hoc, bello, cum Alarino regulo, contendente, in prælio ad Mendauiam, glande traiectus, occubuit, mortis genere nimis placido, vtpote cuius inaudita ſcelera, & parricidia, atrocira ſupplicia promeruerant.

Talem cum habuerint euentum inſidioſa, & πλουκτικὰ conſilia, & infidæ conſpirationes, diſcant pij Principes, non poſſe retineri Imperia ſine auxilio Dei. Quare Deo obtemperent, faciant officia neceſſaria, & à Deo expectent defenſionem, ſicut ſcriptum eſt; Qui dat ſalutem regibus. Nec faciant ſocietates, & fœdera cum impijs, nec quęrant infida prælia, nec incertiſſimis, & fallaciſſimis hominum voluntatibus nitantur, nec moliantur πλουκτικὰ

ἀτύμοισι, nec implicent sese non necessariis rebus.

Propter Caroli octaui irruptionem in Italiam, & vt de bello Turcis inferendo, maturè deliberaretur, Maximilianus, indicto conuentu, Wormaciam Imperij Principes congregauit, anno nonagesimo octauo, sed irrito conatu. In eo conuentu, Eberhardum comitem Wirtebergensem, insignibus, & honoribus auctum, solenni, & publica festiuitate, prouexit in ordinem ducum.

Interea eum exercuit, & bellum Helueticum, quod motum anno, supra millesimum, proximo, ante quingentesimum, varióque euentu gestum, supra viginti millia hominum absumpsit, Heluetiis partæ libertatis conditiones, & detractas domui Austriacæ prouincias, pertinacissimè tuentibus; iugúmque, quod ceruicibus ipsorum intentabatur, acerrimè propulsantibus. De his enim certamen erat præcipuum: Maximiliano contra, elatæ gẽtis ferociam compescere satagente; quæ, prosperitate victoriarum, indies magis, magísque tumescens, imperare Monarchis, legibus præscriptis, & belli, pacísque conditiones ferre, decerpere hinc inde, quæ opportuna ipsis essent, atque Imperium, quibus vellent limitibus, circumscribere, pellere, reduceréque principes, quos liberet; auellere sese ab Imperio, & onera communia recusare, non erubescerent. Belli αἰτία erat iusta, & æqua quod, ex cõuentu Lindaënsi, flagitabat Imperator, vt ad æqualia iura, & onera Imperij redirent, séque cum Sueuico fœdere coniungerent, quod tunc renouabatur. Octies cùm dimicatum esset, maiore Maximiliani, quàm hostium clade, tandem transactione bellum compositum est Basileæ, decimo Calend. Octobris, anno eodem.

Inde ad Bauaricum bellum deuentum est, quod vno anno cœptum, & confectum est, quarto scilicet, supra millesimum, quingentesimum, Ruperto Palatino, Patréque eius, Philippo Septemuiro, ex præscriptionis sententia, quam Maximilianus promulgarat, à totius Imperij ordinibus oppugnatis.

Caussa inde extitit: Ruperto filio, Philippus conciliarat nuptias filiæ Georgij Diuitis, Bauariæ ducis; qui ex pacto, dotis loco, Ruperto genero legauit, præter auri, argentíque vim omnem, & supellectilem planè regiam; eam etiam Bauariæ partem, quam ex hæreditate tenebat. Hoc testamentum, quod in Imperij leges, & iura feudorũ peccaret, & factum esset in fraudem Alberti, Bauariæ ducis,

Maxi-

Maximilianus, deprecante Alberto, non voluit ratum esse. Quæsita est ergo, & impetrata approbatio pontificia. Post Georgij mortem, genero, ex testamento, hæreditatem adeunte, Alberto eandem, ex legibus, asserente, Maximilianus sese interposuit, & conditiones tulit, vt de Georgij ditione triens vnus, relinqueretur Rupertò, dotis ratione. Alter cederet Palatinæ domui, in compensam eorum, quibus illa sese, & defraudatam à Ludouico Bauaro, & spoliatam esse, sæpe fuerat questa. Tertia rediret ad Albertum. Philippo has cõditiones recusante, & pro tota ditione arma expediente, Maximilianus, edita proscriptionis formula, bellum concitauit, in quo, Palatina ditione multis detrimentis affecta, multis præstantibus viris, aut veneno necatis, inter quos fuêre Rupertus Princeps, & coniunx, vel in acie trucidatis, vel supplicio plexis, Palatina familia rerum suarum iacturam fecit grauissimam.

Semel totis viribus certatum est, per aliquot horas Marte dubio, Ruperto Boëmicis auxiliis confiso, & pertinacissimè pugnam vrgente, aciémque, sicubi soluereturaut fatisceret, reficiente. Nec cessit, donec ad eam redactus esset paucitatem, vt consistere non posset. Boëmi ceciderunt circiter bis mille.

Res tandem ad pacificationes deducta est, intercessione Friderici Saxoniæ Electoris, qui, etsi Maximiliano non defuit, plus tamen curæ, & laborum sustinuit in leniẽda Maximiliani ira, ita vt, eo vtcunque placato, vnicus, in conuentu Coloniẽsi, ausus fuerit Palatinum ad Maximilianũ adducere, vt supplex fieret, qua in re, existimatum est, eum nõnihil offendisse animum Imperatoris, quòd hosti ipsius non vehementiùs irasci visus esset, causa tamen consilij fuit honestissima. Nã, quæ sit Electorum necessitudo, considerauit, nec penitùs dilacerari voluit vetustissimam cognati, & multis fœderibus ipsi deuincti Electoris, ditionẽ, ac nobilissimam familiam. Hoc ipsum tamen officium tegendi amici, ita moderatus est, ne, de authoritate summi Imperatoris, aliquid derogaretur, supplicem esse voluit.

Laudanda verò est, & moderatio in victoria, atque clementia Maximiliani, qui supplici pepercit, & nepotibus Philippi, Ruperti filiis, partem controuersæ regionis attribuit, eam, quę intra Danubium, & Nabum, supra Ratisbonam, limites veteres Palatinæ ditionis attingit.

Anno octauo, supra millesimum, quingentesimum, Venetum bellum cœpit, mirabili voluntatum conuersione

motum à regibus totius Europæ,ad deprimendum faſtum inſolentiæ,ac frenandam audaciam potentiæ Venetæ, inſtinctu Iulij Pontificis, qui nuper Iohannem Bentiuolum, ſenem ſeptuagenarium,Bononia expulerat. Id bellum in hunc finem deſiit, vt Venetis, quantum ſatis videbatur, mulctatis,& compilatis,Iulius, voluntate velut venti flati ſubito inuerſa,aliud inde pro Venetis detexuerit, regibus, ſua ſemper conſilia, ad exemplum leuitatis, ac perfidiæ pontificæ,inſtituentibus,ac temperantibus, ex vſu ſuo,& commodo,& ſanctitatem,veritatem,pietatem, iuſtitiam, fidem,ac religionem fœderum,pactorum, conſtantiam in his ſeruandis,poſtponentibus, ſuæ vtilitati,qua metiũtur, & æſtimant dignitatem, non curata mutatæ fidei labe, quantumuis indigno tanto ordine auſu.

Maximiliani quidem,in hoc fœdere,conditio eo fuit deterior,& iniquior,quàm reliquorum;quo æqui,iuſtíque ipſe,& fidei,pactorúmque fuit obſeruantior. Nihil enim in eo fucatum,inſidioſum;nihil, aut ſuſpicax,nihil captiosũ, aut πλεονεκτικὸν,aut auarum fuit. Natura enim ad veritatem,candorem,iuſtitiam, & æqualitatẽ ferebatur,ac fraudulentas ſimulationes oderat;alienus erat ab iniuſta ſæuitia,& moderationem amabat,in omnibus rebus, conſilia dirigebat,exquiſito, grauíque iudicio,non ad diſtractiones voluntatum, non ad inuoluendas res, non ad alendas ſimulates,& odia,non ad oppreſſionem, & euerſionem aliorum, ſed ad concordiam cum ſalute,& dignitate Imperij coniunctam.

Biennio ante, Philippus Maximiliani filius,Belgarum princeps,in Hiſpaniam nauigarat, crebris procerum literis euocatus, vt Iſabellæ ſocrus dotale regnum capeſſeret. In eum, cùm Ferdinaudus propenſiora ſuorum ſtudia eſſe perſpexiſſet, quàm erga ſe, deteſtatus leuitatem perfidiæ, traiecerat Neapolin. Sed Philippus, ex indulgentiore victu, ſub noui cœli inſueta temperie, ſæua febre correptus, citò deceſſit,anno ætatis viceſimo octauo,relictis ex cõiuge,filiis duobus, Carolo,& Ferdinãdo,& filiabus quatuor.

Arſerat paulò antè cometes, circiter Idus Septembris,in ſeptentrione,prope plauſtrum,tetra,luridáque ſpecie,cauda ſplendida,ac denſa; à qua,cauda pauonis vocabatur,in Corũ ventum proiecta. Hunc & Philippo fatalem fuiſſe, & nouas clades Italiæ portẽdiſſe, ex euẽtu coniectari licet.

Ferdinandus, vbi de generi interitu cognouiſſet, rebus Neapoli compoſitis,rediit in Hiſpaniam,in eo itinere,Ludouicum

douicum regem Franciæ, Saxoniæ conuenit, belli Veneti cauſſa, quod tunc agitabatur.

Communis belli proxima cauſſa fuit, quod Veneti, qui, vt ex aliorum ruina, & interitu, tantùm Imperium, initiò condiderant, ita deinceps ex euentu alienæ fortunæ, occaſiones amplificandi res ſuas, captare, atque arripere conſueuerant; tunc etiam immodicam affectantes potentiam, vel potius iam tantam adepti, vt niſi retunderetur, videretur in totam ſeſe Italiam extenſura eſſe, regibus exterminatis. Quod illi ergo, de ſingulorum regum ditionibus, aliquid decerpſerant, id, Iulio Pontifici videbatur, armis communibus, repetendum eſſe, ea lege; ne ab armis prius decederetur, quàm ſua ſinguli recepiſſent.

Conſpirarunt ergo Cæſar Maximilianus, Iulius Pontifex, Ludouicus Gallus, Ferdinandus Hiſpanus, Alphonſus Ferrarienſis. Fœdus Cameraci ictum eſt. Ad hoc Maximilianus, eò faciliùs acceſſit, quia occaſionem quærebat vlciſcendi illatam ſibi priore bello, à Venetis, Hiſpanorum, & Gallorum ope, cladem ad Petram caſtellum, & ad Cadurium, cùm à Carnicis Alpibus, & ad Tridentinas fauces, copiis præmiſſis, ipſe ſequi, & Romam, ſolennis renunciationis cauſſa, proficiſci conſtituiſſet. Qua de re, priore anno ſeptimo, in conuentu Conſtantienſi, cum Principibus Imperij, deliberarat. Sed Veneti, conſilio intellecto, quòd profectionis euentum metuerent, talem fore, qualis fuerat expeditionis Gallicę, paulò antè, iter auxilio confœderatorum, totis viribus intercluſerunt, ac prohibuerunt.

In hoc communi bello, præcipuæ, apud exercitum Maximiliani, partes fuerunt Rodolphi Principis Anhaltini, ex nobiliſſima ſtirpe Aſcania, ante hoc bellum, victoriis præclaris in Vngaria, & Geldria partis, inclyti; vt qui Vincentiam, Veronam, & Patauium recepit, & non procul à Vincentia à Bartholomæo Liuiano, Venetorum duce, circumuentus ſit, vt elabi non poſſe videretur, hoc præmatura, & nimis puerili ferocia, Venetos, ad lanienam Germanorum ſpectandam, tanquam ad certam, paratámque victoriam, euocante, ita pugnauit, vt Veneto exercitu, prouida irruptione, ſed impetu vehementi diſſipato, protrito, conciſo, in Bachilionem amnem præceps acto, cum magna ſpectatorũ parte, victoriã reportarit glorioſiſſimã, Nonis Octobris, anni decimi tertij, ſupra milleſimum, quingẽteſimum. Deſiderata ſunt, in exercitu Veneto, ad nouem millia.

Sed hoc fidiſſimo cuſtode, Veronæ, veneno peremptо,

ciuitates, perfidia gentis, rursus amissæ redierunt ad Venetos.

Ludouicus Galliæ rex, pridie Idus Maias, anno nono, post millesimum, quingẽtesimum, deuictis, ad Pandinum vicum, Venetis, captóque Liuiano, Cremonenses, Bergomates, & Brixianos, in deditionem accepit.

Alphonsus Ferrariensis Peninsulam Rodignam, & Atestę, natale solum maiorum suorum, Montagnanam, & Montem Silicem: Iulius, Ariminum, Fauentiam, Ceruiam, & Rauennam: Ferdinandus, Venetis pignori datas, ab Aragoniis, Apuliæ vrbes, recepit.

His cladibus Veneti affecti, ínque difficultates rei nummariæ, ærario exhausto, terrestríque Imperio omni perdito, coniecti maximas, pacem à Iulio Pontifice supplices petiuerunt, qui, cùm sibi abundè satisfactum esset, vt Gallos, Germanósque nihil, de sua in Venetos acerbitate, remittentes, Italia exturbaret, concessa Venetis pace, Alphonso Ferrariensi etiam, vt arma poneret, imperauit. Hoc persistente in fide, & amicitia Gallorum, & Galliis vicissim defensionem ei præstantibus, nouum bellum consertum est, cuius ea fuerunt initia, vt Triuultius Gallorum dux, Bononiã, reductis Bentiuolis, Pontifici adimeret. Ad huius facti famam, Pontifex in furorem actus, mox rursus, totam penè ad arma conciuit Europam, euibrato in Ludouicum Gallũ, anathemate, & assumpto prætextu, Maximilianum Sfortiam in paternum Imperium, vnde non iustè sit pulsus, reduci oportere.

Gallus contra, contemtis diris pontificiis, vt vicissim omnem Pontificis authoritatem, retorto in eum anathemate, infringeret, Concilium Pisis indixit, in quo, in Iulij sceleratas molitiones, recentibus Constantiensis, & Basiliẽsis Synodi exemplis, inquireretur, & statueretur, annuẽtibus, primò Florentinis: sed, mox sententia mutata, refragantibus, quo factum, vt pulsi ex vrbe cardinales, cum præsidio Gallico, tumultu plebis, Mediolanum concesserint.

Pontifici in præsentia opem tulerunt, Veneti, Heluetij, & per Aphricanas cohortes, Ferdinãdus Hispanus absens, qui & Iohannem Nauarræ regem Gallicis addictum partibus, interea tota Cãtabria expulit. A tergo verò Galliam inuasit Hẽricus Angliæ rex, vt Ludouicum domi detineret.

Gallicũ exercitum, Germanicis Maximiliani copiis firmum, ac validum, duxit Gasto Folleius, sorore Ludouici in Vasconibus genitus, qui cùm Venetas copias, Balçono duce, ad

ce,ad Atheſin fudiſſet, & eodem victoriæ curſu, per arcem, in vrbem Brixiam ingreſſus, præſidio Veneto cæſo, vrbem recepiſſet, Rauennam delatus,tota acie,cum Pontificiis copiis,conflixit,tanto pugnantium ardore, vt Galli victores, pontificij exercitus partem maximam trucidarint,reliquam, cum res deplorata eſſet,proiectis armis,ſeſe dedentem, ceperint. Certatum eſt,anno duodecimo, poſt milleſimum,quingenteſimum, tertio Idus Aprilis,die feſto Paſchę. Cecidiſſe in conflictu,de pontificis exercitu, adſedecim hominum millia referuntur. Occubuit & ipſe Foſſeius, à globo hoſtium circumuentus, dum Hiſpanos incautius perſequitur.

Ad huius prælij famã, Imperator,reductis ſuis auxiliis à Gallo, initóque fœdere cum Hiſpano, & Anglo, Gallum domi,nouo bello implicauit, in quo,cùm,retractæ ex Italia,Gallorum copiæ, regrederentur, excitæ à Pontifice,in auxilium,nouæ Heluetiorum cohortes, illas ab Atheſi repulſas,intra Ticinum vrbem compulerunt, & Venetis copiis auctæ, inſtructæque tormentis,mox etiam Ticino,& tota ciſalpina Gallia,excedere coëgerunt.

Pontifex Bononiam ,Bentiuolis denuò iectis, recepit. Genua ſe in libertatem vendicauit. Maximilianus Sfortia, in Mediolanenſem principatum repoſitus eſt. Medicei, quos Galli Florentia pepulerant, iecto Soderino, in patriam,paternúmque principatum reducti ſunt.

Hoc exitu finitum eſt, confœderatione regum, ſuſceptum, contra Venetos, bellum, memorabile exemplis cupiditatum,& affectuum in regibus inconſtantiæ, ac mutabilitatis voluntatum humanarum, incertæ,dubiæque fidei fœderum, & triſtiſſimi exitus, non neceſſariorum bellorum. Confectum id eſt cum multa clade gentis Italicæ, quam in hoc bellum inuoluit ambitio,& rabies Iulij Pontificis,iuſto Dei iudicio,ſcilicet, vt hoc,ceu irretita,hæret triſtiſſimis,& tragicis pœnis.

Inuidebant omnino Italiæ ociũ, & quietem,fatales furores Pontificum, & regum infinitæ cupiditates. Nam & Leo decimus, vt proferret Imperium pontificium, ad Padum vſque, Sfortiæ Placentiam, & Parmam,olim Ateſtinæ ditionis oppida,extorſit, & rurſus,mutatis voluntatibus,Ludouicus, atque Ferdinandus reges, occultè pacem pepegerunt, mutuis commodis ſeruituram, vt neutro alterum impediente, Hiſpanus Cantabriæ regnum confirmaret,Gallus Mediolanum repeteret. Et ab Henrico Bri-

tanno, Gallus, post amissas duas vrbes Belgij, & Iacobum Stuardum, Scotorum regem, belli socium, ab Anglis interfectum, certis conditionibus pacem impetrare, Maria, Henrici sorore, in vxorem ducta.

Sed fuêre, Gallo, secundæ nuptiæ, exitiales. Nam paulò post, decessit Calendis Ianuariis, anno decimo quinto, supra millesimum, quingentesimum. Nec longo interuallo, eum sequutus est Ferdinandus, in Hispania, scilicet decimo septimo, Calend. Februarij, anno millesimo, quingentesimo decimo sexto, clausa Arragoniorum regum stirpe, quæ à Berengariis, Barchinonæ comitibus, prognata, in Hispania, annos trecentos, septuaginta: in Sicilia, ducentos triginta regnarat. Cometa, multorum dierum incendio, mortem ei portendit.

Succedete Ferdinando, Carolus quintus, ex filia nepos: Ludouico, Franciscus, dux Angolisinorum, gener, qui gubernationem ab Italico bello auspicatus, perfracto, vt dixi, captiuitate Prosperi Columnij, per alpes, aditu, Heluetios, Maximilianum Sfortiam acerrimè propugnantes, ingenti, sed cruento, & periculoso bidui prælio debellauit, ad Mediolanum, adiuuantibus Venetis, ita vt de viginti quinque millibus, vix pars dimidia euaserit, Parmámque, ac Placentiam, Pontifici ablatas, ad vetus Insubrum Imperium reduxit, captóque, à deditione arcis Mediolanensis, & transmisso in Galliam Maximiliano, possessionem principatus stabiliuit. Pugnatum est anno millesimo, quingentesimo, quinto decimo, Idibus Septembris, & postridie.

Ex hoc successu, Franciscum, maiora animo agitantem, incessit libido inuadēdi regni Neapolitani, qua de causa, euocatum Româ Leonem Pontificem, Bononiæ cõuenisse existimatur. Sed id molientem, retraxit ex Italia, Cæsar Maximilianus, impulsis Heluetiis, iam ante vindictę cupidis, & Henrico Anglo sollicitato.

Veneto bello, quod vario euentu, in annum nonum gestum est, à Maximiliano, nullísque interruptum induciis, huic ergo finem attulit pax, inter Carolum, hæredem regnorum Ferdinandi Hispani, ex testamento, & Franciscum Gallorum regem. Carolo necessaria magis, quàm honesta, consiliis Caroli Lorrij Belgæ, nutricij, apud Nouiodonum vrbem, in finibus Veromanduorum, cõfecta, in has conditiones, vt Carolus regnum Nauarræ Iohanni filio, qui inde expulsus erat, restitueret, si id iudicibus, qui constituendi essent, videretur ex æquo, & iure. Item centum

tum millia aureorum numerorũ, quotannis, Gallo, vt pẽderet ex regno Neapolitano ; ad confirmandum ius, quod in illo regno ſibi arrogabat. Cúmq; ad Venetos etiã, Franciſcus, & res Mediolanẽſes reſpiceret, Venetis etiam Veronam reddi, Brixiam enim paulò ante receperant, poſtulauit, ea lege vt redemptionis nomine, ducẽta millia aureorum nummũm Cęſari, duabus pẽſionibus, perſoluerentur. Non refragatus eſt his conditionibus, Maximilianus auus iam ſenex, qui bellorũ pertęſus & auxiliis Helueticis diffiſus, quibus dimiſſis, paulò ante ex Italia ſeſe, nulla re memorabili geſta, receperat; nepotis ſui commodis, in præſẽtia obſtare non volebat, etſi his conditionibus, vehementer eum prægrauari, nõ ignoraret. Sed non fore aut ratam, aut diuturnam compoſitionem, facilè intelligebat, quòd Carolo impubere, à nutritio facta eſſet.

Nec ita multo poſt, Carolo quinto ad Imperium ſuffragiis Electorũ expetito, cùm Franciſcus, per coemptos ſuffragatores, idẽ fruſtra ambiens, de ſpe ſua decidiſſet; tenuatis, ex repulſæ dolore, vetetibus, erga æmulum, cõpetitorem, odiis, nouis excitatis, bellũ inter vtrumq;, primum apud Belgicas, Eburonum vrbes, exarſit, quod inde in Italiam, Gallias, & Hiſpanias ſeſe diduxit, vario euentu, ſed ita, vt fortuna Caroli viuente, Neapolitani regni, Mediolaníque poſſeſſio, de qua præcipuè certatum eſt, apud Carolum manſerit, vt dicetur ſuo loco.

Anno, ante Venetũ bellum proximo, Carolus Geldriæ dux, incitatione, & sũptibus Gallorũ, apud quos, ab incunabulis patris, à teneris, ad odiũ domus Burgundicæ educatus erat, violata iuriſiurãdi fide, qua ſe Maximiliano obligarat, Brabantinos magnis detrimentis, & cladibus affecit. Erat Carolus feroci, & ſuperbo ingenio iuuenis, cuius auus Arnoldus, natus Maria filia Johannis, domini de Arkell, mortuo Reinaldo vltimo Menapiorum, & Sicambrorum, hoc eſt Juliæ, & Geldriæ duce, è gente Naſſouia, matris auunculo, Geldriæ ducatum in Egmondanam familiam adduxerat. Nec deſtitit deinceps etiam, ſub fide Gallica Burgũdos laceſſere, atque inſectari. Et moriens hæreditatem reliquit vicinis ferro aſſerendam, vt dicetur.

His ipſis annis, cõmouerunt ſeſe paulatim, ſemina motuum popularium, ex Heluticę libertatis conſpectu, deducta. Initia in Spirenſi diœceſi circiter annum ſecũdum, ſupra milleſimum, quingenteſimum, nata; paulatim ſerpendo, Sueuiam, multis in locis, & nõnullas imperij ciui-

tates corripuerunt. Sed velut scinti lla, adhuc obscurè inter profundos, atque confertos cineres, incendium latuit, vsq; ad annum vicesimum quintum, quo magno sese impetu, passim per Germaniam, effudit.

Vngariam tamẽ minus, seditiosæ multitudinis impetu, anno Christi, decimo quarto, supra millesimum, quingentesimum concussit. Selymo enim Turcarum Tyranno implicito bello Persico, Thomas Cardinalis Strigoniẽsis, suadet vtendum esse facultate rei bene gerendæ, contra Turcos, ex Tyranni absentia. Sed quia regi negligenti, & regni administrationem, & curam rei bellicæ; deerant nerui ad tantum apparatum, consulit, vt congregetur, sub signo crucis, vsitato olim Pontificibus more, exercitus, qui spe veniæ pro delictis perpetratis, gratis militet. Consilio diuulgato, immensa subitò, eáque promiscua, ex variis gentibus multitudo confluit, quæ nil sollicita de Turcico bello, protinus latrocinari, vicos populari, expugnare villas, vastare agros, nobiles, & sacerdotes capere, atque omni cruciatu interficere incipit. Illius se multitudinis ducem facit quidam Georgius Sechelus, adiuncto sibi fratre Lucatio. Hic maximum terrorem, exquisitissimis suppliciis, nobilitati, regno ingẽtia damna infert, donec Lucatij fratris copiis, ad Pestum, a nobili Pannone Bornemisse fusis, ipse etiam deinceps, ab eodem, difficillimis, & periculosissimis prælijs, ad Nagelacum & Agriam attritus, tandem superuentu Johannis, Transsyluaniæ Vaiuodæ, copiis ad occisionem deletis, prope Temesum flumen, in conspectu oppidi Temesuari, viuus cum fratre capitur.

Pœnas seditiosi conatus, supplicij genere nouo, barbaricóque, & auditu horrendo, luit. Nudus enim, & catenis vinctus, coronáque ferrea candenti redimitus, equuleo imponitur. Venis incisis, sanguis potandus præbetur fratri Lucatio, his clausis, rursus mittuntur in eum viginti ex focis, tridui inedia macerati, qui dentibus eum lacerant, & carnes arrosas deuorant. Tandem extractis visceribus, exenteratur: corpus in frusta concisum, aheníque, & verubus coctum comedendum militibus apponitur, qui hoc pastu, satiati, ad vnum omnes, cum Lucatio fratre, immanibus supplicis, necantur.

Anno millesimo, quingentesimo, decimo quinto, mẽse Julio, cõuenerunt Viẽnæ tres vicini reges, Imperator Maximilianus, Ladislaus Vngariæ, Boëmiæque, Sigismundus Poloniæ, reges. Inter hos, sublatis è medio simultatib. omnibus,

nib. vetera pacta renouata, & nouis additionib. aucta, nouáq; cõprobatione, & nuptiis inter liberos, nepotésq; cõtractis, sãcita sunt, vt Maria Maximiliani neptis, Ludouico Vladislai filio. Anna filia Vladislai, alterutri ex nepotibus nuberet, certa cũ spe successionis in regno Vngariæ, si absque hærede masculo Ludouicus decederet. Constitutum & hoc est, vt Ladislao rebus humanis exempto, regni, liberorúmque curam agerent Maximilianus, & Sigismundus. Sed Proceres regni, dum pactione hac, & testamento regis, seu ambitione, seu auaritia, neglecto, post Vladislai fata qui paulò post, è vita excessit, Ludouico filio, annum vix agente decimum: dum ergo neutrum tutorem admittunt, neutrum consuluunt, neutri fidunt, & inter se, suo arbitrio, ex suis commodis, & prouincias, & reditus regni partiuntur, dum impuberis regis curam, & educationem, priuatis commodis, postponũt, diuiso in factiones regno, & fisci regij opibus, in priuatos vsus conuersis, regnum exarmant, & optatam diúque quæsitam, adoriundæ Vngariæ occasionem Turcis sponte obiiciunt. Qui, à Maximiliani morte, de statu regni Pannonici, de conditione regis adolescentis, de difficultatibus tutoris Sigisinundi Polonici, distracti triplici bello, Tartarico, Rossico, & Borussiaco, edocti: nihil cunctantes, productis ad limites Vngariæ castris, Belgradum regni propugnaculum, vi expugnant, móxque in regnum ipsum populabundi, penetrant, vt dicetur.

Anno decimo octauo, Maximilianus conuentum egit postremum, & eum quidem, frequentia Principum, celeberrimum, Augustæ, in quo de bello Turcico actum est. Selymus enim Sultanorum regno destructo, magnum, regibus orbis Christiani, terrorem incusserat. Commendauit & nepotem Carolum, Principibus, vt se mortuo, eius in electione, rationem haberent: Inde profectus Oenipontem, febre correptus est: cúmq; transferri se Velsam curasset, accedente, ex virium resolutione, alui profluuio, expirauit, pridie Idus Januarias, anno decimo nono, supra millesimum, quingentesimum.

Anno mundi, quinquies millesimo, quadringentesimo, octogesimo primo.

Anno ætatis, quinquagesimo nono, mense nono, die vicesima prima.

Anno Imperij, tricesimo secundo, mense vndecimo.

Vxores habuit duas, primam Mariam Burgundicam, ex

qua ſuſcepit filios tres, Philippum, qui dotalia regna Hiſpaniæ, Siculúmque & Neapolitanum, domui Auſtriacæ acquiſiuit, Franciſcum, & Georgium, in annis pubertatis mortuos, & Margaretam filiam, connubiis infelicem: Carolo octauo enim, Galliarum regi, deſponſatam, & in aula Francica educatam, Sponſus, vbi adoleuiſſet, repudiauit, rapta, propter ius ſucceſſionis, Anna, Franciſci vltimi, citerioris Britanniæ ducis, vnica filia hęrede, quæ Maximiliano promiſſa erat. Poſt Carolum, Arragoniæ principi, & hoc, ante nuptias, mortuo; Philiberto Sabaudo, non meliore fortuna, nupſit.

Altera coniunx Maximiliani, fuit Blanca Maria Galeacij Mediolanenſis filia, Johannis Galeacij ſoror, ex qua ſoboles ei nulla eſt nata. Anno decimo quarto, ſupra milleſimum, quingenteſimũ Poloni, ſub rege Sigiſmundo, Conſtantino Roſſo duce, Moſcos, memorabili prælio, deuicerunt, cæſis circiter quadraginta millibus hoſtium, ad Boryſthenẽ, propè oppidum Smolenſco, quod Baſilius, veteri quodam iure, ad Moſcouiticum Imperium pertinere, ratus ſuperiore anno, aliquot mẽſibus, magna pertinacia oppugnatum, ceperat. Contempſerat Moſcus, Polonorum paucitatem, & ideò permiſerat, vt Boryſthene ponte ſtrato, in vlteriorem ripam tranſirent, ſed comitata eſt, vt fit, ſuperbiam Adraſtia vindex.

DE ECCLESIA.

De moribus, conſiliis, & conatibus Pontificum, in Romana Eccleſia, ſupra dictũ eſt. Baſiliẽſis Synodus, Eugenio pontificatu moto, & condemnato, ſuffecit Amadeũ Sabaudiæ ducẽ, indito ei nomine Fœlicis quinti. Eugenius Synodum Baſileâ, Bononiam, inde Ferrariã, tandem Florentiam reuocarat, prętexens veris cauſſis (quia libertatem Concilij metuebat) Gręcorũ aduentum, qui vt auxilia impetrarent aduerſus Turcos, prolixè ad Synodi decreta acceptanda, ſeſe obtulerãt. Etſi autẽ tunc Græci ſentẽtiã Eccleſiæ Romanę, de proceſſione Spiritus ſancti, de vſu panis non fermentati, in cœnæ Dominicæ adminiſtratione, de purgatorio, de primatu Pontificis Romani, approbarunt: tamen cùm, Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano mortuo, Romanus Pontifex creaturus eſſet alium, Græci id non admiſerunt, nec vt dixi, commentum ἀεὶ μετουσίας approbarunt. & aliquantò poſt, vix reuerſo demum Imperatore, Conſtantinopolis à Turcis expugnata eſt.

Euge-

Eugenius ſubiectus anathemati, decreto Baſilienſis Synodi vt ſeſe muniret nouo præſidio, creatis cardinalibus octodecim, & incitato Carolo quinto, atq; huius filio, Delphino Franco, aduerſus Baſilienſes patres, ſpem, de Synodo in Laterano celebranda fecit, non ſeriò, ſed, vt conceptas à regibus inanes ſpes, & molitiones eorundē, cogēdi Concilij cauſſa, ſuſceptas, eluderet. Eo vita functo, Fridericus perfecit, vt cedente Felice quinto, ſucceſſor Nicolaus quintus, retineret Pontificatū, ea conditione, ſi acta Synodi Baſilienſis rata faceret, in quo conſtitutū erat, vt Pontifex authoritati Synodorum ſubiectus eſſet, & eiſdē pareret, & decimo quouis anno, nouę Synodi celebrarētur, in quibus facultas daretur, liberas dicendi ſententias, etiā viris intelligentibus, & doctis. Huius decreti ſententia tamē, quæ promulgata eſt, anno quadrageſimo nono, ſupra milleſimum, quadringēteſimum, apud ſucceſſores, ponderis, & authoritatis nihil habuit. Fuerunt & alia conſtituta, quę in Synodorum libro referuntur, & poteſtatem Pōtificum, in ſacris beneficiis conferendis, cauſsíſque eorum cognoſcendis, ac controuerſiis diiudicandis, moderantur, ac reſtringunt. Vniuerſa ea, Pragmaticam ſanctionem vocarūt Galli à Carolo ſeptimo conſenſu procerum, receptā probatámque, & Lutetiæ, Nonis Julij, anno triceſimo nono, ſupra milleſimum, quadringenteſimum, publicatam, conſtanter retinuerunt, magno cùm regni, & ſalutis, ac tranquillitatis publicæ, commodo.

Qui ſecuti ſunt Nicolaū, Alexāder Sextus, & Julius Secundus, grauiſsimis bellis Italiam obruerunt, ſicut dictum eſt, attractis & cōmiſſis, inter ſeſe, regibus Europæ. Idcirco, cùm Maximiliani cōſenſu, Ludouicus duodecimus, indiceret Piſanam Synodum, ad Cal. Septembr. anni vndecimi, ſupra milleſimum, quingenteſimum, contra Julium; & Piſis exturbatam, transferret Mediolanum, Julius, ne quid pateretur, de pontificia authoritate, decedere, proſcriptis Cardinalibus, qui aſſenſerant, & eiecto, per cæteros reges, Gallo, ex Italia, concilium coëgit, in ædem Lateranenſem, Romæ, quod Leo deinceps abſoluit.

Sed, vt toties monui, non doctrinæ, non morum, & diſciplinæ emendatio, nō legum pontificiarum laxatio, quęſita eſt, quæ nerui fuerunt abominandæ impietatis, ſed idolatriæ, errorum, abuſuum, ſuperſtitionis, & tyrannidis pontificiæ confirmatio.

Feruebat tunc, inter monachos, duarum familiarum

Franciſcanæ,& Dominicanæ certamen,de ortu beatę virginis Mariæ,culinæ ditādæ vtile admodum.Illis,ſine peccato conceptam eſſe his,contrariam aſſerentibus:magno partium ſtudio res acta eſt. Franciſcanorum plauſibilis erat ſententia, & vulgo grata, cuius animos, ex perſuaſione ſuperſtitionis inueteratæ, cultus beatæ virginis penitus obſederat: idcirco facilè vincebat. Ex Dominicanis, quia ſtipulatores repetiebant rationes, nonnulli, vt fidem ſuo dogmati facerēt,cùm non valeret authoritas teſtimoniorum, ad ſubſidia præſtigiarum decurrerunt,cuius rei exemplum commemoratur,de Bernatibus:vbi in ſtatuam beatæ virginis,ad hunc vſum artificiosè inſtructam,monachi ab dentes ſeſe,& ſtatuæ geſtus mirificos affingentes, gemere illam,lamentari,quiritari, profundere lachrymas, reſponſa ſciſcitantibus dare,populo perſuaſerunt. Fraude patefacta, authores cremati fuerunt, pridie Cal.Julij,anno nono,ſupra milleſimum, quingenteſimum. Huius ſimilia multa à monaſtico genere, Diabolo impulſore, excogitata fuiſſe, & vſurpata, ad mentes hominum,captas antea vanæ ſuperſtitionis laqueis, & terriculamentis arctius irretiendas,minime dubium eſt.

Quare, dum ad hunc modum,Pontifices,& horum ſatellites,circunductum,atque deluſum orbem Chriſtianū, exagitant, Deus tandem miſertus generis humani, tam denſis oppreſſi tenebris, titulo Eccleſiæ, ceu faſcino,tam miſerè dementati: ioque tam profundis ſuperſtitionis inuolucris detenti,ineffabili bonitate,excitauit,& magnitudine,ac firmitate animi,diuina prorſus,atque admirabili, roborauit M.Lutherum, è monaſtico genere,familiæ Auguſtinianæ, magno, & acri ingenio præditum, ac multa inſtructum eruditione virum, ſed humili, honeſtiſsimo tamen natum loco, & nulla ſuffultum authoritate publica,in nulla conſtitutum,regni Pontificij dignitate, nullis denique munitum præſidiis, qui inſolubilem hactenus,imò formidabilem,omnibus Chriſtiani orbis regibus,nodum Gordium pontificiæ Hierarchiæ vno verbi diuini ictu,validiſſimè incidit, & ſuſtulit, fruſtra frementibus,& bella,vaſtationes,exilia,ſupplicia, incendia,fruſtra minitantibus,cum Pontifice, regibus orbis Chriſtiani, qui religionem,tot ſeculorum, conuelli, cum perturbatione,ac diſtractione totius Europæ,nolebant.

Circumacta erat periodus tertia, cōpletis, inde vſque à tyrannidis,in Eccleſia,Pontificum initio,annis quingētis.

Verte-

Vertebatur centesimus annus, inde vsque ab exitu Synodi Constantiensis, quẽ fatalem mutationem allaturum esse, Romanæ Hierachię, prędixerat Hussus, quã, nulla sæuitia, incendiis, nullis essent prohibituri: ἀφορμὴ extitit, cùm à rapacitate, & auaritia pontificiorum, qui cum nouo subinde imposturatum genere, facultates miserorum hominum deprædarentur; præda potiti, fœtorem post se relinquebãt in ecclesia, cõscientiis pernicioſum, harpyarum instar, tum verò ab impudentissimo indulgentiarum cõmento, quod ad extorquendas pecunias, iam olim excogitatum erat.

Eo igitur anno, qui fuit septimus decimus, supra millesimum quingẽtesimum, Lutherus primùm oppugnare cœpit forum indulgentiarum, & ex Ecclesia Filij Dei, huius ipsius Domini nostri Jesu Christi exemplo, eiicere eimentes, & vendentes; euersis mensis, scabellisque, id est, idolorum altaribus destructis, & subselliis hypocritarum, ornatumagnifico, in templis, sese ostentantium, disturbatis. Templáque & manufacta, & condita diuinitùs, id est, corda hominum repurgata, à superstitione, & erroribus, Deo vendicare cœpit, vt fierent domicilia precum, id est, sancta templa, Deum rectè agnoscentia, & inuocantia, in agnitione, & fiducia filij Jesu Christi, Saluatoris, ac Mediatoris nostri vt in his habitaret, & regnaret, non idolum vastans pontificum, sed tota Trinitas, Pater Filius & Spiritus sanctus, secundùm promissionem.

Disputatio proposita est in foribus templi, quod arci Wittebergensi contiguum est, pridie Cal. Nouembris tali occasione & initio.

Circumferebãtur, titulo Alberti, Archiepiscopi Magdeburgensis, venales indulgẽtiæ, in his regionibus, à Tecelio dominicano, sycophanta impudẽtissimo. Huius impiis, & nefariis cõcionibus irritatus Lutherus, studio pietatis ardens, edidit propositiones de indulgentiis, quæ, in primo Tomo monumentorum ipsius, extant. Hic Tecelius nihil sui dissimilis, ac sperans etiam, se gratiam, apud Romanũ Pontificem, initurum esse, suum Senatum conuocat, monachos aliquot, & Theologos, sophistica sua vtcunq; leuiter tinctos. Hos componere aliquid iubet aduersus Lutherum. Ipse interea, ne esset πῶφον παράστατον, non iam conciones, sed fulmina in Lutherum torquet, vociferatur vbique hunc hæreticum igne perdendum esse. Propositiones etiam, & concionem de indulgentiis Lutheri, coniicit in flammas. Hi furores Tecelij, & eius satellitum, necessi-

tatem impoſuerunt Luthero, de rebus iiſdem copioſiùs diſſerendi, & veritatem tuendi.

Hæc initia fuerũt huius controuerſiæ, quæ inclinationem fecit regni pontificij. Sed Lutherus tunc nihil adhuc ſuſpicans, aut ſomnians de futura mutatione rituum, ne quidem ipſas indulgentias prorſus abiecit, mutationem tantùm flagitauit. Quare falsò eum calumniantur, qui à plauſibili cauſſa exortum dicunt, vt poſtea mutaret temp. & vel ſibi, vel aliis potentiã quæreret. Ac tantùm abeſt, vt ab aulicis ſubornatus, ac incitatus ſit, ſicut ſcripſit dux Brunſuicenſis, vt doluerit etiam illuſtriſſimus princeps, dux Saxoniæ, Fridericus Elector Imperij, moueri certamina, longè proſpiciens, quanquam exordium eſſet, de re plauſibili, tamẽ paulatim latius vagaturam eſſe hanc flammam. Nec ipſi, cùm & ſapientia excelleret, & iam ſenex, vſu cognouiſſet omnia gubernationum pericula, præcepta, de vitandis mutationibus, ignota erant.

Sed vir ſapiens, & vera pietate Deũ colens, nec tantùm prophana iudicia ſequẽs, quæ tenera initia omnia mutationum, celerrimè opprimunt, ſed etiam nonnam vocis diuinæ in conſiliũ adhibẽs, quæ iubet audire Euangelium, intelligebat, omnib. priuatis, & publicis periculis, antefferendam eſſe gloriam Dei. Sciebat horrẽdam, & inſanabilem blaſphemiã eſſe, agnitæ veritati aduerſari. Idcirco cùm ſtudioſè legeret Lutheri ſcripta, & accuratè penſitaret teſtimonia, quibus niterentur, deleri nõ voluit, quæ iudicauit verà eſſe. Et cõfirmabatur diuinitus. Quare nullis minis, ac terroribus frãgi potuit, etſi & Maximilianus, & Carolus Imperatores, & Romani Pontifices minaciter edicerent ei, ne locum docendi Luthero concederet.

Nec tamen ſibi ipſi tantùm ſumebat, vt ſolus de doctrina iudicaret, ſed multorum ſenum, & eruditorum, & quidem principum iudicia ſciſcitatus eſt; intérque alios doctos, Eraſmum Roterodamum, in eo conuentu, quem in vrbe Agrippina Colonia egit Carolus quintus, poſt coronationem Eraſmum ergo ad ſe accerſitum, amanter allocutus eſt; poſtquam controuerſiæ motæ ſint, malle ſe, vt ſibi terra dehiſcat potius, quàm velit falſis opinionibus adſentiri, ac fauere. Sed ſi Lutherus rectè taxet errores, & veros monſtret doctrinæ fontes, ſe, etiamſi videat quantum ſibi, & ſuis ſit periculi, non tamen aduerſaturum veritati. Nec ſe ſuum, de re tanta, iudicium ſequi, ſed eruditorum, ac peritorum ſentẽtias inquirere. Et cum his ſimul

Eraſmum

Erasmum obtestatus est, suum liberrimè iudicium, vt de tota re diceret. Erasmus, ab ironia exorsus, duo magna esse Lutheri peccata dixit, quod ventres Monachorum, & coronam Papæ attigisset. Postea pertexuit suam sententiam, & dixit Lutherum iustè taxare errores, & eorum emendationem Ecclesiæ necessariam esse. Addidit etiam summam doctrinæ Lutheri, veram esse, sed lenitatem se in eo desiderare. In eandem sententiam scripsit, ad Fridericum Electorem, & Laurentius Episcopus Wurceburgensis, qui se, complurium eruditorum iudicia explorasse, affirmauit.

Constat & hoc, Lutherum literis apud Leonem Pontificem, & Albertum Archiepiscopũ Magdeburgensem, Germaniæ primatem, de impudentia, & rabie impostorum, venditantium indulgentias, quæstum, sua themata cẽsuræ, ijsdem iudicio Ecclesiæ Romanę, ac semetipsũ subiecisse, & in conuẽtu Maximiliani postremo Augustano, Thomæ Caietano Cardinali, promissurum fuisse silentium, si aduersarijs similiter silentium imponeretur. Qua ex re, perspicuũ est, Lutherum tũc quidem non decreuisse ad alia progredi certamina, sed fuisse cupidum tranquillitatis. Sed rebus semel motis, paulatim ad alias materias pertractum esse, vndique lacessentibus eum scriptoribus indoctis.

Secutæ sunt igitur disputationes, de discrimine legum diuinarum, & humanarum, de tetra prophanatione cœnæ Domini, in venditione, & applicatione eius pro aliis. Hic explicanda tota sacrificij ratio fuit, & ostendendus vsus sacramentorum. Cúmque iam audirent homines pij, in monasteriis, fugienda esse idola, discedere ex impia seruitute cœperunt. Ita monasteria deserta sunt.

Addidit igitur Lutherus, ad explicationem doctrinæ de pœnitentia, de remissione peccatorũ, de fide, de indulgentiis, deinde & has materias, discrimen legum diuinarũ, & humanarũ, & doctrinam de vsu cœnæ Dominicæ, & aliorum sacramentorũ, de votis. In his certaminibus Deus Luthero adiunxit παρακλητον και συνεργον, ac laborum tantorum socium Philippum Melãthonẽ, qui controuersias omnes, mira vi ingenij, & dexteritate plánè diuina, ex intricatissimis scholasticæ doctrinæ labyrinthis, ad planissimã, & explicatissimã methodũ reuocatis, disputationibus, & scriptis illustrauit, atque defẽdit. Accesserunt ad hos duos deinceps plures alij, in his regionibus Johãnes Bugenhagius Pomeranus: Caspar Cruciger, Justus Jonas, Justus Menius, Johãnes Æspinus, & alibi alij: qui, cum Luthero, commu-

nis cauſſæ defenſionem, ac propagationem repugnatę doctrinæ, Eccleſiæ renaſcentis, magno conatu, ſuſceperunt.

Diſputationem, de Romani Pontificis poteſtate mouit Eccius, magis vt accenderet Põtificis, & regũ odia, aduerſus Lutherum, quàm quòd cauſſæ vehementer confideret.

His initiis cœpta emendatio doctrinæ Eccleſiaſticæ, & rituũ, & paulatim magis, magíſque illuſtrata, ingentẽ regni Põtificij ruinã, primùm in Germania, deinde apud vicinas gentes traxit, de qua ordine dicemus in ſequẽtibus.

In hac mutatione, præcipuè cõſilium Dei omnipotentis conſideremus, qui Eccleſiam non authoritate, potentia, aut ſapientia humana, ſed ex ore infantium, ac lactentium, miniſterio verbi ſui, quod eſt potentia Dei ad ſalutẽ omni credẽti, colligit, condit ac regit. Nec armis aut præſidiis regum, ſed vmbraculo alarum ſuarum protegit, ſeruat, ac tuetur, vt plantet cœlos.

Beneficium reſtitutæ lucis diuinæ reuerenter agnoſcamus, & gratias agam⁹, quod eiici monaſticæ doctrinæ venena ex euangelicis fontib. voluit. Nec cogitemus minus miraculum fuiſſe, aut eccleſiã à pontificia tyrannide aſſertionem protectionémq; aduerſus immania odia, minas & vim regum totius Europæ, quam fuit populi Iſraelitici liberatio ex ſeruitute Ægyptia: Aut reſtitutionem doctrinæ purioris ex tanta caligine humanarum opinionum & ſuperſtitione tam inueterata, quã fuit traductio populi per mare rubrũ, & per vaſtas ſolitudines deſerti in terrã patrib. ſanctis promiſſam, etſi illa magis incurrũt in oculos.

Sẽper etiam coniunctis atque ardẽtibus votis & gemitib. petamus, vt confirmet Deus hoc quod operatus eſt in nobis propter templum sãctum ſuum. Te ergo viue vere Deus, æterne pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, oro toto pectore, vt propter gloriam tuam & filij tui domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper tibi inter nos quoque eccleſiam æternam colligas voce euangelij, & noſtra pectora Spiritu sãcto tuo regas, vt te verè inuocemus, & officia tibi placẽtia præſtemus: concedas & hoſpitia tranquilla eccleſię tuæ, & pios principes, qui foueãt eccleſias, & ſtudia doctrinæ atque artium honeſtarum eccleſiæ neceſſaria propagari curant, ſerues ac defendas per & propter ęternum Filium tuum dominum noſtrum Jeſum Chriſtũ *καὶ τὸν μετ' αὐτοῦ ἐλεύσονται*, qui tecũ viuit & regnat in infinita ſecula. Amẽ.

Τέλος, Θεῷ δόξα.

SVPPLE-